DIGESTORVM SEV PANDECTARVM IVRIS

ris ciuilis libri quinquaginta, nunc primùm ad fidem Pandectarum Florentinarum sexcentis locis emendati, supra Gregorij Haloandri editionem.

Εἰς βίβλον.

Βίβλον Ἰουστινιανὸς ἄναξ τεχνήσατο τήνδε,
Τήνγε Τριβωνιανὸς μεγάλῳ κάμε παμβασιλῆϊ,
Οἷά τις Ἡρακλῆϊ πανδαίδαλον ἀσπίδα τεύξας,
Ἧι ἐνὶ μαρμαίρουσιν ἀγάλματα πάντα θεμίστων.
Ἀνθρώποις δ' Ἀσίης τε, φορυντῆτι τε Λιβύης,
Εὐρώπης τε πίθωντι ὅλου σημάντορι κόσμου.



PARISIIS.
Apud Carolam Guillard viduâ Claudii Cheuallonii sub Sole aureo, & Gulielmum desbois, sub cruce alba, in via diui Iacobi.
M. D. XLVIII.

IACOBVS VINTIMILLIVS RHOdius Io. Paulo Daurono. S.

Efflagitauit, ut scis, ante menses aliquot uir summa uirtute Bertrandus Præses, ut emendationes iuris ciuilis, quas in Italia collegeram, formis excudendas darẽ, & quod priuato studio mihi paraueram, id utilitati studiosorum hominum impartirem. Id quidem ego iam effeci, quamquàm non admodum lubens, utinam tamen tanto rei literariæ successu, quanto meo extirpandæ barbariæ studio, quæ in optimos authores summa cũ fœditate uim atque tyrannidem per tot iam annos exercuit. Ego igitur, & si in posterum maiora concepi, hoc nunc saltem non omninò, uti ego arbitror, spernendo beneficio literatorum hominum gratiam inire studio habui, partim incitandi tui caussa, cuius è lucubrationibus quas iampridem uidi magnum quiddam, & summa industria expolitum exspecto, partim eliciendarum ueterum Pandectarum gratia, quas summa ob antiquitatem ueneratione Florentiæ adseruari intelligis. Statueram equidem primò, ex iis uiris quos ætas nostra in hoc genere Coryphæos habuisset castigatas leges amicorum studiis communicare, sed cũ repellere à me omnem culpam, quàm grauioris errati notam deprecari mallem, & sacrosancta iurisconsultorum responsa ex incerta hominum suspicione perstringere nefas putarẽ, magis è re cõmuni fore existimaui, ab illis ipsis archetypis Florẽ-

tinis præſidium petere. Ad hanc rem tentandam, ut me multa alia, ita nihil æquè impulit, ac doctiſsimorũ noſtræ tempeſtatis hominũ authoritas, à quibus ſcio Pandectas illas (quod Gotthicorum temporum characteribus, & ob uetuſtatem fugientibus literis ſunt deſcriptæ) ſumma fide coli, quaſi illæ ipſæ ſint, quæ tot Iuſtiniani cõſtitutionibus ſunt celebratæ: quamquàm aliis quibuſdam id modò uideatur abundè conceſſum, ut paulò poſt ea tempora priuato cuiuſdam ſtudio fuiſſe tranſcriptas credant. Sed ij leuiores cõiecturas adferunt, quàm ut præiudicatam tot ſeculis doctorum opinionem poſsint conuellere. Illud certè apud doctos ferè omnes conſtat, quæcumque digeſtorum uolumina iam inde ab ipſo legitimæ ſcientiæ initio ad hæc noſtra tempora ſtudioſorum manibus teruntur, ab iſtis libris originem ac uelut genus ducere: quò ſanè fit ut maior illis & authoritas tribuatur, & fides adhibeatur. Itaque cũ iam non contemnendum uideretur multis, quod inde ſubſidij ſperabatur ad reſcindendos ac euellẽdos errores qui iampridem in iure noſtro radices egerant, collegi tandẽ emendationes de Pandectis Florentinis ferè ſexcentas, quas uelut Sibyllæ folia ſparſas, tum ab amicis Taurelli Metellique corraſeram, tum à doctiſsimis etiam uiris aliũdè corrogarem, eáſque cũ libris meis adaptaſſem, conferre in medium rogatus ſum. Paulò poſt, cum Antonij Auguſtini liber emendationum exiiſſet in lucem, qui maiorem partem Florẽtinarum caſtigationum haud dubiè continebat, quamquàm is, ut qui prior ea de re libros compoſuiſſet, præcluſiſſe

mihi

mihi uiam edendi meos uisus esset, tamē omnia simul in uulgus prodere malui, ut hac etiam accessione studiosi, uelut fœnore mearum castigationum locupletentur. Spero igitur, tantulo hoc labore nostro, quo leges emendatiores elegantiss. characteribus edendas curauimus, partim stimulos doctis uiris, partim etiam rudibus ad capessendam antiquæ facundiæ puritatē animos additum iri, præsertim si complecti animo uelint, imperitorum temeritate omnem pene iurisperitorum splendorem iampridem obsoleuisse: cuius rei fidem uno aut altero exemplo faciam. Ait cap. xliiii. de adoption. *Proculus lib. viij. τῶν ἐπιστολῶν. Sed si sic adoptauit, ut tam iure legèque nepos sibi esset, quàm si ex Lucio (puta) filio suo, & matrefa. eius natus esset, contrà puto. Notarij cū adoptionum formulas, quæ per rogationem fiebant, non intelligerent, maluerunt ita corrupto sensu legere. Sed si sic adoptauit, ut etiam iure legis nepos suus esset, quasi ex Lucio, puta, filio suo. Quæ me hercule lectio non ostendit, cur contrà in posteriore sit casu dicēdum. Hæc autem, meo quidem iudicio est ratio. Nam cū uulgo apud Prætorem adoptiones fierent, non mirum debet uideri, si mortuo auo iura cōsanguinitatis inter nepotes nō remanerent. Prætor enim nullam, aut certè non æqualem legi uim habet: neque enim dominum quemquam facit, nec hæredem, sed pro domino, próque hærede tuetur. Sed cū adoptio rogatione facta, populi lege confirmata est, adæquante uidelicet populi iussu uim naturæ, perinde constans & firma habetur, ac si nepos ex filio, & matrefa. eius natus esset, ideóque*

contrà ſe putare non immerito dixit. Rogationis *hæc erat formula:*

Gel.lib.4. Caius lib. 1.Inſtit. VVLTIS IVBETI'SNE QVIRITES, VT HIC PAVL. AEMILIVS TAM IVRE LEGÉQVE SIT FILIVS P. SCIPIONI, QVÀM SI EX EO, EIV'SQVE MATREFA. NATVS ESSET?

Eadem in nepote.

cap.ii.moribus.de Vulgari. Ait Vlpianus alio loco: *Sed & ſi extraneum quis impuberem hæredem ſcripſerit, poterit ei ſubſtituere: ſi modo eum in locũ nepotis adoptauerit, uel adrogauerit præcedentes*. Vltimum hoc uerbum cum *calami ductu breuius notatum eſſet, ſcripſerũt, præcedente, deinde addita dictione locum corruptiſſimũ effecerunt, filio præcedente*. Quas quæſo hæc lectio *legibus tenebras, quam lectoribus caliginem obduxit, quas tragœdias excitauit?* Atqui locus ipſe iam *clariſſimum ſenſum habet, & ne minimam quidem dubitationem lectorum mentibus inhærere patitur*. Hæc & aliquot alia, *ex antiquiſſ. uoluminibus* Ranconeti, *uiri noſtra ætate doctiſſimi reſtituta ſunt. Sexcenta his ſimilia, aut aliquanto etiam fœdius habita reperient ij, qui exactè conferendis his libris operam ludere non ſuperuacaneum ducent*. Quibus *caſtigandis non leue me puto in ſtudioſos beneficium contuliſſe, ſpero quidem certè*. Huc accedit, quod *hac prima editione quàm primùm puto effectum iri, uti* Florentinos *libros ſtudioſi non patiantur diutius omnium uoto deſiderari, reſtituendæq; legitimæ doctrinæ gloriam præripi ſibi non ſinant*. Hanc igitur *opellam noſtram, & tibi* Daurone & Candidis lectoribus

ctoribus magnoperè cupio esse commendatam, ut si non omnia quidem restituta, & adamußim expolita reperient, (quî enim in tanta mendarum turba fieri potest?) plurimis certè in locis ueterum librorum fidem agnoscant, & leuiorem gratiam Florentinarum editoribus prærepto iam magna ex parte beneficio referant.

Vale Luteciæ Kalen. Sextil. M D. X L V I I.

INDEX SELECTORVM LOcorum qui de Pandectis Florentinis & aliis uetustiss. codicibus restituti sunt.

Lectio vulgaris.	*Castigata.*
EX LIB. I. Dig. *cap. II. de orig. iur.*	
Qui fuit illis tẽporibus, quibus Superb⁹ Demarati Corinthij filius.	Quibus Tarquinius Demarati Corinthij filius. F.
Ibidem § *& cum placuisset.*	
Qui vniuersi de Algido monte.	Qui vniuersi de Algido *expuncta dictione* monte.
Item paulopost.	
Signa in Auentinum mõtem transtulere.	Signa in Auẽtinum trãstulere.
Item.	
Ita populi cõsẽsu partim in carcere necatis, partim in exilium actis: ita respub. suum statum recepit.	In exilium actis. respub. suum statum recepit.
Paulopost.	
Interdum viginti fuerũt, interdum plures.	Interdum seni fuerũt. *ex Budæo.*
Deinde Sext. Aelius.	
Sed plurimi filij eius, ex quibus cæteri oriuntur.	Sed plurimi libri ei⁹. *ex Budæo.*
§ *Denique in illius.*	
Sermone tamen antiquo vsus adfectauit scribere.	Versus adfectauit scribere. *ex Budæo*
Ad fi. cap.	
Iabolenus Priscus.	Priscus Iauolenus.
Item.	
Celso quidem & itẽ Iauoleno Prisco, Aburnius valens.	Celsus quidem & iterũ: Iauoleno Prisco Aburnius valens.
Cap. III. de legib. senat.	
In iis quæ ἐκ παραλόγου ἐπὶ τὸ πλεῖστον accidunt.	In iis quæ ἐπὶ τὸ πλεῖστον accidũt, nõ in iis quę ἐκ παραλό-

ϱαλόγου.*male igitur Haloander & bene Budaus.*

Cap. X I.*de stat. ho.*

Vulgaris	Emendata
Respondit eum, qui viuente patre & ignorante de cōditione filię cōcept' est.	De cōiunctione filię cōceptus est.

Cap. I I. *de adopt.*

Vulgaris	Emendata
Quales sunt spadones adoptare possunt Castrati autem non possunt.	*In* P.*Flo .quatuor vltima verba desunt.*

Cap. X L I I I I. *de adopt.*

Vulgaris	Emendata
Sed si sic adoptauit, vt etiā iure legis nepos suus esset quasi ex Lucio puta filio suo.	Vt tam iure legeq; nepos sibi esset, quàm si ex Lucio. *Ex libro vetustissi.* Dn. *Ranconeti.*

Cap. V I. *de rer. diuis.*

Vulgaris	Emendata
Sed & in alienum locum consentiente tantum domino licet īferre & licet postea ratum non habuerit.	*Dele dictionem* tantū, *& lege,* Et licet postea ratum habuerit. *Ex Pan.F. & Theophilo.*

Cap. I. *de senat.*

Vulgaris	Emendata
Et puto p̄ferri, q̄a maior.	Qua maior.

Cap. X I I. *de off. proc.*

Vulgaris	Emendata
Iudicis dandi ius non habet.	Iudicis dandi ius habet, *Ex Pan.Fl. & Politiano.*

Cap. X I I I I. *de off. praes.*

Vulgaris	Emendata
Quoniam nō tam ad pœnam quàm ad tutelam.	Quoniam tam ad pœnā quàm ad tutelam.

Cap. I I. *de offi. procur. Caes.*

Vulgaris	Emendata
Consulitur Imperatori.	Consulitur Imperator.

Cap. I I I I. *de off. eius cui.*

Vulgaris	Emendata
De suspectis tutoribus possit cognoscere, vt ab iis possessio.	*Coniunge.* Possint cognoscere vt possessio bonorum detur.

EX LIB. II.

Praeponendus est titulus sextus quinto, quem ita dispones & leges.

Vulgaris	Emendata
Si quis in ius vocatus nō ierit, siue per eum cauerit,	Si quis in ius vocatus nō ierit, siue quis eum vocauerit

Vulgaris.	Emendata.
per quem ex edicto nõ debuit.	rit, quem ex edicto non debuit. Tit. v.
Tit. VI. hoc modo legendus.	
In ius vocati vt eant vel ſatiſdent. Tit. VI.	In ius vocati vt eant, vel ſatis vel cautum dent.
Cap. II. ſi quis cautionib.	
Si modo prius id negocium tranſactum.	Si non prius. Sed certe hoc loco mẽdũ eſſe in lib. P. Flor. exiſtimo.
Cap. IIII. eodem Tit.	
Quid ergo hęc exceptio dãnato ꝑderit? reſpõdebit.	Quò ergo hæc exceptio damnato? ſed reſpõdebitur.
Cap. VII. eodem Tit.	
Pręterq̃ ſi reip. cauſſa abeſſe diceret. Seru⁹ enĩ reip.	Abeſſe diceretur ſeruus. Nam ſeruus rei p. cauſſa.
Cap. VIII. de edend.	
Is autem qui in hoc edictum inciderit, id præſtat.	Id non præſtat.
Cap. VII. de pact. ¶ I.	
Si vt maleficiũ fiat promiſſum ſit.	Si ob maleficium ne fiat.
Ibidem ¶ *adeo.*	
Adeo autẽ in bonæ fidei iudiciis pactiones poſtea factæ.	Exceptiones poſtea factę. Exceptio autẽ ſignificat velut appẽdicẽ pactionis quæ pactũ claudit & illi ĩſerĩt.
EX LIB. III.	
Cap. XXXIX. *de procur.* ¶ *eſt & alius.*	
Cũ minor circũſcriptus in vẽditione diceret, q alterius procurator exiſtit, debet cauere.	In venditione diceretur. Alterius procurator exiſtit. Debet cauere hic.
EX LIB. IIII.	
Cap. XI. *de eo quod metus cauſ.*	
Propter ſuam naturam. Quod metus cauſſa.	Propter naturã quod metus cauſſa actionis.
Cap. XIIII. *eodem Tit.* ¶ *Labeo.*	
Et fideiuſſorem nolentẽ dederit.	Et fideiuſſorẽ volentem dederit. Ita ſenſus clarior & caſus

Vulgaris.	Emendata.
	& casus dubitabilior est.

Cap. x x i. *Q si metus, eodem. Tit.*

Vulgaris.	Emendata.
An hoc simile sit accepti lationi.	An hoc dissimile sit acceptilationi.

Cap. v i i. *de dolo malo.*

Vulgaris.	Emendata.
Siue enim accipimus carere dolo emptorem.	Hoc enim sic accipimus.

Item.

Vulgaris.	Emendata.
Quod & ꝓponit̃ nõ inducit̃ in integrũ restitutio.	Et qđ minor ꝓponit̃ non ĩducit ĩ itegrũ restitutioné.

Cap. v i i. *de capite minutis.*

Vulgaris.	Emendata.
Que in alieno iure personis positis non deferuntur.	Personis positis deferũtur.

Cap. i i i. *de recept. arbitris.*

Vulgaris.	Emendata.
Non tantũ quod studeat lites finiri, verum quoniam non debeant decipi.	Non tam quod studeret verum quoniã non deberét decipi.

Cap. x x i i. *eodem. Tit.*

Vulgaris.	Emendata.
Nõ cogetur arbiter sententiã dicere, nisi pœna cõpromissa sit.	Sententiã dicere, si pœna cõmissa sit. Hoc idé significatur. c. x x x i i i i. quia solutum est arbitrium.

Cap. vlti. nautæ, caupo.

Vulgaris.	Emendata.
Et quid si quis sit ex iis quos vulgo *μεσοναύτας* Græci *ναυ̃τεπιβάτας* dicũt?	Et quid si quis quos volgo *ναυτεπιβάτας* dicunt? id est ex iis qui remum pro naulo exercent.

EX LIBRO V.

Cap. x x. *die iudiciis.*

Vulgaris.	Emendata.
Quamuis ex caussa crediti debeatur.	Quamuis non ex caussa.

Cap. x x x v i i. *de iudiciis.*

Vulgaris.	Emendata.
Diuus Adrianus τῷ κοινῷ συγκανουσίων rescripsit.	Diuus Adrianus τω κοινῷ τῶν θεσσάλων. id est cõmuni Thessalorum.

Cap. l i i i. *eodem.*

Vulgaris.	Emendata.
In certis caussis aduersus dominos.	Vix certis caussis.

Cap. i. *de inoff. test.*

Cognati

Vulgaris.	Emendata.
Cognati enim ꝓximi qui ſunt vltra fratrem.	Cognati enim proprij.
Cap. V I. *eodem. Tit.*	
Si in vtero mortis eorum tempore non fuiſſet.	Si in vtero fuerit mortis eorum tempore,
Cap. X I. *eodem.*	
Etiã ſi querela inofficioſi teſtaméti non obtinuerit.	Teſtamenti obtinuerit.
X X V I I I. *de petit. hæred.* ℣. *adeo.*	
Marcellus lib. 4. Digeſt. tractat. num teneatur.	num non teneatur.
Item.	
An ſicut is, qui hæres non erat.	Nam et ſi is, qui cùm hę-res non erat.
Paulopòſt.	
Sed in propoſita quæſtione tribus deciſionibus relatis, vna primò, deinde alia.	Tribus viſionib⁹ relatis, vna prima, deinde alia.
EX LIB. VI. *de rei vindicatione.*	
Sed ſi cui in diem addictus ſit fundus, antequã addictio facta ſit.	Antequam adiectio facta ſit, quid ſit adiectio, inferius dicam.
EX LIB. VII. *Cap.* X I I. *de vſufr. earum re. q. vſ. conſ.*	
Quanquã non aſcriptum ſit, vt vſum eius Titius haberet, propriè tamen ei legatũ eſſe vſumfructum.	Quanquam adſcriptũ ſit, vt vſum ei⁹ Titius haberet, proprietatem, tamen ei legatum & vſus mentioné factã.
Cap. I I I I. *de vſu & habitu.*	
Procul⁹ aũt de inquilino notat, nõ velle ĩqlinũ dici.	Nõ bellè inquilinũ dici.
EX LIBRO VIII. *Cap.* V I I. *de ſeruit.*	
Ius cloacæ admittendæ ſeruitus eſt.	Ius cloacæ mittendæ.

Tranſpone ſeptimum & octauum caput.

Cap. X X I. *tituli de Seruitutibus, eſt caput primum tituli ſequentis, cuius initium eſt, Si intercedat.*

Vulgaris.	Emendata.
Cap. XVI. de seruitutibus vrb. præd.	
Si fortè κατὰ αἰάκλασιν lumē in eas ædes deuoluat.	Si fortè κατὰ ἀντανάκλασιν vel pressura quadam lumē in eas ædes deuoluatur. F. id est, p reuerberationē.
Cap. XXXI. de seruit. rustic. præd.	
Tria prædia cōtinua triū dominorum obiecta erant.	Dominorum adiecta erant.
Vnius prædij domin⁹ ex suo fundo in imum fundum seruitutem aquæ quæsierat.	Imi prædij dominus ex summo fundo imo fūdo seruitutem aquæ quæsierat.
Cap. VI. communia præd. ¶. Item si duo.	
Neutris seruitutē vel acqrere, vel īponere nō posse	Imponere me posse.
Cap. X. eodem tit.	
Nec ipsi vēditori pficit.	Prospicit.
Cap. IIII. Si seruit. vind. ¶. Si quis.	
Actúque reficiendo competit, non competit tamen, si silice.	Actúque reficiendo competit, non tamen, si silicem.
Cap. X. eodem.	
Et generaliter quicūque ne aquā ducerem impediet.	Quicunque aquam non ducere impediunt.
Cap. XVII. quemadmodum seruit. amitt.	
Non ierit ad fontem.	Ierit ad fontem.
EX LIB. IX.	
Cap. XIII. ad legem Aquil. ad finem.	
Si modo post mortē serui agnouit legatum.	Si non post mortem serui.
Cap. LII. ¶. tabernarius. eodem.	
Consulebat num damnū iniuria videretur dedisse.	Num damnū iniuria non videretur dedisse.
EX LIB. XI.	
Cap. XI. de interrogat. in iure fa. ¶. Celsus.	
Celsus itaq; scribit licere respondenti pœnitere, si nulla captio ex eius præsentia sit actori.	Licere responsi pœnitere, si nulla captio ex ei⁹ pœnitentia sit actori.
Cap. XVI. eodem tit.	

Vulgaris.	Emendata.
Quamuis iure poſtliminium poſſit interim nos efficere dubitare,attamen.	Quamuis iura poſtliminiorum poſſint efficere dubitare nos,attamen.
Cap. I. de ſer.cor. ad fi.	
Aut amator exiſteret,vel errori,vel malis artibus eſſet deditus.	Vel erro,vel malis artib'
Cap. XIIII. eod.ad finem.	
In hac actione extra rem duplum eſt.	Non extra rem duplum eſt.
Cap. I. de aleatoribus.	
Solũmodo pœnalẽ actio nẽ negatã.quod puto verũ.	Quod non puto verum.
EX LIB. XII. *Titulus. I.*	
Si certum petatur condi ctione.	Si certum petatur, & de condictione.
Cap. II. ℣.creditum.	
Creditum ergo à mutuo differt quo genus à ſpecie.	Quà genus à ſpecie.
Cap. IIII. eodem tit.	
Etiã fructus ex iuſta cauſ ſa percepti cõdicendi ſunt.	Ex iniuſta cauſſa.
Cap. IX. eodem tit.	
Cui fideicommiſſaria hæ reditas.	Cui fiduciaria hęreditas, *ſed hic pro fideicommiſſaria acci pitur.*
Cap. XLII. ℣.Si fideiuſſor.de iureiurando.	
Si fideiuſſor iurauerit ſe dare oportere.	Se dare non oportere.
Cap.vlt. ℣.item quæſitum,de condict.indeb.	
Item quæſitum eſt an pa ctum quod in pactionibus adſcribi ſolet.	quod in pariationib' adſcri bi ſolet.
EX LIB. XIII.	
Cap. II. ℣. Scæuola.de eo quod certo loco.	
Et ideo nec eſſe locum. Qui Stichum aut Pamphilum promittit.	Et ideo eum, qui Stichũ aut Pamphilum promittit.
Cap. III. commodati.	

Vulgaris.	Emendata.
Sæpe etiam ad hoc commodantur pecuniæ vt ditis gratia numeratiõis loco intercedant.	Vt dicis gratia numeratiõis loco intercedãt, id est ostentationis. Ita Varro libro deLingua Lat.& Cice. in Verrem vtitur.

Cap. V I. ℣. *Si me.* *eodem tit.*

Nam & lancem videri cõmodatam, quare eam quoq; præstandam.	Quare culpam in eã quoque præstandam.

Cap. X X I I I I. *de pig. act.* ℣. *si vendiderit.*

Quod si accepit iã pecuniã, nec superfluũ reddit, in pignoraticio iudicio venit. Quemadmodum & si res pignori datas malè tractauit.	Quod si accepit iam pecuniam, superfluum reddit. In pignoratitio iudicio venit, & si res pignori datas malè tractauit.

Cap. X L I I I. *eodem tit.*

Vt instrumentum à se traditum auctionis exhiberet.	Auctoritatis exhiberet.

EX LIBRO XIIII.

Cap. I. ℣. *igitur de exercit. act.*

Quędam enim naues onerariæ, quædam vt ipsi dicũt ἐπιβάδες sunt.	Quædam vt ipsi dicunt ἐπιβατηγοὶ sũt, id est vectoriæ.

Cap. I I. *de lege Rhod. in princi.*

Imò & si nõ retineat merces magister.	Imò & si retineat.

Cap. V. ℣. *sed & si. de instit.*

Idẽ ait si libitinarius quẽ Græci κτόριστω vocant.	Quẽ Græci νεκροθάπτας vocant, id est sepultorẽ mortuorum.

Cap. V I I. *ad fi. de tributor.*

Sed & si mercem perire passus est aut eam euertit, aut vilius data opera.	Aut eam auertit, aut vilioris data opera distraxit.

Cap. I I I I. *ad finem de senat. Maced.*

Tamen quia pecuniæ numeratio non concurrit, cessat senatusconsultum.	Tamen quia pecuniæ numeratio concurrit.

Cap. X I I I. *eodem tit.*

Vulgaris.	Emendata.
Tamen & si opposita exceptione condemnati sunt.	Tamen etsi non opposita exceptione.

EX LIBRO XV.

Cap. VII. *de peculio.*

Sunt quidam (inquit) qui putant peculium seruum habere non posse.	Si vt quidam (inquit) putãt peculium seruus habere non potest.

Cap. XXI. §. I. *eodem tit.*

Et puto si soluendo tutor non sit, præstare pupillũ ex dolo eius.	Si soluendo tutor sit.

Cap. I. *de in rem verso.*

Si hi, q in potestate sunt aliena, nihil in peculio habeant: in solidum tamen tenentur.	Nihil in peculio habent, vel habeant quidem non in solidum tamen, tenẽtur qui.

Cap. XIII. *eodem tit.*

Quam sententiam libro duodecimo Digestorum Iuliani Marcellus notat. Interdum & propter hoc.	Quam sententiam puto veram. XIIII. IVLIANVS *lib.* XI. *Digestorũ.* Marcell⁹ notat. Interdũ & propter hoc.

Sũt enim in P.F. *capita duo distincta, quæ temerè ab aliquo coniuncta sunt. Deinde separata sunt verba huius capitis & trãslata in caput sequens, quæ tamẽ ita sunt prioribus adnectenda.* Quid enim dicemus si peculium seruo ab altero ademptum fuerit? Paulus. Ergo hæc quæstio ita procedit, si de peculio agi non potest. *Sequitur dein caput* XV. *Si filiusfamilias.*

Cap. I. *Quod iussu.*

Neq; hoc dicit ideo qđ non teneatur ex caussa fideiussionis.	Neque hoc dicit ideo qđ teneatur.

EX LIBRO XVI.

Cap. VIII. §. *si mulier. ad Sen.* Vell.

Proinde secundum hanc suam distinctionem, in Primi fideiussione, vbi quasi debitrix delegata est.	Proinde secundum hanc suam distinctionem in prima visione.

Cap. XIII. *ad fi. eod. tit.*

Vulgaris.	Emendata.
Quod enim bonũ eſt expectare conditioné vel dié?	Quò enim bonum eſt.

Cap. XV. ad fi. de compenſat.

Quo conuenerit, pecuniã non dari.	Quo conuenerit pecuniã datuiri.

Cap. XXVI. ad fi. de poſ.

Item κυροτροφείων decé. Ité ex ratione patris veſtri decem & quod excurrit	Item quos τροφήματι, decem, *id eſt in alimentum.*

EX LIB. XVII.

Cap. VIII. §. ſi tutores mandati.

Nam & ſi non mãdaſſent tenerentur tutelæ.	Nam & ſi mandaſſent tenerentur tutelæ. *Ranc.*

Cap. XXIX. §. in omnibus. eodem tit.

In omnibus autem deciſionib', quę propoſitę ſunt.	In omnibus autem viſionibus, quæ propoſitæ ſunt. *Quid ſit viſio ſuprà dixi.*

Cap. XXXIIII. ad fi. eod. tit.

Si verò nõ perinde mandati agendum ſit.	Si verò perinde mandati agendum ſit.

Cap. LVII. eodem tit.

Et venalitiarium ex prouincia reuerſum Publiciana actione inutiliter acturum.	Publiciana actione non inutiliter acturum. *Ita habet vetus codex Ranconeti.*

Cap. XXXVI. pro ſocio.

In cuius locum ſucceſſit, licet ſocius non ſit.	Licet ſocius ſit.

Cap. LII. §. ſi in coeunda. eodem tit.

Aut agrũ pollicitori damus, in commune quærẽdis fructibus.	Aut agrum politori damus.

Eodem cap. §. idem reſpondit.

Finge enim hoc malle eũ, ſuum non cõſequi, quàm dominium inſulæ.	Malle eum magis ſuum conſequi, quàm dominium inſulæ.

EX LIB. XVIII.

Cap. XL. in prin. de contra. emp.

Et ſi in dieb' triginta nõ renunciaſſet, minorem modum agri eſſe.	Et ſi in dieb' triginta renunciaſſet.

Eodem cap. ℣. *sequenti.*

Vulgaris	Emendata
Cæterùm, secundum verba nõ esse actũ, quod ex stipula. nasceretur.	Cæterùm secundum verba esse actum.

Cap. L X V I. *eodem tit.*

Vulgaris	Emendata
Quædã ita demũ si códucta sint, veluti viam, iter, actũ, aquæductũ præstaturi.	Quædã ita demũ si dicta sint, velutiviam, iter, actum, aquæductum præstatuiri.

Cap. I I I I. *de in diem addictione.*

Vulgaris	Emendata
An partus vel fructus eius nomine addictio admitti possit? Et negat admittendam addictionem, quia alterius rei, quàm eius quæ distracta est, nõ solet addictio admitti.	Adiectio admitti possit? Et negat admittendam adiectionem, quia alterius rei, q̃ eius quæ distracta est, nõ solet adiectio admitti.

Cap. X. *eodem tit.*

Vulgaris	Emendata
Nisi addictio recipiatur.	Nisi adiectio recipiatur.

Cap. X I. *eodem tit.*

Vulgaris	Emendata
Dũ vel prima, vel secunda, vel tertia addictione res à venditore discedat.	Vel tertia adiectione.

Paulò post.

Vulgaris	Emendata
Admiserit addictionem.	Adiectionem.

Cap. X V. *eodem tit.*

Vulgaris	Emendata
Quasi melior cõditio allata non.fit: si minoris, non.	Quasi melior conditio allata non sit si minoris sint.

Cap. X I X. *eodem.*

Vulgaris	Emendata
Fundo in diem addicto si postea precium addictũ sit.	Precium adiectum sit.

Cap. V I I. *de hæred. vel act. vend.*

Vulgaris	Emendata
Quæ si non est, non contrahitur emptio, & ideo precium condicetur.	Quæ si non est contrahitur emptio.

Cap. X X I. *ad si. eodem tit.*

Vulgaris	Emendata
Nã si sine culpa desiit possidere véditor, actiões suas.	Nã si sine culpa desiit desinere véditor, actiões suas.

Titulus.

Vulgaris	Emendata
De rescindenda véditio-	De rescindenda véditio-

Vulgaris.	Emendata.
ne, & quando non liceat ab emptione discedere.	ne,& quando liceat.

Cap. vlt. de resc. vend. ad fi.

Cum per emptoré staret quo minus fieret non posse.	Cum per emptorem non staret.

EX LIB. XIX.

Cap. XXI. ℣ quamuis de actio. emp.

De qualitate autem dissentiam⁹ emptioné nõ esse.	Emptionem esse.

Cap. LIIII. c ir. med. eodem Tit.

Quod si hoc exceptũ fuerit, tamen potes ei seruo.	Tamé nõ potes ei seruo. Ex Cod. Medicus.

Paulopost.

Quàm imperaturus non fuisses si nõ venisset.	Si venisset.

Cap. XV. ℣ vbicunque locati.

Denique supra damnum seminis ad colonũ non pertinere declaratur.	Ad colonũ pertinere declaratur.

Cap. XXXVI. ad fi. eodem Tit.

Locatoris periculo non est nisi aliud actum sit.	Locatoris periculo est nisi aliud.

Cap. XVII. & XVIII. tituli de præscriptis verbis coniungenda sunt hoc modo.

Actio auté ex hac caussa erit vtiq; præscriptis verbis. Papinianus lib. 8. quæstionũ scripsit. Si ré tibi inspiciendã.

EX LIB. XX.

Cap. XXXIIII de pignoribus cum sequenti coniungendum est, vbi ait.

Pignori obligata esse vidétur XXXV. δανεισάμενος παρά σοῦ &c.	Pignori obligata esse videntur. Idé quæsiit cum epistola talis: missa sit δανεισάμενος παρὰ σοῦ. *Illa enim epistola Græca nouum caput non facit.*

Cap. IIII. quib. mod. pign. vel.

Idem erit probãdum eũ velle. Quæritur si fortè véditio.	Idem erit probandũ. Belle quæritur si venditio.

EX LIBRO XXI.

Vulgaris	Emendata
Cap. I. ad fi. de ædil. edict.	
Sicuti nec si aliquãdo febrem.	Sicuti si aliquando.
Paulopost.	
Et si plurifariam id factũ esset.	Et si per luxuriã id factũ esset. *Quo loco malè Bud. plurifariam correxit.*
Cap. VI. eodem tit.	
Qui vnũ testiculũ habet, qui etiã generare nõ possit.	Qui etiam generare possit.
Cap. XIIII. circa med. eodem tit.	
Redhiberi posse. Et veri⁹ est quod Pedius. Idem ait si vua alicuius præcisa sit.	Redhiberi posse. & veri⁹ est. Quod Pedius idem ait si vua præcisa sit.
Cap. XXIII. post prin. eodem titulo.	
Nihilo plus cõsequatur, quàm haberet si venditio facta non esset.	Quàm si non haberet, si venditio facta non esset.
Cap. XXV. circa med. eodem tit.	
Aleator fortè, vel vinarius, vel erroneus	Vel erro euasit.
Cap. LV. de euictione.	
Magis enim propter absentiam euictus videtur.	Magis enim propter absentiam victus videtur.

EX LIBRO XXII.

Vulgaris	Emendata
Cap. IIII. de nauti. fœno.	
Pro operis serui traiecticiæ pecuniæ gratia secuti. Quod in singulos dies ĩ stipulatum deductum est ad finem, non vltra duplum centesimæ debetur.	Taiectitię pecunię gratia secuti, quod i singulos dies in stipulationem deductum est: ad finem centesimæ, non vltra duplum debetur. *Et ita malè Budæus hoc loco correxit.*
Cap. XXV. de probat. ℒ. in omnibus.	
In omnib⁹ aũt decisionibus, quas proposuimus.	In omnib⁹ aũt visionib⁹. *Vt suprà pluribus locis.*
Cap. IX. post prin. de iuris & fact. ig.	
Et ideo dies ei additionis non cedit.	Et ideo dies ei actionis cedit.

Eodem cap. ad finem.

Vulgàris	Emendata
Legis Falcidiæ beneficio vsi non sint, nec possint repetere.	Vsi non sint, possint repetere.

EX LIBRO XXIII.

Cap. XLVI. de iure dot.

Vulgàris	Emendata
Quãdiu dominus vel pater ratam promissionem vel traditionem non habuerit.	Ratam promissionem vel donationem habuerit.

Cap. XLVIII eodem tit.

Vulgàris	Emendata
Videri possit dos ex ea obligatione non deberi.	Ex ea obligatiõe deberi.

Cap. XXVI. de pact. dot. circa med.

Vulgàris	Emendata
Conuenit vt mulier viri sumptib⁹ quoquo iret, quoquo veheretur, vteretur. atque ideo.	Viri sumptibus quoquo iret, veheretur: atque ideo.

Paulopòst.

Vulgàris	Emendata
Prouinciam in qua centurio morabatur, petit.	In qua centurio merebat, petit.

EX LIBRO XXIIII.

Cap. III. de donat. inter virum & vxorem post prin.

Vulgàris	Emendata
Vel prouincialis mulier ei, qui ibi moretur.	Ei, qui ibi meret.

Cap. XXIIII. §. si maritus soluto matri.

Vulgàris	Emendata
Si verò & in suos, licet natura. adhuc dicendum est.	Si verò & in suos est natura talis.

EX LIBRO XXV.

Cap. V. ad fi. de impen. in rebus dot.

Vulgàris	Emendata
Quæque ré mulieris meliorem reddunt.	Rémque meliorem vxoris fecerit.

Cap. I. §. idem Iulianus *de ag. lib.*

Vulgàris	Emendata
Cæterùm si esset, satis iniuriosum ait. Si quis longo tempore abfuerit.	Cæterùm si esset, satis iniuriosum esse ait, si quis longo tempore abfuerit. *Quo loco non malè aliqui legunt* Si cesset.

EX LIBRO XXVI.

Cap. X. de tutelis.

Vulgaris.	Emendata.
Etiam municeps tutor dari poteſt.	Etiam non municeps tutor dari poteſt, dummodo municipi detur.
Cap. I I. de confirm. tuto.	
Aut cui non poteſt dari, veluti filio non exiſtenti in poteſtate.	Aut cui datur, dari non poſſit. *Hoc enim verba Græca ſignificant.*
Cap. X I I. ad fi. de tuto. & cura.	
Quoniam tum minorib⁹ annis deſiderãtibus curatores dari ſolẽt. Si curator patronus petatur.	Quoniam tamen minoribus annis deſiderantibus curatores dari ſolẽt, ſi curator patronus.
Cap. X X I. circa med. eodem tit.	
Prohiberi eum eſſe tutorem manente epitimia.	Prohiberi eum eſſe tutorem ſalua exiſtimatione. *Id enim verbum Græcum ſignificat.*
Paulò poſt.	
Si præfectorium hominem in legatione exiſtẽtem Romanus princeps dederit tutorem.	Si prouincialem hominẽ in legatione exiſtentem magiſtratus Romæ dederit tutorem.
Cap. X X I I. eodem tit.	
Et qui non ſunt cõſiliarii cõſiliariorum filiis tutores creãtur, ſicut & cõſiliarij iis qui non ſunt ex conſiliariis.	Et qui non ſunt decuriones, decurionum filiis tutores creantur, ſicut & decuriones iis, qui non ſunt ex decurionibus.
Cap. I I. §. curatores qui petant tut.	
Et Vlpianus egregiè ita ſcribit, non decere alium ei petere, ſed ipſum ſibi ipſi, & apud Paulum lib. nono Reſpõ. ita relatum eſt. Curatorem ignorante.	Sed ipſum ſibi ipſi. Et apud Paulum libro nono Reſponſorum ita relatum eſt. Curatorem ignorante.
Cap. I I I. §. ſi non erit. de ad. tut.	
Vt diſtribuatur inter eos adminiſtratio, vel in partes vel in regiones. & ita ſi diuiſa fuerit.	Vt diſtribuatur inter eos adminiſt. I I I I. Idẽ lib. I X. ad edic. Vel in partes vel in regiones. Et ſi ita diuiſa fuc.

Cap. L I I I I. *incipit.tres tutores.post prin.eodem tit.*

Vulgaris	Emendata
Non est propterea dempta actio quod ab vno iam exacta est.	Non est propterea cæteris pœnæ deprecatio *id est, Excusatio pœnæ. verbo antiquo & eleganti.*

Cap. L V I I I. *qui negociationem.* ℣.j.*eodem tit.*

Vulgaris	Emendata
Si fœnori dare (cùm potuisset) non neglexisset.	Cùm potuisset, neglexisset.

Cap. v. *de suspect.*

Vulgaris	Emendata
Quàm tabulas cautionis habere.	Quàm tabulas rem saluã fore cautionis habere.

EX LIBRO XXVII.

Titulus primus.

Vix dici potest quàm corruptè hunc nobis titulũ ediderat Heruagius, sed Antonii Augustini admonitione sua integritati diligẽti illius interpretationis cũ Græcis collatione, quæ deerant, suppleuimus. Ad hæc sexcẽta menda, quæ singulis ferè versib. obrepserant, sustulimus. Quòd si nostris dictis fidẽ libenter non adhibuerit, conferat nostram cum sua editione, & lapsus suos agnoscet. Piguit enim nos huc eos adferre, quos multæ paginæ non caperent.

Vulgaris	Emendata
Legato Lugdunẽsi. Claudius Marcus.	Legato Lygdonẽsi. Claudius Macer.

Cap. X X X V I I. *in fi.eodem tit. de excu.tut.*

Vulgaris	Emendata
Vtilem actionem dãdam.	Vtilẽ actionẽ nõ dandam.
Titulus, de tutelæ & rationibus distrahendis.	De tutelæ & rationibus detrahendis. Et *ita passim hoc titulo pro distrahendis, emenda detrahendis.*

Cap. I. ℣.*planè eodem tit.de tut.& rationib.*

Vulgaris	Emendata
Vsqueadeo autẽ ad contutores nõ venitur, si soluendo tutores nõ sint, vt prius ad magistratus.	Si sint soluendo contutores, vt prius ad magistratus.

Eodem *Cap.ad finem.*

Vulgaris	Emendata
Nec em̃ eadẽ est obligatio furti ac tutelæ: vt qs nõ dicat plures esse actiones.	Vt quis dicat plures esse actiones.

Cap. I I I. *ad med. de contra.tute.*

Vulgaris	Emendata
Quę cõcurrit cũ quanti-	Vt eius summę vsuras nõ

Vulgaris.	Emendata.
tate ſibi debita, vt eius ſummæ vſuras præſtet.	præſtet.

Cap. I I. *de eo qui pro Tit.*

S is qui pro tutore negocia gerebat cum tutor eſſet.	Si is qui ꝑ tutore negocia gerebat, cum tutor non eſſet.

Cap. V. *de reb. eorum.*

Etenim ſi quaſi pupillaris diſtractus eſt venditio non valet.	Ea enim quæ quaſi pupillaris verò diſtractus eſt, vẽditio valet Cod. Med. *non habet* vero.

Eodem Cap. paulopoſt medium.

Itemq́ue (ſi opus ſit) pupillarium bonorum aduocatum pupillo dare.	Itemq́ue ſynopſin pupillarium bonorum, aduocatũq́ue pupillo dare.

EX LIBRO XXXVIII.

Cap. X X. *qui teſt. fa. poſſ.* § *qua autem.*

Teſtimoniũ quoq; quod ante furorem conſummauit valebit.	Teſtamentum quoque.

§ *Sequenti.*

Ad teſtamentum adhiberi non poſſe exiſtimo.	P. F. *habent* adhiberi poſſe exiſtimo. *Sed arbitror hoc loco mendum ineſſe.*

Cap. I X. *de lib. & poſt* § *ſi filium.*

Rumpit enim his caſibus nepos teſtamentum. Quod moriente auo filius pependerit, nec abſciſſum.	Nepos teſtamentum ꝙ moriente auo filij ius pependerit non abſciſſum.

Cap. X I I I I. § *quod vulgo. eodem* Tit.

Ideoque ſi filio & Titio hæredibus inſtitutis, Titius & Mæuius ſubſtitutus ſit.	Et Titio hæredibus inſtitutis, Titio Mæuius ſubſtitutus ſit.

Cap. X X I X.

Piguit item nos etiam hoc loco mendas enumerare, tu ſi voles conferas cum vulgaribus.

Cap. I I I. *de iniuſt. rup.*

Sed & ſi ſtante hoc aliud teſtamentũ à quo poſthum⁹	Sed & ſi ſit ante hoc aliud teſtamentum à quo poſthu-

Vulgaris	Emendata
exhæredatus nõ ſit, factum ſit.	mus exhæredatus ſit.

Cap. XIIII. *eodem tit.*

Vtriſque natis rumpitur teſtamentum.	Vtriſque natis nõ rumpitur teſtamentum.

Cap. XVII. *de hæred. inſti ad ſi.*

Hic non in alium dupondium.	Hic non in alium aſſem.

In fine cap.

Sed & Ariſto & Paulus ſcripta Labeonis probauerunt, próque probabilib⁹ accepit Vlpianus, quæ ab eis notata non ſunt.	*In* P.F. *hæc verba deſunt, & eorũ loco hæc ſcripta ſunt.* Nec Ariſto nec Aul⁹ vtpote ꝓbabile notant.

Cap. XIX. *eodem tit.*

Si mihi Seius hæres non erit.	Si mihi Seius hæres'non' erit. *In* P.F. *ſupra particulam non eſt nota expunctionis,'' vt vides.*

Cap. XXXVIII. *eodem tit.* ℣. *Cùm venditor.*

	Diſtinguenda ſunt capita.
Qua ſeruus cohæredem habuerit, id eſt partem dimidiam ſerui.	Qua ſeruus cohęredẽ habuerit. XXXIX. Marcian⁹ lib. II. Regula. Id eſt partẽ dimidiam ſerui.

Paulò poſt. ℣. *Iulianus.*

	Fac nouum caput.
Iulianus. ſi paterfa. Titiũ hæredem.	XL. Iulianus li. XXX. Digeſt. Si paterfa. Titium.

Cap. II. *in prin. de vulg.*

Si modo eum in locũ nepotis adoptauerit vel adrogauerit, filio præcedente.	Vel adrogauerit præcedentes. *Ita correximus ex lib. vetuſtiſſimo domini* Ranconeti *clariſſimo verborum ſenſu.*

Cap. VIII. ℣. *Labeo.*

Fac ex hoc thematio nouum caput hac inſcript. IX. Labeo lib. I. Poſter. à Iaboleno epitomatorum. Si pater filio.

Thematium etiã ſequens fac caput. X. Vlpianus eodem libro IIII. ad Sabinum. Sed ſi plures.

EX LIBRO XXIX.

Cap. VII. *de milit.testa.*

Vulgaris.	Emendata.
Et si ignorauerit prægnãtem vxorem, vel cum prægnantem scierit.	Vel non fuit prægnans.

Cap. X. *eodem tit.*

Vulgaris.	Emendata.
Facere testamentum miles in hostium potestate posit*, nec iure militari potest.	Miles hostium potitus. *Id est captus ab hostibus. quod nec Budæus quidem intellexerat.*

Cap. XXVI. *circa med.eodem tit.*

Vulgaris.	Emendata.
Quod inde seruari potuisset præstare.	Quod inde seruari non potuisset præstare.

Cap. LX. *de acqui.hæred.*§*.si minor.*

Fac nouum caput. LXI. Macer.lib. II de officio proconsulis. Si minor annis.

Cap. XXV. *si quis omis. ca.*

Vulgaris.	Emendata.
Et quia hæres est, & quia omissa.	Et quã hæres est, & quã omissa.

Cap. I. §*.excusantur.de senat.Syllani.*

Vulgaris.	Emendata.
Nam si finxit se auxilium ferre, vel ditis gratia tulit.	Vel dicis gratia tulit.

Cap. III. §*.vtrum.eodem titulo.*

Vulgaris.	Emendata.
Vtrum autem is solus videatur vindicasse vel arguisse.	Vtrum autem is solus videatur indicasse vel arguisse. *Vide ca.197.de verb.signi.*

EX LIBRO XXX.

Cap. I. *de leg.* I.

Ita habent. P. F. Vlpianus lib. LXVII. ad edictum. Per omnia exæquata sunt legata fideicommissis. *Malè igitur Alciatus & Viglius asserunt caput illud Pandectis deesse.*

Cap. IX. *eodem tit.*

Vulgaris.	Emendata.
Id quod apud hostes est, legari non posse Octauenus scripsit.	Legari posse Octauenus scripsit.

Cap. XLIII. *eodem tit.*

Vulgaris.	Emendata.
Senat* enim ea quæ sunt ædium legari non permisit.	Legari permisit.

Cap. LIII. *in med.eodem tit.*

Vulgaris.	Emendata.
Puto teneri non vt carnẽ	Non vt carnem præstet

Vulgaris.	Emendata.
præstet vel cætera: sed vt precium.	vel cætera λείψανα: sed vt.

Cap. L V I I I. *eodem tit.*

Et ædificiorum ætatib⁹ examinatis respōdi Vlpiano: si modo nulla.	Et ædificiorum ætatibus examinatis respondi. L I X. Vlpianus lib. X X X I I I. ad edictum. Si modo nulla.

Cap. L X. *eodem.*

Quod si nulla ratione facta domum tradidisset.	Quod si nulla retentione facta.

Cap. L X X I X. *si quis.*

Ex thematio apud Iulianum fac nouum caput. L X X X. *& ex thematio sequenti.* L X X X I.

Cap. L X X X V I I. *filio pater.*

Qui iustis rationibus voluit negociis hæreditariis implicari.	Qui iustis rationibus noluit.

Cap. C X I I I. *filiusfa. §. vt quis. eodem tit.*

Quatenus hæreditas testatoris pateretur. Secūdum vulgarem formam iuris & si liberos.	Pateretur secundum vulgarem formam iuris. Sed si liberos.

EX LIBRO XXXI.

Cap. X I I. *si alienum. de legatis secundo.*

Sed nec seru⁹, quia rogatus dominus est.	P.F. quia rogat⁹ est. *Sed Cod. Medic. & Mar.* quia rogatus non est. *qua lectio mihi magis arridet.*

Cap. L X V I. *Mæuius in prin. eod tit.*

Debitor autem non semper quod debet iure legat.	Debitor autem semper quod debet iure legat.

Paulo post.

Sed si pars fundi simpliciter, nō quę Mæuij fuit legetur: solutio prior perimit alteram actionem.	Solutio prior non peremit.

EX LIBRO XXXII. *Cap.* X I.

§. si rem suam. de leg. I I I.

Sed debitor vltro pecu-	

Vulgaris.	Emendata.
niam obtulerat quam offeréte ipſo non potuit nō accipere.	Quam offeréte ipſo non potuit accipere.

Cap. XXIX. ¶ *ſi Stichus.eod.tit.diuide vnum caput in duo.*

Magis puto conuenire. XX. *Idem lib.* II. poſterio.à Ia bol.epitomato. Qui quatuor.

Ad finem.

Debitum iri.	Debituiri.

Cap. XXXV. *etiam diuidendum eſt ex thematio apud Scæuolam.fac. Cap.* XXXVI.

Cap. XXXIX. *in fi.*

Quæſitum eſt an viginti præſtari deberent? reſpondi non eſſe præſtanda.	An viginti præſtari non deberent? reſpondi nó eſſe præſtanda.

Cap. XLII. ¶ *concubinæ.eod.tit.*

Quæſitum eſt an nepotes quoque villico & contubernali eius teſtator ad concubinam.	Nepotes quoque villici & cótubernalis eius . id eſt vxoris.nam propriè vxoris nomen inter ſeruos non vſurpabatur.

Cap. LII. *librorum* ¶ *ſi Homeri eodem.*

Si Homeri corpus ſit legatū & non ſit plenū: quātæcumque partes inueniātur debentur.	Quantæcūq; rhapſodiæ inueniantur debētur. Ita enim Homerus libros ſuos vocauit.

Paulo poſt ¶ *quod tamen.*

Quod tamé Caſſius ſcripſit de membranis non puris, verum eſt.	Quod tamen Caſſius de mébranis puris ſcripſit, verum eſt.

Cap. LIII. *ſi tibi.eodem tit.*

Luci⁹ Titius plebi quina dedit hoc ampli⁹ Seius. huiuſcemodi enim ratione quina Seium quoque dediſſe intelligimus.	Hoc amplius Seius viſcerationem, quina Seium quoque dediſſe intelligimus.

Cap. LX. *cum quæreretur.ad med.eod.*

Vulgaris.	Emendata.
Habiturus vſui ipſe & hæres eius.	Habiturus vſioni . *quod verbum olim in vſu erat eadē ſignificatione.*

Cap. I X X.*ſi cui lana.eodem.tit.*

Si cui lana legetur: id legatum videtur quod tinctū non eſt.	Quod tinctū nō eſt, ſed ἀυτοφυές.

C.C.*Hæres meus.ad fi.*

Cui Corinthia vaſa legata eſſét, huic abaces quoque eorum vaſorum collocandorum.	Huic βάσεις quoq;.*quod ter hoc theinatio emendabi id eſt baſes ſedes vaſorum.*

EX LIBRO XXXIII.

Cap.vlt.de vſu & vſuf.leg.

Nonnihil intereſt, vtrū bonorum quis.	Nihil intereſt.

Cap. V I.*de optio.vel ele. leg.*

Mancipiorū electio legata eſt, ne venditio quandoq; nō eligente legatario interpellat. decernere debet prætor	Mancipiorum electio legata eſt . Ne venditio quādoque eligéte legatario interpellatur, decernere debet prætor.

Cap. X X X I I I I.*&* X X X V.*de inſtructo & inſt. coniungenda ſunt in vnum.*

Cap. I I I I.*de ſupelle.leg.*

Inſtrumenti ſignificatione rhædæ & ſiliquaſtra in ſupellectili.	Idem lib. ſigulari de inſtruméti ſignificatiōe. Rhedę & ſedularia ſupellectili.

Cap. V I I.*ad fi.eodem.*

Vt maximè nomine vſus ſit quo id appellari non ſolet.	Quo id appellari ſolet.

EX LIBRO XXXIIII.

Cap. X X.*de alim.& cib.*

Contubernalem eius & libertos legauit his quæ viuus præſtabat.	Contubernalem eius & libertos legauit , hiſque quæ viuus præſtabat.

Cap. V I I.*Lucius de auro & argento legato eſt thematium capitis præcedentis.*

Vulgaris.	Emendata.
Cap.XXII.vestimenti.eodem tit.	
Vestimenti id est quod detextum est, & si desertũ non est.	Vestimẽtum id est quod detextum est, & si defectũ non sit, *id est si sit consummatum.*
Cap.XX.de liber.leg.	
Et libero ex pignoribus ne eius domũ & possessionem. caussa perlata.	Et possessionem caperlatam. *Est autem nomen proprium agri. ergo malè Alciat. cum prolatis emendauit.*
Cap.IIII.Paulus in Pand.Flo.non est.	
EX LIBRO XXXV.	
Cap.XXIII.de conditio.	
Iure ciuili receptum est, quoties per eum cuius interest conditionem nõ impleri.	Cuius interest conditionem impleri.
Paulopost.	
Ac si impleta conditio fuisset.	*Cod.Medic.habet* non fuisset.
Cap.LXXI.cum tale eodem tit.	
Non enim voto matris opponi tam ominosa interponendæ cautionis interpretatio debuit.	P. F. non interponendæ cautionis. *Sed Cod. Med.habet* tam onerosa interponẽdæ.
Cap.LXXVI.ad si.eodem.	
Vt moriens filiæ communi decies quinq; restitueret.	Vt moriens filiæ communi decies restitueret. id est decies centena sestertia.
Cap.LXXIX.eas causas.eodem tit.	
Cui datum est vt monumentum non faciat.	Vt monumentum faciat.
Cap.XCIX.Titia.eodem tit.	
Titiæ, si nupserit, ducẽta: si non nupserit, centum legauit. Si nupserit mulier.	Titiæ, si non nupserit, ducenta: si nupserit, centum legauit. Nupsit mu-

Vulgaris.	Emendata.
	lier.
Cap.C X.qui sub.eodem tit.	
Neque expressum rationibus præscripserit.	Neque expensum rationibus.
Cap.L X V I I I.ad leg.Falci.	
Hæreditatum computationis in alimentis faciendæ.	Aemilius Macer lib. I I. ad legem vicesimam hæreditatum. Computationi in alimentis faciendę.
Cap.L X X X V I I I.qui quadringenta.eodem tit.	
Dixi τῶν ἄκρων hanc quæstionem esse.	Dixi τῶν ἀπόρων hanc quæstioné, id est interperplexa.
Cap.L X X X I X.diui.eodem.tit.	
Et vt idoneis hominib⁹ collocetur pecunia.	Et vt idoneis nominibus collocetur pecunia.

EX LIBRO XXXVI.

Vulgaris.	Emendata.
Cap.X X X V I I.ad Sena.Trebell.	
Qui prior Antonino patruo & tutori suo restituerat	Qui Aprio Antonino.
Cap.L X X X I.eodem.	
Cum solus Phœb⁹ egisset, victus est.	Cũ solus Phœbus egisset μονομερῶς, victus est.
Cap.X I X.quando dies replicatione legati.	
Neque centum, quia dies legati non cessit.	Quia dies legati cesserit.
Cap.X X I I.eodem.tit.	
Annorũ quatuordecim non esse intelligitur.	Non esse non intelligeretur.

EX LIBRO XXXVII.

Vulgaris.	Emendata.
Cap.I I I.§ liberi.de bono.poss.cont.tab.	
Quod bonum est ei contra tabulas dari?	Quò bonum est ei.
Cap.X I I.eodem.	
Rectè petet bonorũ possessioné. Si remoto quoq;.	Rectè petet bonorũ possessioné si remoto quoque.
Cap.V.§ si legata.de legat. præstan.	
Nũc tamé ob hoc, quod extraneis non præstantur.	*Codex med.habet.* Nunc tamen non ob hoc.

Cap. XIIII. *eodem.*

Vulgaris.	Emendata.
Cùm præteritus iure suo vtatur.	Iure suo non vtatur.

Cap. I. *circa med. de collat. bon.*

Et puto siquidem per cõtumaciam caueat.	Per contumaciam non caueat.

Titulus de ventre in possessionem mittendo postponendus est titulo de coniungendis cum emancipato liberis. ex P. F.

Cap. VI. *de coniung. cum emanc.*

Quia nõ desiit esse emancipatus ex liberis.	Quia desiit esse.

Cap. III. *de Car. edict. circa med.*

Planè si mater non negat hunc quoq; defuncti filium esse idcircoq; defuncti partem dimidiam hæreditatis solam sibi vendicet.	Planè si mater concedat hunc quoq; defuncti filium esse, idcircóque partem dimidiam hæreditatis.

Cap. II. *in princi. de bon. possess. secundum tab.*

Mox si inde fit occupata, iudiciũ defuncti sequẽdum.	Mox si inde non fit occupata.

EX LIBRO XXXVIII.

Cap. IIII. *de assignatis lib.*

Nec viuus hæreditatem ad se liberti pertinere noluerit.	Vel viuus hæreditatem.

Cap. V. *eodem Tit.*

Quod si sine liberis decesserit: an cum viuo admittatur?	Quod si non sine liberis decesserit, an cum viuo admittantur?

Cap. I. §. *vtrum si quid in fraud.*

Sufficit enim patrono, si nihil de suo in necem eius libertus alienauit: & si non adquisiit.	P.F. non si non adquisiit. *Cod. Med.* non & si non.

Cap. XII. *eodem Tit.*

Quid enim potest videri dolo fecisse, qui fidem suã amico cõmodauit: qua alij quàm sibi ex liberti fraude	Quid enim? Non potest videri dolo fecisse qui fidẽ suam amico commodauit: quã alij quàm sibi ex liberti

Vulgaris.	Emendata.
adquisiit.	fraude adquisiit?

Cap. I. vnde cogn.

Hæc bonorum possessio nondum habet prætoris indulgentiam.	Nudam habet prætoris indulgentiam.

Cap. II. de suis & legit. ¶ vnde.

Vnde vel quæri potest, an post repudiationem.	Vnde bellè quæri potest.

Cap. I. ad Senat. Tertyllia.

Poterit ex hoc senatusconsulto admitti quasi vulgo quæsitus filius, qui mortis matris tempore.	Quasi vulgò quæsitus. filio, qui mortis matris tempore.

Cap. II. ¶ confestim eodem Tit.

Tractari potest si pupillo.	Tractari bellè potest.

EX LIBRO XXXIX.

Cap. V. ¶ sed etsi de oper. noui nunc.

Aequum est nos operis noui nunciatione ius nostrũ nobis conseruare velle. Sextus Pedius definit.	Ius nostrum nobis conseruare. Et bellè Sextus Pedius.

Cap. VII. in fi. verborum prætoris, de damno infecto.

Si ab eo qui in possessione erit, damni infecti nomine non satisdabitur.	Damni infecti nomine satisdabitur.

Cap. XXXIX. eodem Tit. in fi.

In vetere eius cultũ qui non aggrauet.	In vetere, eius cultus, nõ qui non aggrauet. *Sed prius, non, superfluum est meo iudicio.*

Cap. I. ¶ de eo opere in fi. de aqua & aqua.

Sulcos tamẽ aquarios qui Græcè ὑδράυλακας appellãtur.	Qui Græcè ἔλικας.

Cap. IX. de publica. in prin.

Et ideo impleto tempore cõductionis licitatores alloquendi sunt. licitatores vectigalium.	Conductionis ea locãda sunt. Reliquatores vectigalium.

EX LIBRO XL.

Cap. I I I. *¶ si ab ignoto. de manumiss.*

Vulgaris.	Emendata.
Proinde & si ei nummos prorogauit emptor, cum ei paruerit.	Cum ei pariauerit.

Prorogat nūmos, qui de suo soluit, & pariat qui paria facit accepta expēsis.

Cap. V. *de manumiss. vindicta.*

Ego quidem memini Iabolenum præceptoré meū.	Ego qui meminissem Iauolenum.

Paulopost.

Præberet. Et ego exemplum eius secutus.	Præberet, exemplū eius secutus.

Cap. V I. *eodem Tit.*

Quamuis vnus ex sociis caussam non approbauerit.	Caussam approbauerit.

Est aliàs approbare in consilio prætoris adesse vt adsessorem aut iudicem.

Cap. X V I I I. *eodem. Tit.*

Filius quoque voluntate patris apud patrem manumittere non poterit.	Filius quoq; volūtate patris apud patré manumittere poterit. *In* P. F. *eadē clausula bis adscripta priorē versum notis, expunctionis inductum habet posteriorem integrum. Relinquit qui affirmatiue & vere loquitur.*

Cap. L V. *in fi. de manumissu testa.*

Vt preciū perciperet nec conditionem prorogaret.	Vt & preciū perciperet & in cōditioné nō rogaret.

Cap. L V I I. *eodem Tit.*

Vt creditores fraudari non videantur.	Vt creditores fraudari videantur.

Cap. X X V I I. *de fideicom. liber.*

Cū vero is qui rogat' est alienū seruū manumittere.	Cum vero is qui rogatus non est.

Cap. X X X. *ad fi. eodem Tit.*

Sine libertate aliquid ex testamento hæredis accipere non posse.	Hæredis accipere posse.

Vulgaris.	Emendata.
Cap. I I I. *de statuliberis* ℞ *si decem.*	
Si decẽ dare iuss⁹ & liber esse, quiq; det, ad libertatẽ non peruenit, nisi totũ det.	Ad libertatem peruenit. Sed puto mendũ inesse hoc loco.
Paulopost.	
Planè si ei allata fuerit pecunia.	Planè si ei ablata fuerit pecunia.
Cap. I I I I. ℞ *si duobus eodem Tit.*	
An q̃ ex cõtinuatis dieb⁹ trecẽtis sexagita quinq; cõstet, an qui non quibuslibet.	Sexagintaquinq; cõstet, an quibuslibet: id est, nõ cõtinuis.
Cap. V. *qui & à quibus.*	
Libertas ex testamento non competit.	Libertas ex testamento competit.
Cap. X I X. *eodem Tit.*	
Cõpetit libertas data ab eo, qui postea seruus ipse pronunciatus.	Nulla competit libertas data ab eo.
Cap. X L I. *de liberali caussa.*	
Paulus. Liberalis caussa si in obscuro sit.	Paulus lib. singulari de articulis liberalis caussæ. Si in obscuro sit. *quæ verba ab indocto quopiam peruersa sunt.*
Cap. seq. in fi.	
Labeonis hæc verba sũt.	Iauolen⁹. Hæc vera sunt.
EX LIBRO XLI.	
Cap. X X I I I. *de acquir. rerum do.*	
Quod autẽ ex re eius sibi adquirere non potest.	Quod autem nõ ex re eius.
Cap. X X I I I I. *eodem Tit.*	
In omnibus quæ ad eãdẽ speciem reuerti possunt.	Reuerti non possunt.
Cap. L I I I I. *eodem Tit. ad fi.*	
Excepto eo, quod ius est, vt liber homo possidendo vsucapere non possit.	Excepto eo, quod vix est, vt liber homo possidẽdo vsucapere possit.
Cap. L X V. *eodem Tit.*	
Paulus. imò in eo genere insularum est, quo ripa in	Imò in eo genere insularum ripæ flumini, & littora

Vulgaris.	Emendata.
flumine, ripæ autem flumini, & littora mari proxima publica sunt, non secus atq; in continenti agro. Idem iuris est si qua insula.	mari proxima, publica sunt, non secus atque in continéti agro idem iuris est. Si qua insula.

Cap. XXV. de adquirenda vel omittenda possessione.

Vsque eo possideamus donec reuertentes non aliquis repellat.	Donec reuertentes nos aliquis repellat.

Cap. XXXIIII. eodem Tit.

Quando auté in corpore non consenserimus.	Quoniam autem in corpore consenserimus.

Cap. XV. de vsucap. in fi.

Ideoque successores nouam habere vsucapionem.	P. F. ideoque in successoribus locum non habere vsucapionem. *Male igitur Alciat. correxerat.*

Paulopost.

Si seru⁹ qué possidebã fugerit, nisi ꝑ libero se gerat.	Si pro libero se gerat.

In P. F. nullus est titulus qui pro soluto inscribatur, ideoque omnia capita quæ sub eo titulo vulgo habentur, sub titulo de vsucapionibus continentur.

EX LIBRO XLII.

Cap. LX de re iudicata in princ.

Qui cuiq; rei agendę impedimento est litiganti. Quid porrò magis impedimento est.	Qui cuiusque rei agédæ impedimento est. litiganti porrò quid magis impedimento est.

Cap. LXIII. in prin. eodem Tit.

Nam sentétia inter alios dicta aliâs quibusdam etiã scientibus non obest.	Aliis quibusdam etiam scientibus obest.

Cap. VII. cir. med. quibus ex causs.

Sed illud spectãdum Põponius putat, an aduersus omnes latitet, eumque solum posse hanc venditionem impetrare aduers⁹ qué latitet.	An aduersus me, eumq; solum posse hinc venditioné impetrare aduersus qué latitetur.

Vulgaris.	Emendata.

Cap. I X. *post prin. de reb. autho. iud. poss.*

Quod si dedere expediit, consequés erit repetere eum non debere.	Consequés erit, repetere eum debere.

Titulus de priuilegiis creditorum in P. F. *non est.* Et *omnia capita sub præcedenti titulo continentur.*

Cap. X I X. *de rebus autho. iud. quod quartum est sub titulo de priuileg. cred.*

Sed æquissimum erit ad cæteros quoque quibus curator, quasi debilibus vel pdigis datur vel muto vel surdo.	Quasi debilibus, vel pdigis datur. x x. Paulus lib. L x. ad edictum. vel surdo vel muto.

Cap. X I I I I. *quæ in fraudem credit.*

Ea propter cópetit hæc actio & aduersus eos qui res possident.	Eos qui res non possident.

EX LIB. XLIII.

Cap. I. *in fi. de tab. exhib.*

Sed & si dolo deletũ sit testamentum.	Sed & si deletum sine dolo sit testamentum.

In titulo X. *de via publica & si quid in ea factum esse dicatur, expungenda sunt verba quæ sequuntur,* & de ea ex edicto ædilium curulium reficienda.

Sub hoc titulo est tantum caput vnum Græcè conscriptum à Papiniano. Sequitur Titulus X I. *de via publica & itinere publico reficiendo.*

Sub hoc titulo ponenda sunt tria capita quæ vulgo sub præcedenti titulo habeantur. Capitulum primum. Prætor ait. *Secũdum,* viam publicam. *Tertium* Si in agrum.

Titulo X I I I I. *in flumine pub. nauig. liceat. Cap.* I.

Possunt auté hęc publica esse non publica. Planè qui stagnũ vel lacum conduxit.	Possunt auté etiam hæc publica esse. Publicano planè qui stagnum vel lacum conduxit.

Cap. V. *de itinere. act.*

Si quis seruitutem iure impositam habeat.	Iure impositam non habeat.

Cap. V. *quod vi aut clam* ℣ *si quid seruus.*

Vulgaris.	Emendata.
Si quid seruus me' fecit non ob id mecū actio est si non id meo nomine.	P. F. sed id meo nomine. Sed parum rectè meo quidem iudicio.
Cap. V I. § *est autem, eodem* Tit.	
Gallus enim dubitat an excipi oporteat quod incendij defendendi caussa factum sit.	An effici oporteret quod incendij defendendi caussa factum non sit.
Cap. V I. *de precario.*	
An hoc interdictum locum habeat? Quæstio est, quòd consistere precarium rei suæ non possit.	An hoc interdictum locum habeat, vt consistere precarium rei suæ possit?
Cap. I I I. *ad fi. de lib. exhib.*	
In hoc interdicto donec res indicetur, fœminā prætextatam eumque qui proximè.	Fœminam, prætextatū, eūque qui proximè.
Paulopost.	
Qui impuberem ætatē.	Qui puberem ætatem.
Cap. I. *de migrando.*	
Interdicto locum non fore nisi liberata fuerint.	Interdicto locum fore.
EX LIB. XLIIII.	
Cap. V I I. *in fi. de exceptionibus.*	
Quia si deceptus non sit: tūc nec ipse ante habebit auxilium.	Quod si deceptus sit in re, tunc nec ipse ante habet auxilium.
C. I I I I. § *illa quæstio, de doli mali & met. &c.*	
Nec illud distinguendū esse cautum sit ei, an & soluendo sit tutor an non.	Cautum sit ei an non: soluendo sit an non tutor.
C. I I I. § I. *de obligat. & actionibus. ita enim perpetuo legendus est hic titulus non de actionibus & obligationibus vt prius.*	
Longè magis is cuius negocia gesta sunt ignorās aut cōtraxisse aut deliquisse intelligi non potest.	Longè minus, Intelligi potest.

Cap. x x x i i.*eodem Tit.*

Vulgaris	Emendata
Etiam pœnę persecutionem transmissam nō videri quasi lite contestata eo mortuo.	Trāsmissam videri, quasi lite cōtestata eo mortuo. Quæ verba ita debes intelligere quasi eo mortuo post litem contestatam.

EX LIB. XLV.

Cap. I. ℣ *si quis ita.de verb.oblig.*

Vulgaris	Emendata
Non tantum enim nō ciuiliter.	Nō tantū enim ciuiliter

Cap. c x x i i. ℣ *Seia eodem Tit.*

Vulgaris	Emendata
Si Seia ante cessasset ex stipulatione.	Si Seia nō cessasset ex stipulatione. Ergo *malè* Alciatus *correxerat, antè cessasset.*

Cap. c x x x i,i i.*in fi.eodem tit.*

Vulgaris	Emendata
Vt ad vnam vim primam pertineat, si vim fecerit, & amplius ex hęredis committi non possit, quasi ex ipsius vi tota sit consumpta.	Vt ad vnam vim primam teneat: si vim fecerit amplius ex hæredis committi nō possit. Ergo si actū sit, quasi ex ipsius vi tota sit consumpta.

*Ca.*I. ℣.*si fructuarius. de stip.seruo.*

Vulgaris	Emendata
Quia vtrique ex re fructuarij actionem adquirere non potuisset.	Actionem adquirere potuisset. P.F.*Sed meo indicio parum sana lectione.*

EX LIBRO XLVI.

Cap. x x x v i.*de solut.*

Vulgaris	Emendata
Iulianus notat. & verius est eam partem perdidisse.	Iulianuus notat. Verius est me eam partem.

Cap. x c i i i.*eodem tit.*

Vulgaris	Emendata
Et placet non confundi, quod bonū est hoc dicere.	Quò bonum est hoc dicere.

Cap. v i i i.*de acceptil.*

Vulgaris	Emendata
Et nisi in hoc quoque cōsensum est, nec habet pactū.	Et nisi in hoc quoque cōtra sensum est, habet.

Cap. v i i.*de prat.stip.pactum.*

Vulgaris	Emendata
Paulus notat, Eū qui sub conditione.	*Fac cap.no.* Papin.li. v. q̄st. Paul⁹ notat. Eū, q̄ sub cōdi.

Cap. v i i.*Iudica.sol.*

Vulgaris.	Emendata.
Non cōmitti ſtipulationem.& aliâs reſpon.	Non committitur ſtipulatio. Nam aliâs.

Cap. X V. *rem ratam hab.*

Si iudicio petitum non eſſet.	Si iudicio petitum eſſet.

EX LIBRO XLVII.

Cap. I. *de furtis.*

Imò & Græci à ferendo φῶρας dixerunt. Sola tamen.	Imò & Gręci ἀπὸ τοῦ φέρειν φῶρας dixerunt. Inde ſola.

Cap. X X X I X. *ſi filius ſubreptus. deeſt in* P.F.

Cap. L X X X I I. *de furtis.*

Ob pecuniā ciuitati ſubtractam actione furti necnō crimine peculatus tenetur.	Actione furti non crimine peculat⁹ tenetur. *Quāuis Alciat. legi velit necnon.*

Cap. I. *poſt prin. ſi u qui teſta.*

Qui hæreditates depopulātur dupli actiōe coërcere.	Depopulantur duplatione coercere.

Cap. I I I. *vi bonorum rapto. in prin.*

Idq́ue verbum ex Græco tractum τύρβη.	Idq́ue verbum ex Græco tractum ἀπὸ τοῦ θορυβεῖν.

Cap. I I. *de incend. rui.*

Eiecta, hoc eſt quod Grę ci aiunt ἐξοκειλαμένης.	Quod Græci aiunt ἐξεβράσθη.

Cap. X I. *eodem tit.*

Vt luſoria, aut dolo ſit proxima.	Vt luxoria aut dolo ſit ꝓxima. *Pro luxuria.*

Cap. V. *de iniur. in fine.*

Eadem pœna ex ſenatuſconſulto tenetur is, qui ἐπίθεσιν, aliúdve quid, ſiue ſcripturam.	Qui ἐπιγράμματα, aliúdve quid, ſiue ſcriptura.

Cap. X V. §. *ſi quis virg. eodem tit.*

Et quis eā appellauerit, vel ei comitem abduxerit, iniuriarum non tenetur.	Iniuriarum tenetur.

Cap. I. *de extraord. crimi.*

Domū prębuerit, preciúmve quo is perſuadeat.	Donum præbuerit.

Cap. X.*de sepulch.viol.*

Vulgaris	Emendata
An ad hęredẽ necessariũ, cùm se bonis immiscuisset.	Cùm se bonis nõ miscuisset.

Cap. I.*de effractorib.*

Vulgaris	Emendata
Expilatores, qui sunt atrociores fures, hoc est, λωποδύται in opus publicum.	Expilatores, qui sunt atrociores fures, hoc enĩ est expilatores in opus pub. *Malè igitur Alciat. addidit Græcum.*

EX LIBRO XLVIII.

Cap. II.*de publi.iudi.*

Vulgaris	Emendata
Publica accusatio reo vel rea antè defunctis nõ ꝑmit.	Antè defunctis ꝑmittit.

Cap. II.*ad legem Iuliam post prin.*

Vulgaris	Emendata
Qui hoc dicit lenocinio mariti se fecisse: reuelare quidem vult.	Releuare quidem vult.

Cap. XIII.*ad leg.Corne.de fals.*

Vulgaris	Emendata
Quoniã in Corneliã falso recitato nõ facto incidit.	Falso recitato nõ facto non incidit.

Cap. IX.*post prin.de pœnis.*

Vulgaris	Emendata
Sic enim priuatis quidem interesse poterit, publicis ꝓhibetur vt solent quibꝰ sententia præcipitur.	Quibus sententia præcipitur δημοσίων ἀπέχεσθαι.

Cap. I.*de bonis dam.*

Vulgaris	Emendata
Callistratus. Et populi damnatione bona publicantur.	Callistratus lib.j. de iure fisci & populi. Damnatione bona publicantur.

EX LIBRO XLIX.

Cap. I.*in princi.quando appel.*

Vulgaris	Emendata
Si quidẽ in insulã deportandũ adnotauerit pręses ꝓuĩcię & ĩperator rescripsit.	Præses prouinciæ & imperatori scripserit.

Paulò post.

Vulgaris	Emendata
Vtrum cùm rescripsit, an cùm ei scribitur?	Vtrũ cùm imperator scripserit.

Cap. L.*de iure fisci.*

Vulgaris	Emendata
Inter primã licitationem & sequentem addictionem	Et sequentem adiectionem.

Vulgaris.	Emendata.
percepti fuissent.	
Cap. X I.*de capti.*	
Siue quoniam non reuerso eo exinde sui iuris nó videtur fuisse.	Exinde sui iuris videtur fuisse.
Cap. X X. *eodem tit.*	
Non & posteaesse postliminium verum est. Expulsis hostibus ex agris.	Non est ei postea postliminium, Verùm est expulsis hostibus.
Cap. V I.*de re milit.*	
Militia reiicitur. Si gladio caput amittit.	Si gladio, capital admittit. *Id est capitale crimen.*
Cap. V I.*de cast.pec.*	
Quia vxor ei propter militiam nota est.	Quia vxor ei nó propter militiam nota est.
Cap. X V I I I.*eodem tit.*	
Ex castrensi peculio seruus à patre hæres institui non potest.	Hæres institui potest.
EX LIBRO L.	
Cap. I I.*de administrat.rerum ad.in prin.*	
Quæ decurionibus cōducere non licet:non secūdū legem vsurpata reuocentur.	Secundum legem vsurpata.
Cap. I I.*de extraord.cognit.*	
Non tamen si incantauerit, si imprecat⁹ est, si(vt vulgari verbo in posterū vtar) exorcizauit.	(Vt vulgari verbo impostorum vtar). *Igitur malè Politianus* In*posterum legit.*
Cap. I.*in fine de censib.*	
Etq in Ponto Sinopensis est, & in Silicia Selinus & Traianopolis.	Et in ponto Sinopensis. Est & in Cilicia Selinus & Traianopolis.
Cap. V I I I.*eodem titulo.*	
Idem ius Valentini & Lucentini habent.	Valentini & Ilicitani habent.
Cap. L X X I X.*de verbo.signifi.*	
Deterioré esse non sinăt.	Nó deterioré esse nō sinăt.
Cap. C X X.*eodem tit.*	

Vulgaris.	Emendata.
Vel legũ authoritate, vel iura constituentium.	Vel legum, vel authoritate iura constituentium.
Cap. C X X X I I. *eodem titulo.*	
Anniculus admittetur.	Anniculus amittitur.
Paulò post.	
Nec vtroq; sermone vndecima dies significatur.	Neutro enim sermone vndecim dies significantur.
Cap. C L I I I I. *eodem tit.*	
Mille passus non à muro vrbis, sed à continentibus.	Mille passus non à miliario vrbis.
Est autem miliariũ columna in capite fori Romani in qua omnes viæ conscriptæ erant. A qua omnes Italiæ viæ incipiebant, & in quã omnes desinebant.	
Cap. C L X X V I I. *eodem tit.*	
Natura cauillationis quã Græci σόφισμα vocant.	Quã Græci σορείτην vocant.
Cap. seq. C L X X V I I I.	
Nemo est qui adprobet.	Nemo est qui ambigat.
Cap. C L X X X I I I.	
Nempe ex eo quod tabulis claudatur.	Non ex eo quod tabulis clauditur.
Cap. C L X X X I X. *eodem.*	
Facere non oportere & hãc significationem habet.	Facere oportere.
Cap. C X C V I I. *eodem.*	
Indicasse est detulisse, arguisse, & conuicisse.	Indicasse, est detulisse: arguisse, accusasse, & conuicisse.
Cap. C C X X V I I. *eod.*	
Eum, quem ei hæredẽ esse oportet, hæredib⁹ bonorum possessio non defertur.	Tum quem ei hæredẽ esse oportet, hæredis hæredibus bonorũ poss. nõ deferť.
Cap. C C X X X I I I. *eodem tit. eodem.*	
Si caluitur & moretur.	Si cauilletur & moretur.
In fine cap.	
Quod mittitur manu ἀπὸ τοῦ βάλλεσθαι, & id quod ab arcu mittitur.	Qđ mittiť manu ἀπὸ τ̃ βάλλεσθαι: Admonet nos Xenophó. nã ita scribit: ἐπὶ βέλη ὁμόσε ἐφέρετο λόγχαι τοξεύ

ματα, σφενδόναι, πλεῖστοι δὲ καὶ λίθοι. Et quod ab arcu mittitur.

Cap. C C X L V.*eodem. tit.*

Vulgaris	Emendata
Aut similiter, quę cohęrent tignis.	Aut si similiter cohærét lychni.

Cap. I I.*de diuersis regulis iuris ant.*

Vulgaris	Emendata
Eius est nō velle qui potest & velle.	Eius est nō nolle qui potest velle. *Non nolle est patiētiā præstare vt Cap.* I. ¶ *sciētiam.* §. *de tributoria.*

Cap. X V I I.*eodem tit.*

In P. F. *totum* θεμάτιον, *si filius, deest.*

Cap. L X X I I I.

Vulgaris	Emendata
Quint⁹ Muti⁹ Sempronio. Quo tutela redit.	Quintus Mutius Scęuola lib. singulari ὅρων. quo tutela redit.

Cap. C I X.*eodem tit.*

Vulgaris	Emendata
Nullum crimen patitur is, qui nō prohibet cū prohibere non possit.	Cū prohibere possit. *Et ita casus est dubitabilior.*

Animaduerte post caput C X V I I.*huius tituli* Prætor bonorum *quæ sequuntur capita transponenda sunt vt continuo in ordine apponas* C X V I I I. Qui in seruitute *quod vulgo* C L X. *est in ordine* . *&* C X I X . non alienat *quod vulgo est* C L X I. *Itaque & sequentia capita illis subscribes vsque ad* C L V I I. Ad ea quæ nō habent . *quod vulgo est* C X C I X . *Deinde inter hoc caput* Ad ea *& sequens* Quoties *quod est ducentesimum in ordine insice caput* C L V I I I. Creditor *quod vulgo est* C X V I I I. *in ordine, & quæ sequuntur capita vsque ad cap.* C X C I X. Nō potest dolo carere . *quod in libris vulgaribus est centesimum quinquagesimum nonum . huic capiti continuò adnecte caput.* C C. Quoties *& quæ sequuntur vsque ad tituli finem. Ita esse transponenda capita Lælius & Anto. August. ex* P. F. *inuenerunt.*

Cap. C L I I. Hoc iure vtimur *quod vulgo est* C X C I I I.

Vulgaris	Emendata
Ratihabitio mādato cōparatur.	In maleficio ratihabitio mandato comparatur.

Vulgaris	Emendata.
Cap. C X C V I I. Semper in conuentionibus. *quod vulgo est*. C L V I I.	
Semper in conuentionibus non solum quid liceat.	Semper in coniunctionibus.
Cap. C C I I. *eodem tit.*	
Omnis definitio in iure periculosa est. Rarum est enim.	Rarum est enim. *ita habẽt P.F. & rectius, quãuis Budæus dici velit rarum.*

FINIS.

INDEX TITVLORVM QVI IN HIS PANdectis continentur, ordine alphabetico.

de Capti-

de De-

de Noui

Quibus

S

Si

FINIS.

GRAECORVM QVAE PASSIM *his pand. inspersa sunt, interpretatio.*

Epigramma quod operis titulo subiectum est, ita sanè seruatis numeris reddi posse ostendit Alciatus, non solum de iure ciuili, sed etiam bonis literis egregie meritus.

Iustinianus opus hoc princeps edidit, omnis
Quod Tribonianus rectori condidit orbis,
Tanquam aliquis varium componens aspida magno
Alcidæ. namque hic fulgent mira omnia legum.
Ast Europæ, Asiæque homines, Libyciq; subacti
Cuncta gubernantis domini præcepta sequantur.

In prima constitutione Iustiniani, ἀντινομία. legum pugnantia

gnantia. παράτιτλα. quasi Titularia dicas, quod per ea titulus cum titulo, locus cum loco conferatur. idem penè, quod vulgò concordantias vocamus, nisi fallor.

In secunda. τὰ πρῶτα. primaria. κατὰ πόδας pedetim & veluti iisdē vestigiis insistēdo. παράτιτλα titulariæ adnotationes.

In catalogo authorū. ἀστυνομικός. de officio ædiliū. ὅρων. finitionū. ἐπιστολῶν. epistolarum. πιθανῶν. probabiliū ἐγχειριδίου. enchiridij. quasi dicas manuale, vt Paulus pro breui libello. δωδεκαδέλτου. legis duodecim tabularū. πανδεκτῶν. omnimoda cōtinētiū. περὶ εὑρηματικῶν. de inuētoriis. εἰκοστῶν de vicesimis hæreditatū. ἐπιτομῶν abbreuiationū.

EX PROOEMIO DIGEST.

τῶν πρώτων primariorū. τὰ πρῶτα. primaria, & veluti principia. in margine ibidē. τοῦ ἀπὸ ὑπάτων. qui amplius inter cōsules nō sit. sic in epigrāmatis. ὁ ἀπὸ ὑπάρχων, idest exprǽfecto, & eius, qui præfectura functus erat. & passim in nouellis Iustiniani. λύτας. solutores, vt qui legū ænigmata per se possent soluere. προλύται. qui λύται, idest solutoribus eruditione præstarent. χρύσεια χαλκείων &c.

Aere laboratis auro radiantia, nouem
Aestimata bubus pro forte valentibus centum.

EX LIB. I. DIGEST.

TIT. I. cap. 6. τῶν νόμων &c. legum ipsarum partim scripto constat, partim sine scripto.

TIT. II. cap. 2. ![?] fuit σοφὸν. sapientem.

TIT. III. cap. 2. νόμος ἐστὶ. &c. Lex est, cui omnes obtēperare conuenit, cùm ob alia multa, tum verò maximè eo, quod omnis lex inuentū ac munus deorū est, consultū prudentium hominū, coërcitio eorū, quæ vel spōte vel ignorātia delinquūtur, cōmunis spōsio ciuitatis: ad cuius præscriptū omnes, qui in ea repub. sūt, vitā instituere par est. περὶ νόμων. de legibus. ὁ νόμος πάντων &c. Lex tam diuinarū quàm humanarū rerū omniū regina est. quo magis conuenit, vt nō solū rebus honestis turpibusq; præsideat, sed etiā principatū ac ducatū teneat, & per hoc regulā præscribat iustis simul & iniustis: vt potè quę animātibus natura ad colēdā ciuitatē idoneis faciēda iubeat, prohibeatq; nō facienda.

Cap. 3. ἐπὶ τὸ πλεῖστον &c. quæ plerūq;, nō quàm ex opinato.

Capite

Capite.6.ὃ γὰρ ἅπαξ. Quod enim ſemel tantum, aut iterum exſtitit, id legum latores prætereunt.

Cap.30.ῥητὸν. Dictum à ſententia, vel vt Quintilianus, ſcriptum à voluntate.

Titulo I I I I. cap.3. αἱ μεταγενέστεραι. Conſtitutiones tempore poſteriores, potiores ſunt his, quæ ipſas præceſſerunt.

Tit. V. cap.23.παρὰ τὴν σπορὰν. à ſatione.

Tit. V I I I. cap.8 κηρυκεῖα. Caducei.

Tit. X V I.ca.4.ἐπιδημίας.acceſſus ad vrbem: quod omnibus in vrbem proficiſcẽtibus pateant. κατάπλουν.adnauigationem. καὶ τὴν μητροπόλεων. & inter matrices vrbes, ſiue prouinciarum capita Epheſum.

Capite.6. οὔτε πάντα.neque omnia, neque quouis tempore, neque ab omnibus.

LIBRO II.

Tit. X I I I. cap.7. δεύτερον.ſecundum. πάλιν.rurſus.

Titulo. X I I I I. cap.7.καὶ συνάλλαγμα. & contractum eſſe. συνάλλαγμα.contractum.

LIBRO III.

Tit. I I. cap.4.βραβευτὰς.arbitratores ſacrorum certaminum.

LIBRO IIII.

Titulo.V I I I. cap.29. τῇ δυνάμει. per quandam poſſibilitatem.

Titulo. I X. cap.I. ναυφύλακες. nauium cuſtodes. χειρέμβολον. immiſſionem manus. Nam iniectio manus apud Paulum de ſeruis exportandis & cæteros, aliud eſt.

Cap.7.ναυτεπιβάτας.remum pro naulo & vecturæ precio ducentes.

LIBRO V.

Titulo.I. cap.19.παρέπλει.præternauigabat.

Cap. 37.τῷ κοινῷ τῶν Θετταλῶν. vniuerſitati, ſiue reipublicæ Theſſalorum.

Cap.48. τοὺς ἄρχοντας. Magiſtratus quo anno cum imperio ſunt, neq; propriam, neque eorum, quorum tutelam vel curam gerunt, cauſſam in iudicio vel agendo vel defendendo ſuſtinẽto. ſimulac verò magiſtratus dies exierit: nõ ipſis tãtum aduerſus reos ſuos, ſed etiam aliis aduerſus ipſos li-

ſos litem intentare,ius fáſque eſto.

Titulo. I I I. cap.25.☧.Quemcunque.ἀντίδωρα. remunerationes.

Tit. I I I I. cap.3. τὸ γὰρ ἅπαξ.&c.quod enim ſemel tantum aut iterum exſtitit,id prætereunt legumlatores.

LIBRO VIII.

Tit. V I I I. cap.10.χρῆσις,vſus.

Titulo. I I. capite.17. κατὰ ἀντανάκλασιν. per refractionem.

Tit.I I I. cap.16.οὐκ ἔστιν &c.Non eſt conſentaneum rationi, vt p aliena prædia inuitis dominis aucupiũ faciatis.

Cap.37.Λούκιος Τίτιος &c. L.Titius C.Seio fratri, S. P. De aqua fluente in fontem,quem pater meus in Iſthmo inſtruxit, do concedóque tibi gratuitò digitum, ſiue ad domum , quam in Iſthmo tenes,ſiue quocunque tandem volueris.

LIBRO X.

Titu. I. cap.13.ἐάν τις αἱμασιὰν. Si quis ſepem ad alienum prædium fixerit,infoderitque : terminum ne excedito. Si maceriam: pedem relinquito.ſi verò domum:pedes duos.ſi ſepulchrum aut ſcrobem foderit, quantum profunditatis habuerint, tantum ſpacij relinquito. at verò oleam aut ficum ab alieno ad nouem pedes plantato : cæteras arbores ad pedes quinque.

Titulo.I I. cap.20.ἀγωνοθεσίαν.conſtituendi deſignandique certaminis munus.

LIBRO XI.

Tit. I. cap.11.☧. Quod autem.πρὸς ἔπος,ad verſum.eſt autem prouerbium,de quo vide in Chiliadibus Eraſmi.

Tit.I I I. cap.1.☧.Perſuadere.τῶν μέσων ἐστί.ex mediis, quæ ſcilicet ἀδιάφορα ſunt & indifferentia.

Tit. V I I. cap.42.κενοτάφιον,quaſi diceres inane ſepulchrum,imaginarium,cùm corpus illic non ſit.cuiuſmodi erat Achilli in Cherroneſo.

LIBRO XII.

Tit. I I. cap.13.☧.Item Iulianus. μονομερής. vniformis, aut potius vnimembris:puta quæ,vt ſemel intentata eſt,replicationem nõ habet,quæ verò replicationem habet, eam διμερῆ ἀγωγὴν,hoc eſt bimembrem actionem, quod replicatione

catione actor vteretur, & reus secunda exceptione fungeretur, veteres Græcorum rhetores appellabant. consimiliter si ex parte actoris interueniebat triplicatio, τριμόρῆ vocabant, quasi trimembrem, & sic deinceps. §. Si quis. προπετῶς μὴ ὄμνυε. temerè ne iurato.

LIBRO XIII.

Tit. VII. cap.33. ἀντίχρησιν. mutuum pro credito pignoris vsum.

LIBRO XIIII.

Titulo. I. cap.I. §. Sed & si. ἐπιβάτηγοὶ. vectorum ductrices.

Tit. II. cap.9. ἀξίωσις &c. Libellus Eudęmonis Nicomedensis supplicatorius ad Antoninum imperatorem. Domine Imperator Antonine, facto in Italia naufragio, spoliati direptique sumus à seruis publicis†, qui Cycladas insulas inhabitant. Respondit Antoninus. Ego quidem mundi dominus, lex verò maris. lege id Rhodia, quæ de rebus nauticis perscripta est, disceptetur: quatenus nulla ei nostrarum legum aduersatur. hoc idem D. quoque Augustus indicauit.

† al. publicanis.

Tit. III. cap.5. §. Idem ait. νεκροθάπ]αν, qui cadauera sepelit.

LIBRO XV.

Tit. I. cap.7. §. Scire. παχυμερέστερον. crassius, per maiores grossioresque partes.

LIBRO XVI.

Tit. I. cap.2. §. Verba. ταῖς ἀπατώσαις &c. Decipientibus mulieribus senatusconsultum auxilio non est.

Tit. III. cap.26. §. Lucius. ἔλαβον καὶ &c. Suscepi, habeóque apud me titulo depositi suprascripta denariûm argenti decem milia: méque ad præscriptum omnia præstaturum, & promitto, & profiteor: cõuentione scilicet inita, vt quoad omne argentum reddatur, in singulos menses, singulásque libras vsurarum nomine quaternos tibi obolos subministrem. Ibidem. τροφίματι. quod in nutriciis expendi. vt Vlpianus cap.I. de extraordinariis cognit. §. ad nutricia.

LIBRO XVII.

Tit. I. cap.60. §. Lucius Titius. Σηΐῳ τέκνῳ &c. Seio filio S.

lio S. Tametsi naturæ cōsentaneum esse arbitror, vt patris fratrúmque patronorum negocia quis, vel nullo de ea re mandato requisito, administret: si quid tamen eius generis opus habes: ecce tibi rerum mearum omnium liberam administrationem permitto: siue vendere, siue pignori obligare, siue comparare, siue quid aliud agere velis: me non aliter omnia, quæ per te gesta erunt, rata habente, neque in in vllius gestione tibi reclamante, quàm si rerum mearum penes te dominium esset.

LIBRO XVIII.

Tit. 1. cap. 1. ἔνθεν ἄρ'&c. id ego hunc in modum,

Hinc sibi certatim gentis de more comati.
Vina parant Graij, ære dato, fulgentéque ferro,
Tergoribúsque, bubus sed & ipsis, mancipiisque:

Paulò post. ἔνθ' αὖτε. &c.

Iuxta animum Glauco Saturnius eximit, vt vel
Cum Diomede vecors auro radiantia mutet
Arma, idque ære laboratis, capiátque nouenis
Aestimata bubus pro forte valentibus centum.

Ibidem. τὴν ποτὲ &c

Olim Laërtes hanc appetente redemit.
Pubertate, boues pendens de parte peculi
Viginti.

LIBRO XIX.

Titu. 1. cap. 54. καταδρομὴν γεράνου, decursum Gruis: Machinæ id genus in theatro fuit, vnde quis è sublimi repente delapsus, de medio aliquem tolleret, secúmque in altum eueheret: puta cùm vel aurora repræsentanda erat Memnonem rapiens, vel Iupiter Ganymedem, vel Diana Endimioni osculum figens. referente id Polluce libro. 4. cap. 19. Id quoniam non sine magno interdum periculo erat eius, qui se demittebat: idcirco iurisconsultus hoc exempli caussa adsumpsit. nimirum ita dictum, quod in longum supra theatrum prominens, collum gruis referret.

Tit. 11. cap. 25. θεοῦ. Vis maior. θεοῦ βίαν. vim diuinam.

Cap. 49. οἱ ἐπίτροποι &c. Tutores curatorésve constituti, prius quàm officij sui rationes reddant, prohibentur, ne quid de patrimonio Cæsaris conductum habeat. ac si quis id dissimulans, nihilominus ad conducenda Cæsaris

ſaris prædia acceſſerit: perinde, vt falſarius pœna adficiatur. Hócque ſanxit imperator Seuerus. Secundum quæ ſanè prohibiti erunt, & à fiſco conducere, qui tutelã curámve gerunt.

LIBRO XX.

Tit. I. cap. II. ἀντίχρησις. mutuus pignoris vſus pro credito, aut (ſi malueris) ἀνθυποχή. pro credito mutua pignoris detentio & poſſeſſio.

Capite. 34. §. Idem quęſiit. δανειςάμενος &c. Mutuatus abs te quingentos denarios, rogaui, ne ſponſorem, ſed pignus à me acciperes. exactè enim & pro certo noſti, nemini alij tabernam ſeruóſque meos, quàm tibi eſſe, obligatos: tanquam honeſto viro fidem adhibendam duxiſti.

LIBRO XXI.

Titulo. I. cap. I. §. Sed ſciendum. φθίσιν, tabẽ. Ibidem. κατὰ τοῦ αὐτοῦ. de eadem re. Ibidem. §. Apud Viuianum. φρενητικῷ. furioſo.

Cap. v. κακοήθειαν, vitioſitatem. πάθος, perturbationem. νόσον, morbum. ἀῤῥωστείαν, ægrotationem, nam hunc in modum omnia iſta Latinè dixit M. Cic. Tuſcul. Quæſt.

Cap. 9. ἀσαφῶς. obſcura voce & obtuſa. ἀσήμως, ſine vlla ſignificatione vocis. Ibidem. νυκτάλωπας. luſcioſos.

Cap. 14. §. Siquis. ἀντιάδας, tonſillas. Ibidem ἀντιάδες, tonſillæ. vt Celſus lib. 6. 7. 12.

LIBRO XXIIII.

Titu. III. cap. 9. §. Dotis. παράφερνα, quæ fœminis ſponſis præter dotem adduntur, cùm in mariti domum deducuntur.

LIBRO XXVI.

Titulo. v. ca. 22. καὶ οἱ μὴ &c. Et qui non ſunt Decuriones, Decurionum filiis tutores creantur, ſicut & Decuriones iis, qui non ſunt ex Decurionibus.

Tit. VII. cap. 5. §. Iulianus ἀνεκλογίστους. & paulò poſt, ἀνεκλόγιστοι, rationibus reddendis ſolutos.

Cap. 45. §. Sempronij. ἐπιμεληταὶ, curatores.

Cap. 46. βούλομαι καὶ παρακαλῶ &c. Volo efflagitóque, vt omnia ex ſententia ac conſilio Mæuij fratris mei gerantur: quódque ſine ipſo geſtum erit, irritum eſto.

LIBRO XXVII.

Titulo. 1. cap. 1. Ἑρέννιος Μοδεστῖνος &c. Herénius Modestinus Ignatio Dextro. Vtilissimum, vt mihi videtur, opus confeci, quod inscripsi De tutelæ & curę excusatione, idque ad te misi. In quo quantum potui, apertè eum tractatum explicaui docens Græcè nostra iura, quæ quàm difficulter vertantur, non ignoro. Dúmque ea explico, addo sicubi opus est, ipsa legum verba, vt his, qui dicendi, & legendi vsum habent hoc desiderantibus perfectum auxilium præstare possimus. Principio igitur dicendum est, quos creari non oporteat. Libertinis pupillis magistratus ingenuos tutores aut curatores non dent, prætequam si maxima inopia sit eo loci libertorũ. Iubet enim Diui Marci oratio, vt libertinis, qui in eodem oppido sunt, liberti dentur. Sed si detur ingenuus, Diuus Seuerus minoribus consulens rescripsit obnoxium fore tutelæ, nisi intra constitutũ tempus allegauerit excusationem. Non licet sponso sponsę curatorem esse, vt senatus censuit, creatus autem hic, remouendus est.

Cap. 2. ἀφίενται &c. A tutela & cura excusantur, qui septuaginta annos excesserunt. Excessisse autem eos oportet tum, cùm creantur, aut cùm hęreditas adita est, aut cùm conditio testamento scripta impleta est, non intra excusationis tempora eam ætatem implere, quæ probatur, aut natalis diei scriptura, aut aliis legitimis probationibus.

Liberorum quoque multitudo à tutela & cura excusat. Omnes tamen liberos legitimos esse oportet, etsi in potestate non sint, atque tum viuere, cùm patres eorum tutores dantur. Nam qui antea mortui sunt, nõ numerantur inter liberos, neque etiam nocent, qui postea moriuntur. quod Diui Seueri constitutione cauetur. quæ quamuis de eo tutore loqui videatur, qui testamento datus est, tamen aptari ad quemcunque alium potest. Qui in vtero est, & si in multis iuris partibus æquiparatur iam natis, tamen neq; in hac quæstione, neq; in cæteris ciuilibus muneribus prodest patri. Quod etiã Diui Seueri cõstitutione cauetur. Non solũ autè, filij & filiæ vacationem tutelæ adferunt: sed & nepotes & neptes, ex filijs maribus. Iuuãt verò hi, cùm eorũ pater mortuus est, & ipsi eius locũ supplent auo: qui licet plures sint ex vno filio pro vno numerantur. Colligere licet

ee hæc

hæc ex constitutionibus, quibus de liberis tractatur. Neque enim facilè constitutionem reperies, quæ de filiis non de liberis scripta sit. Liberorum autem appellatio ad nepotes extenditur. Sed numerum liberorum constitutionibus decretum iam tum esse oportet, cùm creatur, non etiam si post creationẽ nati sunt antè, quàm caussas excusationis allegauerit. Nam qui postea nati sunt, nihil iuuant, vt Seueri & Antonini constitutione scriptum est. Præterea qui tres tutelas aut tres curas habent, aut tria onera mixtarum tutelarum cum curis, & hæ non sint ætate minorum finitæ, habent excusationem, si ad quartam tutelam, aut curam vocentur. Sed & si quis non minoris, sed furiosi curator sit, huius quoque curæ ratio habenda est, vt in numero curarum computetur. Quæ ita se habere Seueri & Antonini constitutio docet. Et optimus Vlpianus de tribus tutelis sic ait.

Cap.4. ἔφαμεν &c. Diximus tres tutelas habentes ad quartam non esse vocãdos. Quæsitũ igitur est, si quis duas tutelas habeat, & tertia oneratus appellauerit, pendentéq; adhuc iudicio appellationis quarta tutela oneretur, an in allegatione excusationum quartæ mẽtionem tertiæ faciet? aut eam omnino omittet? Et inuentio à Diuis Seuero & Antonino constitutum esse, non oportere ad quartam tutelam creari eum, qui à tertia prouocauerit. Sed dum pendet allegationum tertiæ iudicium expectare: cuius finis finem quartæ excusationibus faciet. Recta sanè ratione. Nam siquis eam, quæ quarta est, quasi tertiam susceperit, & iniusta appellatio de tertia appareat, quatuor oneribus contra leges onerabitur. Si pater tria tutelarum, aut curarum onera habeat, eius filius non grauabitur. ita enim cõstitutum est à Diuis Seuero & Antonino. Hoc idem contra quoque est, vt oporteat filij tutelas vacationem patri dare, & vtrique communes, hoc est vnam filij & duas patris, aut contra. Quæ ita se habent, cùm vni domui non diuersis onus defertur. Et hoc Optimus Vlpianus scribit.

Cap.6. ἐαν δύο &c. Si duas tutelas habens alteris duab⁹ oneretur, quæ tertia erit ordine, iuuabit eum ad quartæ excusationem: licet imperator sit, qui quartam detulit, aut etiam tertiam, scilicet si antè, quàm sciretur, quid is vellet, anteuertit

anteuertit alius in creatione tutoris. Si verò ordo non appareat, sed eadem die diuersis tabulis duæ creationes factæ proponantur: non creatus sed creans eliget, quàm subire eum oporteat. Grammatici, Sophistę, Rhetores, Medici, qui περιοδευταὶ (hoc est circumforanei) vocantur, vt à reliquis muneribus, sic à tutela & cura vacationem habent. Sed est cõstitutus rhetorum numerus, qui in vnaquaque ciuitate immunitatem habeant: diuisióque quædam ciuitatum lege facta est. Quod ex epistola Antonini Pij adparet, quæ communi quidem Asiæ scripta est, sed vniuerso terrarum orbi conuenit. Ex ea hoc caput infrà scriptum est. Minores ciuitates quinque medicos, sophistas tres, grammaticos totidem immunes habere possunt. Maiores septem medicos, quaternos duabus illis disciplinis præpositos. Maximę verò medicos decem, rhetores quinque, grammaticos totidem. Supra hunc numerum ne maximæ quidem ciuitates immunitatem præstare possunt. Et maximo numero vti oportet metropoles prouinciarum, altero eas, quæ forum caussarum habent, tertio reliquas. quem numerum neque curiæ decreto excedere licet, neque qua alia captione quæsita, minorem tamen constituere licet, quoniam id si fiat, ciuilia munera iuuantur. Atqui non aliter hi ea immunitate fruentur, nisi decreto curiæ numero constituto adscribantur, & operam quisque suam nauet non malè. Philosophos quoque à tutelis vacare Paulus scribit his verbis.

Ibidem περὶ δὲ τῶν. De philosophis verò eadem Diui Pij constitutione dicitur. Philosophorum numerus constitutus nõ est: rari enim sunt, qui philosophantur. Et quidem existimo eos, qui diuitiis abundant, libenter præstaturos auxilium patriæ. Quod si studiosè contendant de re familiari, iam inde ostendent facilè se non esse philosophos. Est etiam inter Commodi constitutiones insertum caput quoddam ex Antonini Pij epistola, quo constat philosophos tutelarum habere immunitatem, cuius verba sunt hæc. Omnibus autem his, pariter Diuus pater meus statim atque principatum adeptus est, suos honores & immunitates confirmauit. Philosophos, rhetores, grammaticos, medicos immunes esse scribens præfe-

ćturis gymnaſiorum, ædilitiis curis, ſacerdotiis,hoſpitum receptione, frumenti atque olei emptionibus. Eoſdem neque iudicare,neque in legationẽ ire,neque in militiam conſcribi inuitos. Nullum denique,prouinciale, aliúdve munus ſubire cogendos. Hoc amplius ſcire illud quoque oportet,eum hanc immunitatẽ habere, qui in ſua patria docet,aut cura. Nam Comanẽſes ſophiſtæ, aut alij ſi Neocæſareæ doceant,aut curẽt,non habent apud Comanẽſes immunitatem,& hoc ita à Diuis Seuero & Antonino conſtitutum eſt. Sanè valde doctos & ſupra numerũ & alienam patriam incolentes, immunes eſſe Paulus ſcribit. & refert ita Diuum Pium Antoninum fieri iuſſiſſe. Sophiſtã,qui Romę docet,ſiue gratis,ſiue ob mercedem doceat,vacationẽ habere à Diuis Seuero & Antonino eſt conſtitutum, perinde quaſi in patria profiteatur. Quorum ſanctioni illam poteſt quis rationem adferre: quod cùm communis ſit, & exiſtimetur patria regia vrbs: ęquum eſt eum,qui in ſua patria ſe vtilem præbeat,hac immunitate frui. Legum præceptores in prouincia docentes vacationem non habent,Romæ docentes habent.

Paulò poſt. ἔθνους. Prouinciæ ſacerdotiũ, vt Aſiarchia, Bithyniarchia,Cappadocarchia, præbet à tutelis immunitatem,dum ei muneri quis præeſt.

Ibidem. Magiſtratus municipales tutela & cura vacant. Dant quoque à tutela vacationem capitales inimicitiæ inter eum, qui creatus eſt, & pupillorum patrem, niſi poſtea datus tutor teſtamẽto ſit. Quod ſi poſt ſcriptum teſtamentum inter eos hæc capitalis cõtentio orta ſit,aut prior quidem teſtamẽto eſt,ſed ea de cauſſa is tutor teſtamento datus eſſe videatur,vt eo onere & negociis vexetur, aliud erit dicendum, vt ex Imperatoris Seueri epiſtola conſtat.

Prætereà à tutela liberatur,qui ſtatus controueſiam pupillo mouit,dum ne id fictè ſed bona fide faciat: quod Diui Marcus & Verus conſtituerunt. De ruſticis, tenuibus,& illiteratis hominibus Paulus ita ſcribit.

Cap. 8. οἱ παλαιστρατιῶται &c. Veterani,qui honeſtè militiæ tempus expleuerunt,vacationẽ habent à paganorum tutelis. Sed aduerſus liberos eorum,qui in eiſdẽ ordinibus militauerunt,aut quorũcunq; veteranorũ,intra annum

poſt

post militiam exactā vacationem habent: post annum non habent. Fortior enim esse creditur eiusdem militiæ æqualitas, ipsorum veteranorum priuilegio. Sed hoc ita, si non alias caussas habeant excusationis tutelæ, vt annorum numerum, aut quid simile, quod solet paganis aduersus omnes prodesse. Quæ de veteranorum filiis diximus, in nepotibus locum non habēt, quippe qui nihilo à cæteris differre videntur. Planè ignominia missi perinde habentur, ac si nunquam militassent. Quamobrem neque ipsi habent priuilegium, neque si eorum filiis veterani tutores dentur, tenebuntur inuiti. Aliquando hi, qui non explent totum militiæ tempus vacationem habent à tutelis, vt hi qui expleuerunt. Nam qui viginti annos militauerit, similis illi est, qui expleuerit militiam. Qui verò intra id tempus missus est, non habet perpetuam tutelarum immunitatem, sed ab eis ad tempus habet, vt à cæteris ciuilibus muneribus vacationem. Etenim intra quinq; annos militia missus nullam sibi vindicabit immunitatem: post quinque vnius anni immunitatem habet, post octo biennij, triennij post duodecim, post sexdecim quadriennij. Sed qui post viginti annos missus est, perpetuò vt dicebamus, vacabit. Qui inter vigiles Romæ permilitauerit, vnius tantum anni vacationem habet, si honestè scilicet est missus, quod principio diximus, aut caussaria (vt vocant) missione valetudinis caussa: est enim etiā hæc honesta, sed qui ignominia missus est, vacationem non habet. Conueteranus autem esse creditur non solum legionarius, sed & omnis, qui vbicumque permilitauerit, si modò honestè hic quoq; missus sit. Nam legionarius eius liberis, qui inter vigiles permilitauerit, tutor esse potest. Iā verò militi minori veteranus curator dabitur, si pater eius mortuus sit scilicet, aut ipse emancipatus. Quarum omnium rerum testes sunt principum costitutiones. Vlpianus verò ita scribit.

Paulò post. ἐζητήθη &c. Quæsitum est, vtrum vnā semel tutelam veterani suscipiunt, an eodem tēpore solam vnam, qua finita aliam rursus capiant? Sed vt in paganis finitæ non proderunt his, qui eas habuerunt, neque inter tres tutelas numerabuntur, sic in veteranis non prodest tutores fuisse. Quod etiam est in curis constitutum, vt ex sacra Se-

 ueri

ueri & Antonini conſtitutione cõſtat. Nihil intereſt, quam ob cauſſam egeant commilitonis liberis tutore vel curatore, quod emancipati ſint, an quòd pater mortuus ſit. Primipilares ex Imperatorum cõſtitutionibus à cæteris tutelis excuſantur, præter primipilaris filiorum tutelas. Hi verò primipilares eſſe cenſentur, qui primipilo functi ſunt. Quòd ſi antè moriantur, quàm peregerint, horum liberis primipilaris tutor non erit.

Cap. 10. ὀυ μόνον δὲ &c. Non ſolum primipilares, qui in caligatis militiis, aut aliis permilitauerunt, ſed qui quomocunq; reipub. Romanæ cauſſa abfuerunt, poſtea, quàm fuerint reuerſi, anni habent vacationem. Annus tamen hic non tantum his, qui cõſuetum militiæ tempus, impleuerunt, in reliquis publicis muneribꝰ datur, ſed & his, qui quomodocunque reipub. cauſſa abeſſe deſierũt, & ſi minus temporis conſumpſerint cõſtituto. Cæterùm quas tutelas antea gerebant, & ob id reliquerunt, quòd reip. cauſſa abibant, eas reuerſi ſtatim ſuſcipient. neq; eis annus proderit, qui ad futuras nouáſq; tutelas datur, non ad eas, quas recipere debent. Atque hic annus cõtinuorum dierũ accipiẽdus eſt, ex quo vel reuerſus eſt, vel reuerti debuit recta via redeũdo, non ſi circuitione vſus ſit. Etiam hi, qui teſtamento tutores dati ſunt, iure excuſabunt ſe à gubernatione earum rerum quæ in alia prouincia ſunt. vt infrà ſcripta Seueri conſtitutione manifeſtum eſt.

Paulò poſt, ὁ πριμίπιλον &c. Qui primipilo functus eſt, ſi cùm vnius pupilli tutelam ſuſcepiſſet, rurſus ad militaria munera adſumptus ſit, deponet onus tutelæ. Similiter in illius quoque tutoris locum, quẽ poſtea adſeſſorem quis ſecũ duxerit, curator dabitur, vt ait Diui Seueri cõſtitutio. Quã qui rectè ad omnia ſimilia capita producet, curatorem dari dicet in eorum locũ, qui ad tempus vacationem habent. Si minor libertus à patrono tutor liberis ſuis dabitur, vel etiam alius, qui minor vigintiquinque annis ſit, dum minor eſt, non grauatur: interim tamen alius curator creabitur. Similiter ſi legitimus tutor minor ſit, namque in huius quoque locum interea curator dabitur. Si quis non ita ægrotet, vt oporteat tutela omnino vacare, in eius locum curator datur. Poſtea verò, quàm conualucrit,

luerit,tutelam suscipiet. cui similis est, qui in furorem inciderit.& Vlpianus ita scribit.

Capite duodecimo.ἄσιν καὶ.&c. Sunt alij, qui quãuis sint iam tutores aut curatores, in perpetuum deinceps onere liberantur. Vt qui domicilium aliò mutare ex imperatoris rescripto consecuti sunt.si modo princeps norit eos tutores esse, & apertè mutationem domicilij concedat,& vtrumque literis significet.

Capite decimotertio. εἰδέναι χρή. &c. Scire oportet, neque creatos tutores,neque testamento datos prouocãdi necessitatem habere,vt ex constitutione Diuorum Seueri & Antonini apparet.Quod etiam obseruari conuenit in creatis curatoribus.Nam valde sunt pauca ea,in quibus curatores à tutoribus differant.Sanè à sententiis, quæ eis excusationes auferunt,prouocare licet. Multa verò obseruare oportet tutores, vel curatores, vt caussas excusationis allegare permittantur. Nam debét intra tempora cõstituta ad iudicem accedere,& constituta sunt hæc.Qui in vrbe est,in qua creatur, aut intra centesimum ab vrbe miliarium,intra quinquaginta dies excusatur.postea verò nõ permittitur ei se excusare,sed oneri obligatus est. Et cũ nihil horum fecerit,in eadem erit caussa,ac si suo periculo id contemnere visus esset.nulla enim ei relinquetur ad excusationem via. Qui verò vltra centum milia ab vrbe abest,vicenis milibus in singulos dies enumeratis,ex quo se creatum cognouerit, namque oportet certiorem à magistratibus fieri aut coram,aut domi suæ, alios deinde triginta dies ad allegandam excusationem habet. Et hoc ad eos quoque pertinet,qui testamento dati sunt,siue tutores sint, siue curatores, quos curatores à Præside confirmari consuetum est. Illud verò inuenimus ex Marci legislatione quæstione dignum. Nam cum ei, qui in ipsa vrbe est, in qua creatur, aut intra centum milia legislator tempus quinquaginta dierum dederit, ei verò, qui vltra centum milia habitat, vicena milia in singulos dies numerari iussit, & amplius alios triginta dies ad se excusandum præbuit: euenit hinc, vt si quis ad centesimum & sexagesimum miliare habitat, tempus habeat octo & triginta die-

rum. Octo enim dies ob centum & sexaginta milia competunt, numeratis in singulos dies milibus viginti, triginta deinde dies ad se excusandum dantur. Itaque peiori conditione est, qui longius habitat eo, qui intra centum milia est, aut in ipsa vrbe: si quidem his quinquaginta semper dierum tempus est, illis pauciorum. Sed & si maxime scriptum legis eam sententiam efficiat: tamen legislatoris mens aliud vult. Quando & Ceruidius Scæuola,& Paulus & Domitius Vlpianus iurisperitorum principes scribunt hæc ita oportere obseruari, vt nullo pacto alicui minus detur temporis quinquaginta dierum: tum verò longior dies, cum numerus dierum itineris additus ad triginta dies, quos ad excusandum lex dedit, excedit quinquaginta dies. Vt si fingamus aliquem vltra quadringenta & quadraginta miliaria habitare, hic enī habet duos & viginti itineris dies, excusationis triginta. Hoc autē tēpus omnes obseruabunt, qui quomodocūque à tutela vel cura, vel ab eius parte se excusant. Consequens his esse sciendum est, vt si qua specie excusationis fuerit aliquis vsus, non aliter audiatur, quàm si seruabit tempus constitutum, nisi cum alterius ciuitatis ciuis sit. Sic autem necesse est, id tempus seruare, vt quamuis ob allegationes liberatus sit, liberum non fieri eum Diui Seuerus & Antoninus constituant. Idem iubent non valere alterius in eius locum creationem, vt pote cum datus sit, cum non licebat in eius locum, qui erat adhuc tutor. Sufficit tamen intra tempus saltem adesse, & si postea inuitus caussam omiserit, non erit præscriptioni obnoxius. Vnde si defunctoriè adsit solum, neque permaneat ad allegandum, post tempus in præscriptionem incidet. Atque hoc constitutione Imperatorum Seueri & Antonini constitutum est. Sed si ob valetudinem aduersam, vel aliam necessariam causam maris putà, aut hyemis, aut impetus latronum, aut alicuius similis rei in tempore adesse non potest: veniam consequitur. Cuius rei fidem facere ex ipso naturali iure est satis: sed tamen hæc eadem, Impp. Seueri & Antonini constitutione continentur. Scire etiam oportet non sufficere venisse quem ad ius dicētem, sed opus est, speciem excusationis testari. quod si multas

multas habet caussas excusationis, omnes proponet: sin minus, similis ei est, qui principio non venerit, quamuis venit is quidem, non tamen caussas excusationis dixit: Quinquaginta verò dies continui numerantur ab eo tempore, quo se datum esse cognouit. Vna autem oportet testari excusationem apud tribunal, aut aliâs apud acta, aut potest supplices libellos dare, vt idem imperatores constituerunt. Hæc de his, qui obseruare debent tépus constitutum. Age verò de his videamus, qui huic tépori non subiacent. Qui non legitime tutores dati sunt, hoc est à quibus non oportet, aut hi, quos non oportet, aut his, quibus non oportet, aut quomodo non oportet, si neque confirmabuntur, neque suscipient administrationem: immunes sunt. neque eis obiicietur, quod constitutum excusationibus tempus non seruauerint: cum excusare se eos non sit necesse. Vt ex infra scriptis constitutionibus apparet, quas exempli gratia subieci: hæ enim ad omnes casus trahi possunt.

Paulo post. ὁμοίως Similiter si non subditum iurisdictioni suę magistratus tutorem aut curatorem creauerint: ne hic quidem habet necesse tempus obseruare, vt si neque ciuis sit, neque incola.

Capite decimoquarto. ἀπελεύθερον. Libertum, cum de excusatione tutorum & curatorum loquimur, sciendum est non solum patris pupilli, sed etiam matris intelligi oportere. & cum de patroni liberis quærimus, scire oportet nos non in primo gradu eam appellationem statuere, hoc est filium, filiam, sed & ad nepotes ex eis, & cæteros posteros producere. Ille quoque qui ius aureorum anulorum impetrauit, hac in re in eadem erit condicione, in qua cæteri liberti. Quod D. Antoninus Magnus rescripsit. Qui de sua pecunia emptus & manumissus est, nullo pacto cæteris libertis comparatur. Si plures liberti sint: vnus ex omnibus, patroni liberis tutor dabitur, & à tribus tutelis non liberatur.

Capite decimoquinto. Σπάδοντα. &c. Spado creari potest tutor, neque enim habet excusationem, vt constat ex constitutione Impp. Seueri & Antonini. Qui patri pu-

tri pupillorũ promisit se futurũ tutorem, excusare se hac tutela non potest, quãuis aliàs excusare se iure possit. Scire oportet dignitatem nemini præbere excusationem. Vnde si quis senator sit, tutor erit etiam liberorum eorum, qui inferioris ordinis senatores sunt. Idque Diui Marcus & Commodus rescripserunt. Si verò quis cum tutor aut curator esset eius filij qui neque senator, neque in alia dignitate esset, postea senator fiat, perpetuo ab onere liberatur. Sin autem, qui sub eius tutela, aut cura sunt, liberi sint senatoris, non liberatur à tutela. Qui inferioris ordinis est, non excusatur à tutela maiorum. Neque librarios, neque calculatores, quos ψιαψηφιςὰς dicunt, habere immunitatem sacris constitutionibus dicitur. Iam vero Iudæi quoque non Iudæorum tutores erunt, quemadmodum cætera munera subeunt. Namque eos constitutiones solutos esse volunt solis illis rebus per quas superstitio eorum pollui videatur. Rationes ciuitatis ne pro vna quidem tutela prosunt. Liberti vxorum senatorum, quamuis eorum res agant à tutela non liberantur, est enim id solis senatorum libertis concessum. Magistratus municipalis, hoc est ςρατηγὸς, si ob creationem tutoris obligatus sit tutelæ periculo: eam tutelam cum aliis non computat, quemadmodum neque fideiussor tutoris, neque tutor honorarius. Qui vectigalia à ciuitatibus conduxerunt, à tutela non excusantur. Is, qui plures caussas excusationis allegare potest, quarum per se vnaquæque valida non est, quæsitum est, an possit excusari? vt si neque septuaginta annorum est, neque tres tutelas habet, neque quinque liberos, neque alia ratione se excusare potest: attamen tutelas duas habet, liberos duos, annos sexaginta natus est, aut eiusmodi alias caussas se habere dicit, quæ per se quidem perfectum auxilium non ferunt, tamen si inter se coniungantur, non iniustæ esse videantur: sed tamen placuit non excusari. Qui accepit, aut habet immunitatem ciuilium aut publicorum munerum, is à tutela vacationem non habet. Qui tutela aut cura liberatus est, non semper eisdem actis vtetur ad excusationem alterius, nisi maneant caussæ excusationis. Is, qui se ignotum esse dicit patri aut matri pupilli, ea de caus-

de cauſſa liberandus non eſt. Interdum etiam is, qui tres tutelas habet aut tres curas, non habet iuſtam cauſſam excuſationis, vt puta ſi quis vt tutor fieret, adfectauerit, atque is qui pauper eſt tutor, adfectaſſe videtur.

Paulopoſt. Si quis creatus eſt tutor, cum in patris poteſtate eſſet, neque pater velit pro eo cauere, iubent leges etiam patrem tutorem creari, ne vllo modo tutelæ cautio differatur, vt ex D. Hadriani conſtitutione conſtat.

Titulo. I X. cap 3. §. Si ius. ἐμφυτευτικόν. ius perpetuarium. ita enim latinè ius emphyteuticarium appellarunt Arcad. & Honor. A A. Conſtit. I. Codice de officio com. ſac. pal. nimirum quod hoc titulo ſterilia prædia perpetuo colenda dabant veteres: cum fertiliores agri publici non niſi ad tempus concederentur: id quod ex ſecundo οἰκονομικῶν Ariſtotelis haud obſcure colligimus, quo in loco hæc verba ſunt. Βυζάντιοι δεηθέντες χρημάτων, τὰ τεμένη τὰ δημόσια ἀπέδοντο, τὰ μὲν κάρπιμα χρόνον τινά, τὰ δὲ ἄκαρπα ἀεννάως. hoc eſt. Byzantij cùm pecuniis indigerent, publica prædia certis hominibus indicta penſione tradiderunt: fertiliora quidem ad tempus, ſterilia verò in perpetuum. Vnde & ipſe contractus ἐμφύτευσις, quaſi implantatio: & qui exercendos colendoſque eiuſmodi fundos recipiebant. ἐμφυτευταὶ quaſi implantatores græco vocabulo dicebantur, παρὰ τὸ ἐμφυτεύειν ab inſitione plantationeque: quãquam imperitia ſuperiorum temporum inualuerit, vt vulgus hodie non ſolum contra rationem, ſed & contra antiquorum exemplarium fidem, non emphyteuta & emphyteuſis, ſed emphyteota & emphyteoſis pronunciet. Quod autem ſequitur ἐμβατευτικὸν, inque ſolis Pandectis Florentinis additur: accipere poterimus pro iure detentionis, quod miſſo in poſſeſſionem ex primo decreto contingit, vſq; dũ ſecundo impetrato, authoritate iudicis dominium rei ſortiatur: dictum ἀπὸ τοῦ ἐμβατεύειν, quod miſſus in poſſeſſioné eò veluti pedem intulerit. nam vt de iure eundi agendi per vicini fundum intelligamus: obſtare videntur ea, quæ ſequuntur, cùm ſeruitutis mentio in genere

nero

nere fiat. quare cum ista admonendi tantum lectoris caussa scribamus: non erit quod quisquam succenseat, cum integrum sit doctioribus de ea re suo arbitratu statuere.

Titulo. 9. capite quinto. ℣. In primis. σύνοψιν. compendium, quod & inuentarium aut repertorium, seu ἀναγραφὴ dicitur. In hunc locum vide Antonium Augustinum libro quarto, capite secundo.

LIBRO XXVIII.

Tit. 1. cap. 22. ℣. Signum. χαρακτῆρα. formam, insculptámque signi imaginem.

Cap. 29. ταύτην &c. hocque testamentum ratū esse volo, quacunque ratione esse vel licebit, vel poterit.

Tit. 11. cap. 20. ἀδύνατος. impossibilis.

LIB. XXIX.

Tit. 1. cap. 1. ℣. Miles. χίλιοι. mille. Ibidem χιλιαστύς. decem centuriæ militum. Ibidem τάγμα agmen. Ibidē χιλίαρχον. tribunum militum.

LIBRO XXX.

Titulo 1. cap. 53. ℣. Si hæres λείψανα. reliquias. Sic etiam Constantinus sacras illas diuorum reliquias appellat libro tertio, titulo tertio προχείρου. Quod enim constitutione tertia de sacrosāctis ecclesiis capite tertio dicitur: Nemo martyres distrahat, nemo mercetur. sic ille vertit. μηδεὶς λείψανα ἁγίων πιπρασκέτω. Sed hoc loco λείψανα intelligemus carnē, corium, & cornua. vt capite quinquagesimo de legatis, libro secundo, & capite decimo quarto de cond. furti.

Cap. 104. ℣. In testamento. ἀδύνατος, impossibilis.

LIBRO XXXI.

Titulo de legatis & fideicommissis. 2. cap. 34. ὀκταβιάνη στρατονίκη &c. Octauianæ Stratonicæ dulcissimæ filiæ meæ. Salutem. Volo, vt ipsa à semetipsa prædium Gazam cum omnibus eius dotibus accipiat. Octauiano Alexandro dulcissimo filio meo. Volo, vt ipse à seipso possessionem Comianam agniferam cum vniuersis dotibus, quæ in ea sunt, præcipiat, idque eximium habeat. Ibidē circa finem. γάϊον σήϊον &c. Caium Seium maritum meum cōmendo tibi ô filia, cui volo dari in vitæ vsum & fructum, possessionem pagi Nacleni, quam olim in dotem cum cor-

poribus doti illatis dedi:& nulla in re eum molestia affici Erunt enim post mortem ipsius, tua & liberorum tuorum.

Cap.88.℣.Instituto.βούλομαι δὲ &c.Non volo autem, vt à meis hæredibus ædes meæ veneant,illarúmve nomine pecunia mutua accipiatur:sed vt apud eos (siue filij,siue nepotes sint) in omne æuum inuiolabiliter permaneãt. Si quis verò eorum partem suam vel vendere vel in caussam mutui obligare voluerit: saltē cohæredi suo eius vēdendi vel obligandi potestatem habeto.Quod si aduersus ea quis fecerit:quidquid eius rei gestũ esse dicetur, id infirmum atque irritum esto.

LIB. XXXII.

Cap.1.℣.Hi quibus:ἀπόλιδες.extorres ciuitate.

Cap.37.℣.Codicillis.βούλομαι πάντα &c.Volo, vt omnia,quę subiecta sunt,firmitatē obtineant.Maximo domino meo denariûm quindecim milia, quæ depositi nomine à Iulio Maximo patruo eius accepi,vt illi, cum in virum prouectus esset, restitueram : vt maximè cum vsuris in triginta milia excurrant, ei restitui volo. sic enim patruo eius iuraui. Ibidem paulopost.διαθέμην &c. Constitui dariq́ue volo Callimacho mercedis loco decem milia denariûm.

Cap.55.℣.Lignorum. ξύλα.ligna ξυληγοὺς.vectrices lignorum. Ibidem.ἀπὸ τῶν ἑλῶν, à paludibus.

Cap.65.℣.Pecoribus.δίεις τέγγε &c.

Sectantem videas,qui errant per pascua,porcos
Ad Coracis saxum,iuxta fontemq́ue Arethusam.

Cap. 78.σὺν ταῖς ἐνθήκαις. cum dotibus.

Cap.70. αὐτοφυὴς.quod ita per se natũ sit,nulla arte fucatum.Cuiusmodi Virgilius finxit:

Nec varios discet mentiri lana colores:
Ipse sed in pratis aries iam suaue rubenti
Murice iam croceo mutabit vellera luto
Sponte sua sandix pascentes vestiet agnos.

Ibidem ℣.Lanam.ἐριόξυλον.ligneam lanã,putà quę gossipinis aut eius generis arboribus depectitur.

Cap.100.βάσεις. vases.

Cap.101. τῇ γλυκυτάτῃ μου.&c.Quò magis dulcissima patria mea fines ac territoria sua tueatur : decerno adsignoq́ue

gnoque illi vniuersa prædia, quę in Syria possideo, cum omnibus, quæ illic sunt, pecoribus, seruis, fructibus, reconditis, omni apparatu.

LIB. XXXIII.

Tit. III. cap. 14. τὴν θυγατέρα &c. Filia mea Crispina, quam cupiebam collocare nuptū, cuicumq; amici cognatiq; mei adprobassent: vt rectè collocetur, prouidebit Pollianus, cum is mentem meā cognitam habeat de æqualib⁹ portionibus in doté dādis, quibus & sororé ei⁹ collocaui.

Tit. VIII. capite vicesimo tertio. ὅσους κατέλιπον &c. Quibuscunque libertatem reliqui, & legata, hosce volo excutiendis rationibus solutos esse.

Tit. IX. cap. 3. ℘. Seruius. λογάριον, ratiunculam.

Tit. X. capite septimo καὶ τῇ ἀνάρθρῳ. inarticulata voce & confusa.

Cap. IX. τὸ δ' ἐγὼ &c.

Haud alius quisquam fabricaui hoc ipse cubile.
Inter septa secans ramósque virentis oliuæ
Argento atque auro varium, leuique elephanto

LIBRO XXXIIII.

Tit. I. cap. 4. τοῖς τε ἀπελευθέροις &c. libertis, libertabusque meis, quos viua, siue in testaméto, siue in codicillo, aut manumisi, aut etiam manumisero: prædia, quę in Chio insula habeo, dari volo: vt ad ea, quæ à viuente me acceperunt, adiiciantur illis cibarii & vestiarij nomine.

Cap. 16. ἀπὸ Ῥουφίνας &c. Rufina pgnato, liberto nostro.

Tit. III. cap. 30. ℘. Titia. σύγκτησιν, latifundiū. Ibidem. κληρονόμοις μου. &c. Hæredib⁹ meis. S. Volo, vt subiecta omnia rata sint, quæcunq; antè in Pāphili nomen cōtulisse visa sum. Si Seia collactanea mea hæres ex parte, qua eā scripsi, non erit: volo ei dari latifundiū circa Colonam. Ibidem ℘. Qui filias. τὰ δὲ λοιπὰ &c. Reliqua auté omnia de mea substantia, quemadmodum & hæreditatis onera, pertinebunt solummodò ad Primam & Secundam filias meas, aut quæ ex his superstes erit.

LIBRO XXXV.

Tit. II. cap. 88. τῶν ἀπόρων. inter perplexa. Ibidem τῶν ψευδομένου, frustratorij cauillatorijq; scilicet syllogismi.

LIBRO XXXVI.

Tit.

Tit.1.cap.15.ὑποκοριστικῶς.forma deminutiua.

Cap.74.ἐντέλλομαι &c.demando tibi,ne prius testamẽtum facias,quàm liberos habeas.

Cap.vltimo.μονομερῶς. peremptoriè,sine replicatione.

LIBRO XXXVIII.

Tit. v I I. cap.1.παρατατικῶς.largè & cũ extensione.

Tit.x.cap.4.ἑκυρὸς.socer per virum.Ibidem ἑκυρά. socerus per virum.πενθερὸς socer per vxorem.πενθερά.socrus per vxorem. Ibidem δαήρ.leuir.paulo pòst. δᾶερ. &c. Leuiri mei canis,omnis mali causatricis, horridæ. Ibidẽ γάλως.glos.Ibidem ἐνατέρες. inateres,fratrum vxores. Ibidem δαέρων, ἤ. &c. Leuirorum aut glorium,aut inaterum speciosis peplis.

Cap. I x. σέμματα.stirpes.

Cap.x.συγγενὴς cognatus,συγγενεῖς cognatos.

Tit.16.cap.8.ἀναφορικῶς.per relationem.

LIBRO XXXIX.

Tit. I I I. cap.1.ἕλικες, sulci aquarij.

Tit.v I.cap.35.δῶρον καὶ δορεῖσθαι. donum & donare.

LIBRO XL.

Tit. I I I I.cap.sexagesimo.ἔνδωνι &c. Volo,vt Endoni dentur mille solidi,eo quod primo sit genitus posteà, q̃ mater eius ad libertatem peruenit.

Titulo quinto.cap.20.κἂν τὸν ἕτερον.Etsi alterum pedem in tumulo haberem, non pigeret aliquid addiscere.

Capite vicesimono.πίστευσόν μοι. &c. Crede mihi Zoile,gratiam tibi referet filius meus Martialis. imò non tibi solum,sed etiam filiis tuis.

Cap.x L I.Sorore. βούλομαι καὶ &c. Volo atq; obsecro dulcissima mea soror, vt Stichum & Damã actores meos tibi commendatos habeas:quos,ego tãtisper manumissos esse nolo, donec rationes reddiderint. Sane si tibi quoque placuerint:significaui tibi mentem meam.

Capite quadragesimo sexto.τῷ δεῖνι.&c. Illi, si probaueris,libertatem dari volo.

LIBRO XLI.

Tit.I I I cap.1.κατοχήν.detentionem possessionem.

Tit. I I I.cap.30.ἡνωμένον,vnitum.Ibidẽ συνημμένον cõnexum.

Libro

LIBRO XLII.

Titulo. I I I. capite.2. παρατατικῶς. fuſius & cum extenſione.

Titulo v. cap.15. ἀναγραφὴν. deſcriptionem, vt Cicero: vel vt vulgus, inuentarium.

LIBRO XLIII.

Titulo v I I I. cap. 2. ꝓ. Viarum βασιλικὰς. regias.

Tit. x. cap. 10. ἐκ τοῦ ἀστυνομικοῦ. &c. Ex libro ſingulari Papiniani de officio ædiliū. Aediles curã gerant per vrbē publicorum itinerum, vt complanentur: néve flumina dãnum dent ædibus: & vt ponticuli ſint, quocunque loco opus fuerit. Curæ item habeant, vt ſi priuati parietes, cū alij, tum domeſtici, qui in publicam viam feruntur, ruinam minentur: ædium domini eos, vt oportet demoliantur ac reparent. quod ſi vel non demoliantur, vel non reparent: multam in eos dicant, quouſque vitiū emendauerint. Procurent etiam ne quis publica itinera perfodiat, aut aggeribus congeſtis obruat, néve quid in publico itinere exædificet. ſin minus factum erit: ſeruus quidem flagellis à quocunque, qui eum deprehenderit, cædatur: liber verò ædilibus indicetur. Aediles autem lege in eum animaduertãt, & quod factum eſt opus, deſtruant. præterea vt ante ſuas quiſque ædes publicas vias reparet, repurgetque aquagia, quæ ſub dio ſunt (ſcilicet curent) ita quidem, vt ne quid impedimento ſit, quo minus eatur agatur. Quod ſi qui in conductis ædibus habitant, quod ædium dominus eas non reparet, ipſi reparauerint: eum ſumptum in penſionem reputabunt. Procurent inſuper, ne quid ante officinas propoſitum ſit: præterquam ſi fullo veſtimenta ab excoctione ad auram recreet, vel faber rotas exponat: vt tamen ita collocent, ne impedimento ſint ducēdo vehiculo. Sed neque rixari in itineribus, neque ſtercora proiicere, neq; morticina, aut pelles iactare permittant.

Tit. x I I. cap. I. ἀένναος perennis. Ibidem χειμάῤῥους. torrens, quaſi dicas hyeme fluens.

Tit. x v I I. cap.3. κρύπτας. refugia. quemadmodū Vlpianus de vſufructu Latinè appellat.

Tit. x x I. cap. I. ἀπὸ τοῦ ῥεῖν. à fluendo.

LIBRO XLIIII.

Titulo quinto, capite primo, ℥. Quæ onerandæ. ἀπειωρούμενον· imminens.

Titulo septimo, capite sexagesimo λούκιος καλάνδιος, Lucius Calandius recognoui. quemadmodum suprascriptum est, reliqua à nobis debentur.

LIBRO XLV.

Tit. I I I. cap. 13. τὸ ἰσάζον· æquiualens.

LIBRO XLVI.

Tit. 1. cap. 8. τῇ ἐμῇ πίστει. mea fide iubeo ego. Ibidem θέλω. volo, cupio. Ibidem βούλομαι cũ destinatione quadam animi volo. φημὶ adfirmo. Ibidem λέγω. dico.

Titulo tertio, capite decimo tertio ἐν πλάτει. cum laxamento & amplitudine.

Titulo quarto. capite octauo. πιθανῶν. verisimilium. Ibidem ℥. Filiusfamilias. ἔχεις λαβὼν. &c. tot denarios habésne acceptos? acceptos habeo.

LIBRO XLVII.

Tit. I I. cap. 1. φῶρας, fures.

Capite tertio. ἐπ' αὐτοφώρῳ in ipso furto admisso. scilicet deprehensum.

Cap. 43. εὕρετρα, inuentionis præmia.

Cap. 52. ℥. Si quis asinum. τῆς γονῆς χάριν, geniture, suscipiendique fœtus gratia.

Titulo octauo, capite quarto. ἀπὸ τοῦ θορυβεῖν, à tumultuando.

Tit. I X. cap. 3. ℥. Qui eiecta. ἐξεβράσθη. quæ eiecta, rupta, illisa sit.

Titulo decimo, capite decimotertio ℥. Siquis. σαγήνην. euerriculum.

Titulo vndecimo, capite septimo. σκοπελισμὸν lapidũ positionem. σκοπέλους lapides.

Tit. X X I I. cap. vltimo. ἑταιρίαν societatem. Ibidem. ἐὰν δὲ ὁ δῆμος &c. Quòd si populus, vel eiusdem religionis cultores, vel Orgiorum sacrificuli, vel nautæ, vel sodales, vel commune sepulchrum habentes, vel † publicani, vel in societatem coëmendorum pecorum, aut negociationis, aut cuiuscunq; alterius rei coëuntes, paciscãtur inter se: ratum esto, quatenus publica id monumenta non prohibeant.

† ita enim apud Aristotelẽ appellantur θιασῶται *lib. 2. Oeconomi*κῶν.

LIBRO XLVIII.

Titu. I I I. capite sexto. ἀνάκρισιν..adhibita quæstione professionem.

Tit. V. cap. 6. καταχρηστικώτερον. abusiuè aliquantum. Ibidem. φθορὰν corruptionem.

Capite decimotertio. ἢ μοῦνοι &c.

Soli ne Atridæ vxorum tanguntur amore
Inter disparili sermone homines?

Titulo sexto, cap. 5. τῷ κοινῷ τῶν θετταλῶν. cōmunitati ac vniuersitati Thessalorum.

Titulo decimonono, cap. 9. Ⓢ nonnunquā δημοσίων ἀπέχεσθαι. publicis abstinere.

Capite decimosexto. Ⓢ. Qualitate. οὐ γὰρ ἡ πληγὴ &c. Non enim plaga iram concitauit, sed ipsa facti indignitas: neque tam ingenuis graue est cædi (quanquam graue sit) quàm per contumeliam cædi. siquidem multa is, qui alium cædit, admittere potest, quorū magnam partem is, qui verberibus adfectus est, habitu corporis, vultu, vociferatione, nunc vt contumeliam inferens, nunc vt inimicum se gerens, nunc pugnum ducens, nunc in malam cædens, alteri renunciare ac repræsentare nequit. hæc ipsa mouent. hæc de statu mētis deturbāt homines propudij ac suggillationis non assuetos. Ibidem paulopost ἦντ' ἐμὲ τυτθὸν. &c.

Quo puerum me tempore vestras duxit ad ædes
Ex Opoënte pater, dira pro cæde patrata:
Ob talos nempe ira percitus, Amphidamantis
Cum gnatum imprudens simul inuitusque peremi.

Capite decimo septimo. ἀπόλιδες. extorres ciuitate.

LIBRO XLIX.

Titulo primo, capite primo. ἐὰν μὲν ἐπιστολῇ &c. Si quis per epistolam nos consuluerit, simulq; nos illi quidpiam rescripserimus: omnibus, qui volent, aduersus rescriptum prouocandi copia erit. nam si quæ epistola compræhensa sunt, vel falsa, vel aliter se habere docuerint: nihil per nos præiudicij factū esse putetur, qui ita rescripserimus. quasi scriptis ad nos relata aliter se habuerint.

Cap. X X V. Αὐτοκράτωρ Ἀλέξανδρος. &c. Imperator Alexander vniuersitati Græcorū in Bithynia. Quanquam non video,

vidẽo,quo pacto iud ices ꝓhibere poſſint,quo minus quis prouocet,cum aliam viam capeſſenti idem efficere, celeriuſque ad me peruenire liceat:ne tamen iniuria aut vi aduerſus prouocantes vtantur,cuſtodiaq; militari eos circũſiſtãt,&(vt ſimpliciter dicã) aditum illis ad nos obſtruãt, curatoribusq; principibuſq; gentiũprohibemus:obediẽtque huic meç promulgationi,ſciẽtes nõ magis mihi illorũ beneuolẽtiã obediẽtiãq; curæ eſſe,ꝗ̃ ſubditorũ libertatẽ.

LIBRO L.

Titulo primo,capite. 35. εἰδέναι χρὴ. &c. Sciendum eſt eum, qui in agro moratur, incolam non exiſtimari. qui enim eius ciuitatis præcipuis non vtitur, is ne incola quidẽ exiſtimatur.

Tit. I I I I. cap.1. ℣. perſonalia. καμηληλασία. camelorum agitatio exhibitioque.

Cap. X V I I I. ℣. Perſonalia. σιτώνας καὶ ἐλαιώνας coëmendo fruméto atq; oleo curatores præpoſitos. Ibidem. ℣. Legati. συνδίκους. ſyndicos, & communé reip. cauſſam patrocinio defendentes. Ibidem. ℣. Miſta. δεκαπρωτίαι. decemprimatus, vigintiprimatus.

Tit. V I. cap. 5. Εἰ καὶ μὴ πασῶν &c. Et ſi non ab omnibus muneribus liberorum numerus patri vacationem præſtat: tamen cum ſedecim te liberos habere libello ſignificaueris: non contrarium rationi fuerit, ſi te liberorũ educationi incumbere potius ſinamus, ſoluamuſque munerũ functione. Ibidẽ. ℣. Licet ἤσαν δὲ καὶ &c. Conati ſunt & alij prætextu nauiculariorum, eorumque, qui in forum populi Romani frumentum & oleum conuehunt, qui immunitate perfruũtur, publicis ſe muneribus ſubtrahere: tametſi neque nauigent, neque maximam ſubſtantiæ partem in nauiculariam, aut mercaturam exercendam, cõtulerint. adimatur itaque talibus immunitatis ius.

Tit. I X. cap. 6. ἐὰν τις ἔξω. Si quis extra decurionum ordinem iudicauerit: & ipſo ordine moueatur, & inſuper mille drachmas perſoluat.

Titulo vndecimo. capite ſecundo. δεῖ γὰρ πλειόνων. &c. Pluribus ſane, non agricolis tantum, ſed etiam opificibus opus eſt: adeoque aliis quoq; miniſtris. tum qui importẽt ſingula, tũ qui exportẽt. hi vero mercatores ſunt. At verò

agricola ſiquid eorum, quæ effingit, aut quis alius opificū in forum deferat : niſi eodem tempore adueniat, quo alij eius rei indigentia adducti, cum eo contrahant: neglectóve domi artificio, iners in foro deſidebit? minime. ſed ſūt, qui cum hoc videant, huic ſe miniſterio ſubmittant.

Titulo duodecimo, capite decimo. φιλοτιμοῦμαι καὶ καθιερῶ. &c. Ex liberalitate ac munificētia dedico quadriēnale certamen de triginta milibus ſortis : ita quidē, vt pecunia apud me retenta, apud Decemprimos de præſtandis in editionem conſuetis triginta miliū vſuris idoneè caueāt deſignatore ac præfecto marito meo, & deinceps qui ex me naſcentur, liberis. cedent autem hæ vſuræ in præmia Thymelicorum, prout vnoquoque in certamine ſenatus definierit.

Tit. decimo tertio, capite primo. ἐλευθέρια μαθήματα. liberales diſciplinas.

Titulo decimoquarto, capite tertio, ἑρμηνευτικόν. honorarium interpretis.

Titulo decimoquinto, capite ſeptimo. τρωάς, βήρυτος, δυῤῥάχιον, Troas, Berytus. Epidamnus.

Titulo decimoſexto, capite quinto. ἀποτέλεσμα. effectum. Ibidem ἔργον. opus.

Capite decimonono. συνάλλαγμα. contractus.

Capite triceſimo. νέακιν. noualem agrum.

Capite triceſimo octauo. φάσματα . pdigia παρὰ τὸ φαίνειν, quod prodigij cauſſa oſtendantur.

Capite quadrageſimoquinto περίστρωμα. inſtratum.

Capite quinquageſimo octauo. καταχρηστικῶς. abuſiuè.

Capite centeſimo quarto. τῶν τέκνων &c. Liberorū appellatio & ad nepotes extenditur.

Capite centeſimo quadrageſimo quarto. παλλακήν. pellicem.

Capite centeſimo ſexageſimo tertio. παῖδες. pueri.

Capite centeſimo ſeptuageſimoſeptimo. σωρείτην. cōmentum cauillatorium, cum per argumentorum congeriē eò paulatim res deducitur vt falſum confiteri neceſſe ſit. ita Ariſtoteles explicat.

Capite ducenteſimo quinto. τρωξίμους. comeſtibiles.

Capite. 233. ἀπὸ τοῦ τηλοῦ, ab eo, quod eſt longe. Ibidē

βέλος

βέλος.telum.Ibidem ἀπὸ τοῦ βάλλεσθαι ab emittendo.Ibidem. καὶ τὰ βέλη ὁμόσε ἐφέρετο.&c.& huiusmodi tela simul ab eis ferebantur,lanceæ, spicula, fundæ, plurimi autem & lapides.Ibidem τόξευμα.sagitta.

Capite ducẽtesimo tricesimosexto. φάρμακα.&c.Noxia permistim.neque nõ bona multa venena. Ibidem ἀκρόδρυα. fructus arborei, quod è summis arboribus demantur.

Capite ducẽtesimo tricesimo nono. πάροικον accolam. Ibidem ἔποικον. vt qui nouas sedes in deducenda colonia quærat. aliâs tamen legitur ἄποικον. vt qui priores sedes deseruerit.

Capite ducentesimo quadragesimo secundo.ὑπαιθρίου subdialis.ὑπαίθριον subdiale.

Capite ducentesimo quadragesimo sexto.πιθανῶν.verisimilium.

Titulo decimo septimo, capite sexagesimo quinto.σωρείτην vt supra.libro 50.tit.16.cap.177.

FINIS.

TITVLI CVIVSQVE LIBRI DIgestorum seu pandectarum.

PARS PRIMA τῶν πρώτων.

LIBER I.

LIBER II.

Familiæ

De tri-

PARS QVINTA, DE teſtamentis.

LIBER XXVIII.

LIBER XXIX.

LIBER XXX.

LIBER XXXI.

LIBER XXXII.

LIBER XXXIII.

De ſer-

De bono-

De noui

I. De noui operis nunciatione.
II. De damno infecto,& de ſuggrundis, vel protectionibus.
III. De aqua,& aquæ pluuiæ arcendæ.
IIII. De publicanis,& vectigalibus,& commiſſis.
V. De donationibus.
VI. De mortis cauſſa donationibus, & capionibus.

LIBER XL.

I. De manumiſſionibus.
II. De manumiſſis vindicta.
III. De manumiſſionibus,quę ſeruis ad vniuerſitatem pertinentibus imponuntur.
IIII. De manumiſſis teſtamento.
V. De fideicommiſſariis libertatibus.
VI. De ademptione libertatis.
VII. De ſtatuliberis.
VIII. Qui ſine manumiſſione ad libertatem perueniunt.
IX. Qui & à quibus manumiſſi liberi non fiant, & ad legem Aeliam Sentiam.
X. De iure aureorum anulorum.
XI. De natalibus reſtituendis.
XII. De liberali cauſſa.
XIII. Quibus ad libertatem proclamare non licet.
XIIII. Si libertus ingenuus eſſe dicetur.
XV. Ne de ſtatu defunctorum poſt quinquennium quæratur.
XVI. De colluſione detegenda.

LIBER XLI.

I. De adquirendo rerum dominio.
II. De adquirenda vel omittenda poſſeſſione.
III. De vſurpationibus & vſucapionibus.
IIII. Pro emptore.
V. Pro hærede vel poſſeſſore.
VI. Pro donato.
VII. Pro derelicto.
VIII. Pro legato.
IX. Pro dote.
X. Pro ſuo.

LIBER XLII.

LIBER XLIII.

De fon-

Ad le-

FINIS.

IMP. IVSTINIANVS A. TRIboniano uiro eminentißimo, quæstori sacri Palatij. S.

DEo authore, nostrum gubernante Imperium, quod nobis à cœlesti maiestate traditum est: & bella feliciter peragimus, & pacẽ decoramus, & statum reipub. sustentamus: & ita animos nostros ad Dei omnipotẽtis adiutoriũ erigimus, vt neq; armis confidamus, neq; nostris militibus, neq; bellorũ ducibus, vel nostro ingenio: sed omnẽ spem ad solã prouidentiam referamus summæ trinitatis, vnde & mundi totius elementa processerunt, & rerum dispositio in orbẽ terrarum producta est. Cum itaque nihil tam † studiosum in omnibus rebus inuenitur, quàm legum authoritas, quæ & diuinas & humanas res bene disponit, & omnem iniquitatem expellit: reperimus autẽ omnẽ legum tramitem, qui ab vrbe cõdita & Romuleis descendit tẽporibus, ita esse confusum, vt in infinitũ extendatur, & nullius humanæ naturæ capacitate cõcludatur: prius nobis studium fuit à sacratissimis retro principibus initium sumere, & eorũ constitutiones emẽdare, ac viæ dilucidæ tradere: quatenus in vno codice congregatæ, & omni superuacua similitudine & iniquissima discordia absolutæ, vniuersis hominibus promptũ suæ serenitatis præbeant præsidiũ. Hócq; opere consummato, & in vno volumine, nostro nomine præfulgẽte, coadunato: cum ex paucis & tenuioribus releuati, ad summã & plenissimã iuris emendationem peruenire properaremus, & omnem Romanã sanctionem & colligere, & emendare, & tot authorum dispersa volumina vni codici indita ostẽdere (quod nemo alius neque sperare, neque optare ausus est) res quidem nobis difficillima, imò magis impossibilis videbatur. Sed manib⁹ ad cœlũ erectis, & æterno auxilio inuocato, eam quoq; curã nostris animis reposuimus: freti Deo, qui & res penitus desperatas donare, & consummare virtutis magnitudine potest: & ad tuæ sinceritatis optimum respeximus ministerium, tibique primo & hoc opus cõmisimus (ingenij tui documẽtis ex codicis nostri ordinatione acceptis) & iussimus, quos ꝓbares, tam

† ἀπεσ-δάσιον.

ex facũdissimis antecessoribus, quàm ex iuris disertissimis togatis fori amplissimæ sedis, ad sociandum laborem eligere. His itaq; collectis, & in palatium nostrum introductis, nobísq; tuo testimonio placitis, totam rem faciendã permisimus: ita tamen, vt tui vigilantissimi animi gubernatione res omnis celebraretur. Iubemus igitur vobis antiquorum prudentium, quibus authoritaté conscribendarum interpretandarumq́; legũ sacratissimi principes præbuerunt, libros ad ius Romanum pertinentes & legere, & elimare: vt ex his omnibus materia colligatur, nulla (secũdum quod possibile est) neq; similitudine, neq; discordia derelicta, sed quod ex his vnum pro omnibus sufficiat. Quia autem & alij libros ad ius pertinentes scripserunt, quorum scripturæ à nullis authoribus receptæ, nec vsitatæ sunt: neq; nos eorum volumina nostram inquietare sanctionem dignamur. Cumq́; hæc materia summi numinis liberalitate collecta fuerit: oportet ea pulcherrimo opere exstruere, & quasi proprium & sanctissimũ templũ iustitiæ consecrare: & in libros quinquaginta & certos titulos totum ius digerere, tam secundũ codicis nostri cõstitutionem, q̃ edicti perpetui imitationé (prout hoc vobis cõmodius esse paruerit) vt nihil extra memoratã consummationé possit esse derelictũ, sed his quinquaginta libris totum ius antiquum per mille & quadringétos ferè annos confusum, & à nobis purgatũ, quasi quodã muro vallatũ, nihil extra se habeat: omnibus authoribus iuris æqua dignitate pollentibus, & nemini quadã prærogatiua seruãda: quia nõ omnes in omnia, sed certi per certa, vel meliores, vel deteriores inueniũtur. Sed neq; ex multitudine authorum, quod melius & æquius est, iudicatote: cũ possit vnius forsitan & deterioris sentétia & multos & maiores aliqua in parte superare. Et ideo ea, quæ in notis Aemilij Papiniani ex Vlpiano, & Paulo, necnon & Martiano adscripta sunt, quæ antea nullã vim propter honoré splendidissimi Papiniani obtinebant, non statim respuere: sed si quid ex his ad repletioné summi ingenij Papiniani laborũ vel interpretationũ necessarium esse perspexeritis, & hoc ponere legis vim obtinens non moremini. Et omnes, qui relati fuerint in hoc codice prudẽtissimi viri, habeãt authoritatem

ritatem

ritatem,tanquã si eorum studia ex principalibus constitutionibus profecta, & à nostro diuino fuerint ore profusa. Omnia etiam meritò nostra facimus: quia ex nobis omnis eis impartietur authoritas. nam qui non subtiliter factum emendat: laudabilior est eo, qui primus inuenit. Sed in hoc studium vobis esse volumus, vt si quid in veteribus libris non bene positum inueniatis, vel aliquod superfluum, vel minus perfectum: superuacua longitudine semota, & quod imperfectum est, repleatis: & omne opus moderatũ & q̃ pulcherrimũ ostẽdatis. hoc etiã nihilominus obseruando, vt si quid ex veteribus legibus vel constitutionibus, quas antiqui in suis libris posuerint, nõ rectè scriptũ inueniatis: & hoc reformetis, & moderato ordini tradatis: vt hoc videatur esse verũ, & optimũ, quasi ab initio scriptum, quod à vobis electum, & ibi positũ fuerit: & nemo ex comparatione veteris voluminis, quasi viciosam scripturã, arguere audeat. Cũ enim lege antiquâ, quę regia nuncupabatur, omne ius omnisq; potestas populi Romani in Imperatoriã translata sit potestatẽ: nos vero sanctionem omnẽ non diuisimus in alias & alias conditorum partes, sed totã nostram esse volum⁹: quid possit antiquitas nostris abrogare legibus? Et intantum volumus eadem omnia, cũ reposita sunt, obtinere: vt si aliter fuerint apud veteres conscripta, in contrarium autẽ in cõpositione nostra inueniantur: non scripturæ, sed nostræ electioni hoc adscribatur. Nulla itaque in omnibus prædicti codicis membris ἀντινομία (sic enim à vetustate Græco vocabulo nũcupatur) aliquẽ sibi locũ vindicet: sed sit vna cõcordia, vna consequentia, aduersario nullo cõstituto. Sed & similitudinem (secundum quod dictum est) ab huiusmodi cõsummatione volumus exsulare: & ea, quæ sacratissimis cõstitutionibus, quas in codicẽ nostrũ redegimus, cauta sunt, iterum poni ex vetere iure non concedimus: cum Diualiũ constitutionum sanctio sufficiat ad eorũ authoritatẽ: nisi fortè vel propter diuisionem, vel propter repletionẽ, vel pleniorem indaginẽ hoc contigerit: & hoc tamẽ perrarò, ne ex continuatione huiusmodi lapsus oriatur aliquid in tali prato spinosum. Sed & si quæ leges in veteribus libris positæ, iam per desuetudinẽ abierũt, nullo modo vobis

bis

bis eaſdē ponere permittimus: cum hæc tantūmodo obtinere velimus, quæ vel iudiciorum frequentiſſimus ordo exercuit, vel longa conſuetudo huius almæ vrbis cōprobauit: ſecundum Saluij Iuliani ſcripturam, quæ indicat, debere omnes ciuitates conſuetudinem Romæ ſequi, quæ caput eſt orbis terrarum, non ipſam alias ciuitates. Romam autem intelligēdum eſt non ſolum veterem, ſed etiam regiam noſtram, quæ Deo propicio melioribus condita eſt auguriis. Ideo iubemus duobus iſtis codicibus omnia gubernari: vno conſtitutionum, altero iuris enucleati, & in futurum codicem cōponēdi: vel ſi quid aliud à nobis fuerit promulgatū inſtitutionum vicē obtinens, vt rudis animus ſtudioſi ſimpliciter enutritus, facilius ad altioris prudentiæ redigatur ſcientiā. Noſtram autē conſummationem, quæ à nobis adnuente Deo cōponetur, Digeſtorum vel Pandectarum nomen habere ſancimus: nullis iuris peritis in poſterum audentibus cōmentarios illi adplicare, & verboſitate ſua ſupradicti codicis compendium confundere: quemadmodum & antiquioribus temporibus factum eſt, cum per contrarias interpretantium ſententias totum penè ius conturbatum eſt. ſed ſufficiat per indices tantummodo & titulorum ſubtilitatēm, quæ παράτιτλα nuncupantur, quædam admonitoria eius facere, nullo ex interpretatione eorum vicio oriundo. Ne autē per ſcripturā aliquam fiat in poſterum dubitatio: iubemus nō per ſignorum captiones & compendioſa ænigmata, quæ multas per ſe & per ſuum vicium ἀντινομίας induxerunt, eiuſdē codicis textum cōſcribi: etiam ſi numerus librorum ſignificabitur, aut aliud quidquā. neque etenim hæc per ſpecialia ſigna numerorum manifeſtari, ſed per literarū conſequentiam explanari concedimus. Hæc igitur omnia Deo placido facere tua prudentia vnà cum aliis facundiſſimis viris ſtudeat, & tam ſubtili, quàm celerrimo fini tradere: vt codex conſummatus, & in quinquaginta libros digeſtus, nobis offeratur in maximā & æternam rei memoriā, Deique omnipotentis prouidentiæ argumentum, noſtriq; Imperij, & veſtri miniſterij gloriam. D. XIIII. KALEN. IAN. CP. IIII. LAMPADIO ET HORESTA VIRIS CC. COSS.

IMP.

IMP. CAESAR ELAVIVS IVSTInianus A. ad senatus, & omnes populos.

TAnta circa nos diuinæ humanitatis est prouidentia, vt semper æternis liberalitatibus nos sustentare dignetur. post bella enim † Parthica æterna pace sopita, postque Vandalicã gétem ereptam, & Carthaginem, imo magis omnem Libyam Romano Imperio iterũ sociatam: & leges antiquas iam senio prægrauatas, per nostram vigilantiam præbuit in nouam pulchritudinem, & moderatum perueniré compendium: quod nemo ante nostrum imperiũ vnquam sperauit, neque humano ingenio possibile esse penitus existimauit. erat enim mirabile Romanam sanctioné ab vrbe condita vsque ad nostri imperij tempora, quæ pene in mille & quadringentos annos concurrũt, intestinis prœliis vacillantem, hocque & in Imperiales constitutiones extendentem, in vnam reducere concordiam: vt nihil neque contrarium, neque idem, neq; simile in ea inueniatur, & ne geminæ leges pro rebus singulis positæ vsquam appareant. nanque hoc cœlestis quidem prouidentiæ peculiare fuit: humanæ verò imbecillitati nullo modo possibile. Nos itaque more solito ad immortalitatis præsidium respexim⁹, & summo numine inuocato deũ authoré & totius operis præsulem fieri optauimus: & omne studiũ Triboniano viro excelso, magistro officiorum, exquæstore sacri nostri palatij & excõsule credidimus, eique omne ministerium huiusmodi ordinationis imposuimus, vt ipse vnà cum aliis illustribus & prudentissimis viris nostrum desiderium adimpleret. nostra quoq; maiestas semper inuestigando & perscrutando ea, quæ ab his componebantur, quidquid dubium & incertum inueniebatur, cum cœlesti numine rectè emendabat, & in competentem formam redigebat. Omnia igitur confecta sunt, domino & deo nostro Iesu Christo possibilitatem, tam nobis, quàm nostris in hoc satellitibus præstãte. Et principales quidé cõstitutiones duodecim libris digestas, iam ante in Codicé nostro nomine præfulgenté cõtulimus. postea vero maximũ op⁹ aggrediétes, ipsa vetustatis studiosissima opera iã pené

† aliàs Persica.

penè confusa & dissoluta, eidem viro excelso permisimus tam colligere, quàm certo moderamini tradere. Sed cùm omnia percontabamur, à præfato viro excelso suggestum est, duo penè millia librorum esse conscripta, & plusquàm tricies centena versuum à veteribus effusa, quæ necesse esset omnia & legere, & perscrutari, & ex his quod optimũ fuisset, eligere. Quod cœlesti fulgore & summæ trinitatis fauore confectum est secundum nostra mandata, quæ ab initio ad memoratum virum excelsum fecimus: & in quinquaginta libros omne, quod vtilissimum erat, collectum est: & omnes ambiguitates decisæ, nullo seditioso relicto. noménque libris imposuimus Digestorum seu Pandectarum: quia omnes disputationes ac decisiones in se habent legitimas, & quod vndique fuit collectum, hoc in sinus suos receperunt, in centum quinquaginta penè millia versuum totum opus consummantes. & in septem partes eos digessimus, non perperam, neque sine ratione: sed in numerorum naturam & artem respicientes, & consentaneam eis diuisionem partium cõficientes. Igitur PRIMA quidem pars totius contextus, quæ Græco vocabulo τὰ πρῶτα nuncupatur, in quatuor libros seposita est. SECVNDVS autem articulus septem libros habet, qui de iudiciis appellatur. In TERTIA verò congregatione omnia, quæ de rebus nominantur, contulimus, octo libris ei deputatis. QVARTVS autem locus, qui & totius compositionis quasi quidam inuenitur vmbilicus, octo libros suscepit: in quorum primo omnia, quæ ad hypothecã pertinent, reposita sunt, vt non à pignoraticia actione in libris de rebus posita, multum distarent. Alio libro eidem inserto volumini, qui ædilitium edictum, & redhibitoriam actionem, & duplæ stipulationem, quæ euictionibus adposita est, contiuet: quia hæc omnia titulis emptionum & venditionum consentanea sunt. & prædictæ actiones quasi pedissequæ illarum ab initio processerunt: in vetustioris quidem edicti ordinatione in loca deuia & multum distantia deuagantes, per nostram autem prouidentiam his congregatæ: cùm oportuerat ea, quæ de eodem penè loquuntur, in confinio ponere. Alius denique liber post duos primum nobis excogitatus est de vsuris, & traiecticiis pecuniis, & de in-

de instrumentis,& testibus,seu probationibus,necnō præsumptionibus.& memorati tres singulares libri iuxta compositionem de rebus positi sunt.Post hos, quæ de sponsalibus,& nuptiis,de dotibus, & legibus earū dicta sunt, reposuimus, tribus librorum voluminibus ea concludentes. De tutelis autem & curationibus geminos libros conscripsimus. Et memoratā ordinationem octo librorū mediam totius operis reposuimus , omnia vndique tam vtilissima, quàm pulcherrima iura continentem. QVINTVS autem vobis exoritur Digestorum articulus , in quem de testamentis,& codicillis,tam priuatorum, quàm militum,omne,quicquid antiquitus dictum est,inueniat quis depositum,qui de testamentis appellatur. De legatis autem & fideicōmissis quinq; librorū numerus aggregatus est.Cúmque nihil tā peculiare fuerat,quàm legatis quidē legis Falcidiæ narratio.fideicōmissis autē,q̄ senatuscōsulti Trebelliani:singulis libris vtriq; eorū adplicatis,tota pars quinta in nouē libros coadunata est. Solū autem senatusconsultū Trebellianū ponendū esse existimauim᷒. captiosas etenim & ipsis veteribus odiosas Pegasiani senatuscōsulti ambages,& vtriusq; senatusconsulti inter se tam superuacuas,q̄ scrupulosas diuersitates respuētes: totū ius super his positum Trebelliano senatusconsulto adiudicauimus. Sed & in his nihil de caducis à nobis memoratum est : ne caussa, quæ in rebus non prosperè gestis & tristibus temporibus Romanis increbruit calamitatibus, bello coalescens ciuili,in nostris remaneat temporib᷒,quæ fauor cœlestis & pacis vigor firmauit,& super omnes gentes in bellicis victoriis posuit: ne luctuosum monumentum læta secula inumbrare concedatur. SEXTA deinde Digestorum pars exoritur, in qua omnes bonorum possessiones positæ sunt, quæ tam ad ingenuos,quàm ad libertinos respiciunt:& ius omne,quod de gradibus & adfinitatibus descendit,legitimæque hæreditatis,& omnis ab intestato successio, & Tertyllianum,& Orphitianum senatuscōsultum,ex quibus matres & filij inuicē sibi hæredes existunt,in geminos libros contulimus, bonorum possessionis multitudinem in compendiosum & manifestissimum ordinem concludētes.Post hæc ea, quæ de operis noui nunciationibus, damnique infecti,

fecti,& de ædificiis dirutis,& eorũ insidiis,& de aqua pluuia arcenda veteribus authoribus placita sunt:necnon quę de publicanis,& donationibus,tam inter viuos,quàm mortis caussa conficiendis,cauta legibus inuenimus, in librum singularem deduximus. De manumissionibus autem & de liberali caussa,alius liber respondet:quemadmodum & de adquisitione tam dominij,quàm possessionis, & titulis,qui eam inducunt, multæ & variæ lectiones vni sunt insertæ volumini:alio libro deputato his, qui iudicati, vel in iure confessi sunt, & de bonorum detentionibus & venditionibus,& vt ne quid in fraudẽ creditorum fiat. Post hæc omnia interdicta cõglomerata sunt:& deinceps exceptiones, de temporum prolixitatibus, & de obligationib' & actionibus liber item singularis extenditur: vt perfecta sexta pars totius Digestorum voluminis, octo libris definiatur.

SEPTIMVS autem & nouissimus articulus Digestorum sex libris formatus est: in quo de stipulationibus, & de fideiussoribus & mandatoribus, necnon nouationibus, & solutionibus,& acceptilationibus,& de prætoriis stipulationibus, omnéq; ius inuenitur gemino volumine inscriptum esse, quod in libris antiquis, nec numerari possibile fuit. Et post hæc duo terribiles libri sunt de delictis priuatis,& extraordinariis,necnõ publicis criminibus,qui omnem cõtinent seueritatem pœnarúmque atrocitatẽ. Quibus permista sunt & ea,quæ de audacibus hominibus cauta sunt,& qui se celare conantur,& contumaces existunt:& de pœnis, quæ condemnatis infliguntur vel conceduntur, necnon de eorum substantiis. Liber autem singularis de appellationibus nobis excogitatus est contra sententias,tam ciuiles,quàm criminales caussas finientes. Cętera autem omnia,quæ de municipalibus, vel decurionibus, & muneribus,vel publicis operibus,vel nundinis,& pollicitationibus,ac diuersis cognitionibus,& censibus,aut significationibus verborum veteribus inuenta sunt, quæque regulariter definita, in se recipit quinquagesimus, totius consummationis perfectio. Quæ omnia per virũ excelsum,necnon prudentissimum magistrum, exquæstore & exconsule Tribonianum,qui similiter eloquentiæ,& legitimæ scientiæ artibus decoratus, & in ipsis rerum experimentis emicuit,

cuſt, nihilque maius, nec carius noſtris vnquam iuſſionibus duxit : necnon per alios viros magnificos & ſtudioſiſſimos perfecta ſunt. id eſt, Conſtantinum virum illuſtrem, comitem ſacrarum largitionum, & magiſtrum ſcrinij libellorum, ſacrarúmque cognitionum, qui ſemper nobis ex bona opinione & gloria ſeſe commendauit: necnon Theophilum virum illuſtrem magiſtrum iuriſq; peritum in hac ſplédidiſſima ciuitate laudabiliter optimam legum gubernationem extendentem. & Dorotheum virum illuſtrem & facundiſſimum quæſtorem, quem in Berytienſium ſplendidiſſima ciuitate leges diſcipulis tradenté propter eius optimã opinioné & gloriã ad nos deduximus, participémque huius operis fecimus. ſed & Anatolium virũ illuſtrem magiſtrum, qui & ipſe apud Berytienſes iuris interpres conſtitutus ad hoc opus electus eſt, vir ab antiqua ſtirpe legitima procedés: cùm & pater eius Leontius poſt Patricium inclytæ recordationis quæſtorium & anteceſſorem, & auus eius Eudoxius poſt Leontium virum glorioſiſſimum præfectorium conſularem, atque Patricium filios eius, optimam ſui memoriam in legibus reliquerint. necnon & Cratinum virum illuſtrem, & comitem ſacrarum largitionum, & optimum anteceſſorem huius almæ vrbis conſtitutum. qui omnes ad prædictũ opus electi ſunt vnà cum Stephano, Mœna, Proſdocio, Eutolmio, Timotheo, Leonide, Leontio, Platone, Iacobo, Conſtantino, Ioanne, iuris prudentiſſimis, qui patroni quidem ſunt cauſſarũ apud máximã ſedem præfecturæ, quæ orientalibus prætoriis præſidet. Omnes autem ſuæ virtutis teſtimonium vndiq; accipientes, & à nobis ad tanti operis conſummationem electi ſunt: & cùm omnes in vnum conuenerunt gubernatione Triboniani viri excelſi, vt tantum opus nobis authoribus poſſent conficere, deo propitio in quinquaginta libris opus cõſummatum eſt. Tanta autem à nobis antiquitatis habita eſt reuerétia, vt nomina prudentiũ taciturnitati tradere nullo modo patiamur: ſed vnuſquiſque eorum, qui author legis fuit, noſtris Digeſtis inſcriptus eſt: hoc tantummodo à nobis effecto, vt ſi quid in legibus eorum ſuperuacuum, vel imperfectũ, aut minus idoneum viſum eſſet: vel adiectionem, vel deminutionem neceſſariam accipiat, &

rectiſſi-

rectiſſimis regulis tradatr.ſed & ex multis ſimilib⁹ vel contrariis, quod rectius habere apparebat, hoc pro aliis omnibus poſitū eſt, vna omnibus authoritate indulta: vt quidquid ibi ſcriptum eſt, hoc noſtrum appareat, & ex noſtra voluntate compoſitum: nemine audente comparare ea, quę antiquitas habebat, cum iis, quæ noſtra authoritas introduxit: quia multo maxima ſunt, quę propter vtilitatem rerum trāſformata ſunt: adeo, vt & ſi principalis cōſtitutio fuerat in veteribus libris relata, neque ei pepercerimus, ſed & hāc corrigendam eſſe putauerimus, & in melius reſtaurandam. nominibus etenim veteribus relictis, quidquid legum veritati decorum & neceſſarium fuit, hoc noſtris emendationibus ſeruauimus: & propter hanc cauſſam, & ſi quid inter eos dubitabatur, hoc iam in tutiſſimam peruenit quietem, nullo titubante relicto. Sed cùm proſpeximus, quod ad portandam tantæ ſapientiæ molé non ſint idonei homines rudes, & qui in primis legum veſtibulis ſtantes intrare ad arcana eorum properant: & aliam mediocrem eruditionem præparandam eſſe cēſuimus, vt ſub ea colorati, & quaſi primitus omnium imbuti, poſſint ad penetralia eorum intrare, & formam legum pulcherrimam non conniuentibus oculis accipere. & ideo Triboniano viro excelſo, qui ad totius operis gubernationem electus eſt, necnon Theophilo & Dorotheo viris illuſtribus & facundiſſimis anteceſſoribus arceſſitis: mandauimus, quatenus libris, quos veteres compoſuerunt, qui prima legum argumenta continebant, & Inſtitutiones vocabantur, vndique ſeparatim collectis: quidquid ex his vtile, & aptiſſimum, & vndique elimatum, & rebus, quæ in præſenti æuo vertuntur, conſentaneum inueniatur: hoc & capere ſtudeant, & quatuor libris imponere, & totius eruditionis prima fundaméta atque elementa ponere, quibus iuuenes ſuffulti, poſſint grauiora & perfectiora ſcita legum ſuſtentare. Admonuimus autem eos, vt memores etiam noſtrarum ſint conſtitutionū, quas pro emendatione iuris promulgauimus: & in confectione Inſtitutionum etiam eandem emendationé ponere non morentur: vt ſit manifeſtum, & quid antè vacillabat, & quid poſtea in ſtabilitatem redactum eſt. Quod opus ab his perfectum, vt nobis oblatum & relectum eſt: & prono ſuſcepimus

pimus

pimus animo, & noſtris ſenſibus nõ indignum eſſe iudicauimus, & prædictos libros conſtitutionum vicem habere iuſſimus: quod in oratione noſtra, quã in eiſdẽ libris præpoſuim⁹, apertius declaratur. Omni igitur Romani iuris diſpoſitione compoſita, & in trib⁹ voluminibus, id eſt Inſtitutionum, & Digeſtorum, ſeu Pãdectarum, nec non Conſtitutionum, perfecta, & tribus annis conſummata, quæ vt primum cœpit, neque in toto decennio compleri ſperabatur: omnipotenti deo & hanc operam ad hominum ſuſtentationem piis obtulimus animis, vberéſque gratias maximæ deitati reddidimus: quæ nobis præſtitit, & bella fœliciter peragere, & honeſta pace potiri, & non tãtum noſtro, ſed etiam omni æuo, tam inſtanti, quàm poſteriori leges optimas ponere. Omnibus itaque hominibus eandem ſanctionem manifeſtam facere, neceſſarium eſſe perſpeximus: vt ſit eis cognitum, quanta confuſione & iniquitate abſoluti, in quantam moderationem & veritatem legitimam peruenerint: legéſque in poſterũ habeant, tam directas, quàm compendioſas, omnibúſque in promptu poſitas, & ad poſſidendi libros earum facilitatem idoneas: vt non mole diuitiarum expenſa, poſſint homines ſuperuacuæ legum multitudinis adipiſci volumina, ſed viliſſima pecunia facilis eorum comparatio pateat tam ditioribus, quàm tenuioribus, minimo precio magna prudẽtia reparãda. Si quid autem in tanta legum compoſitione, quæ ab immenſo librorum numero collecta eſt, ſimile forſitan rarum inueniatur: nemo vituperandum exiſtimet, ſed primum quidem imbecillitati humanæ, quæ naturaliter ineſt, hoc adſcribat: quia omnium habere memoriam, & penitus in nullo peccare, diuinitatis magis, quàm mortalitatis eſt: quod & à maioribus dictum eſt. deinde ſciat, quòd ſimilitudo in quibuſdam & his breuiſſimè adſumpta non inutilis eſt, & citra propoſitũ noſtrum hoc ſubſecutum. aut enim ita lex neceſſaria erat, vt diuerſis titulis propter rerũ cognationẽ adplicari eam oportuerit: aut cùm fuerat aliis diuerſis permiſta, impoſſibile erat eam per partes detrahi, ne totũ cõfunderetur. & in his partibus, in quibus perfectiſſimè iuſſiones veterũ expoſitæ fuerãt, quod particulatim in ea fuerat ſparſum, hoc diuidere ac ſeparare penitus erat inciuile: ne tam ſenſus,

q̃ aures legentium ex hoc perturbarentur. Similique modo si quid in principalibus constitutionibus cautum est: hoc in Digestorum volumine poni nullo modo concessimus, quasi constitutionum recitatione sufficiente: nisi & hoc rarò ex iisdem caussis, ex quibus similitudo adsumpta est.

Cõtrarium autem aliquod in hoc codice positũ nullum sibi locum vindicabit, nec inuenietur, si quis subtili animo diuersitatis rationes excutiat: sed est aliquod nouũ inuentum, vel occultè positum, quod dissonantiæ querelam dissoluit, & aliam naturã inducit discordiæ fines effugiẽtem.

Sed & si quid forsitan prætermissum est, quod in tantis millibus quasi in profundo positum latitabat, & cùm idoneum fuerat poni, obscuritate inuolutum necessariò derelictum est: quis hoc reprehẽdere recto animo possit? primo quidem propter ingenij mortalis exiguitatẽ. deinde propter ipsius rei vitium, quod multis inutilibus permistũ, nullam sui ad eruendum præbuit copiam. denuo quod multò vtilius est pauca idoneè effingere, quàm multis inutilib⁹ homines prægrauari. Mirabile autem aliquid ex his libris emersit, quod multitudo antiqua præsente breuitate paucior inuenitur. homines etenim, qui ante lites agebant, licet multæ leges fuerant positæ: tamen ex paucis lites perferebantur, vel propter inopiam librorum, quos comparare eis impossibile erat, vel propter ipsam insciẽtiam: & voluntate iudicum magis, quàm legitima authoritate lites dirimebantur. In præsenti autem cõsummatione nostrorum Digestorũ ex tantis leges collectæ sunt voluminib⁹, quorum etiam nomina antiquiores homines, non dicimus, nesciebant, sed nec vnquam audiebant. quæ omnia collecta sunt substantia amplissima cõgregata: vt egena quidem antiqua multitudo inueniatur, opulentissima autem breuitas nostra efficiatur. Antiquæ autem sapientiæ librorum copiam maximè Tribonianus vir excellentissimus præbuit, in quibus multi fuerant & ipsis eruditissimis hominum incogniti: quib⁹ omnib⁹ perlectis, quicquid ex his pulcherrimum erat, hoc semotum in optimam compositionem nostrã peruenit. Sed huius operis cõditores non solùm ea volumina perlegerunt, ex quibus leges positæ sunt: sed etiam alia multa, quæ isti nihil vel vtile vel nouũ in eis inuenientes,

tes,quod excerptum nostris Digestis adplicarent, optimo animo respuerũt. Sed quia diuinæ res quidẽ perfectissimæ sunt,humani verò iuris,conditio semper in infinitũ decurrit,& nihil est in eo,quod stare possit perpetuò(multas etenim formas edere natura nouas deproperat)non desperamus, quædam postea emergi negocia, quæ adhuc legum laqueis non sunt innodata. Si quid igitur tale cõtigerit: Augustum imploretur remedium: quia ideo imperialẽ fortunam rebus humanis deus præposuit,vt possit omnia,quæ nouiter contingunt,& emendare, & componere, & modis ac regulis competentibus tradere.& hoc nõ primum à nobis dictũ est,sed ab antiqua descendit prosapia:cùm & ipse Iulianus legum & edicti perpetui subtilissimus conditor,suis libris hoc retulerit:vt si quid imperfectũ inueniatur,ab imperiali sanctione hoc repleatur.& hoc nõ ipse solus, sed & diuus Hadrianus in compositione edicti & senatusconsulto,quod eam secutum est, hoc apertissimè definiuit:vt si quid in edicto positũ nõ inueniatur,hoc ad eius regulas,eiúsque coniecturas,& imitationes possit noua instruere authoritas. Hęc igitur omnia scientes patres conscripti, & omnes orbis terrarum homines, gratias quidem amplissimas agite summæ diuinitati,quæ nostris temporibus iam saluberrimum opus seruauit. quo enim antiquitas digna diuino non est visa iudicio: hoc nostris temporibus indultum est. Has itaque leges & adorate , & obseruate, omnibus antiquioribus quiescentibus: nemóque vestrũ audeat vel comparare eas prioribus , vel si quid dissonans in vtroque est,quærere:quia omne,quod hic positum est,hoc vnicum & solùm obseruari censemus. Nec in iudicio, nec in alio certamine,vbi leges necessariæ sunt, ex aliis libris , nisi ab eisdem, Institutionibus , nostrísque Digestis, & constitutionibus à nobis compositis , vel promulgatis, aliquid vel recitare , vel ostendere conetur : nisi temerator velit falsitatis crimini subiectus, vnà cum iudice , qui ei audientiam accommodauerit , pœnis grauissimis laborare. Ne autem incognitum sit vobis , ex quibus veterum libris hæc consummatio ordinata sit: iussimus & hoc in primordiis Digestorum nostrorum inscribi: vt manifestissimum sit,ex quibus legislatoribus, quibúsq; libris eo-

hh ij rum,

rum, & quot milibus hoc Iustitiæ Romanæ templum ædi ficatum est. Legislatores autem vel commentatores eos eligimus, qui digni tanto opere fuerant, & quos anteriores piissimi principes admittere non sunt dedignati: omnibus vno dignitatis apice impertito, nec sibi quoquam aliquam prærogatiuam vindicante. cùm enim constitutionum vices & has leges obtinere censuimus, quasi ex nobis promulgatas: quid amplius, aut minus in quibusdã esse intelligatur, cùm vna dignitas, vna potestas omnib' est indulta? Hoc autem, quod ab initio nobis visum est, cùm hoc opus fieri deo annuente mandabamus: tempestiuum nobis esse videtur & in præsenti sancire: vt nemo nec eorum, qui in præsenti iuris peritiam habent, nec qui postea fuerint, audeant commentarios iisdem legibus adnectere: nisi tantum si velint eas in Græcã vocem transformare sub eodem ordine, eadémq; consequẽtia, sub qua voces Romanæ positę sunt, hoc quod Græci κατὰ πόδας dicunt. & si qui forsitan per titulorum subtilitatem adnotare maluerint, & ea, quæ παράτιτλα nuncupantur, componere. alias autem legum interpretationes, imò magis peruersiones, eos iactare non concedimus: ne verbositas eorum aliquid legibus nostris adferat ex cõfusione dedecus: quod & in antiquis edicti perpetui commentatoribus factum est, qui opus moderatè confectum huc atque illuc in diuersas sententias producentes, in infinitum detraxerunt, vt penè omnem Romanam sanctionem esse confusam cerneres. Quod si non passi sumus: quemadmodũ posteritatis admittetur vana discordia? Si quid autem tale facere ausi fuerint: ipsi quidẽ falsitatis rei constituantur, volumina autem eorum omnino corrumpantur. Si quid verò (vt suprà dictum est) ambiguum fuerit visum: hoc ad Imperiale culmen per iudices referatur, & ex authoritate Augusta manifestetur, cui soli leges condere, & interpretari concessum est. Eandem autem pœnam falsitatis constituimus & aduersus eos, qui in posterum leges nostras per signorum obscuritates ausi fuerint conscribere. omnia enim & nomina prudentiũ, & titulos, & librorum numeros, per consequentiam literarum volumus, non per signa manifestari: ita, vt qui talẽ librũ sibi parauerit, in quo signa posita sunt in qualicunq; loco libri vel volumi-

nis,

nis,sciat inutilis se esse codicis dominum.neq; enim licentiam aperimus ex tali codice in iudicium aliquid recitandi,qui in quacunque sua parte signorũ habet malitiam.Ipse autẽ librarius,qui eas inscribere ausus fuerit:non solùm criminali pœna(secũdum quod dictum est) plectetur,sed etiam libri æstimationem in duplum domino reddet, si & ipse dominus ignorãs talem librum vel comparauerit, vel confici curauerit.quod & antè à nobis dispositum est,constitutione,quam ad legum professores demisimus. Leges autem nostras,quas in his codicibus vel institutionum seu elementorum,vel Digestorum seu Pãdectarum posuimus: suum obtinere robur ex nostro tertio felicissimo sancimus consulatu præsentis duodecimæ indictionis, tertio kalendas Ianuarias,in omni æuo valituras,vnà cum nostris constitutionibus pollentes,& suum vigorem iudiciis ostendentes in omnibus caussis, siue quæ postea emerserint, siue in iudiciis adhuc pendent,nec eas iudicialis vel amicalis forma compescuit.quæ etenim iam vel iudiciali sententia finita sunt,vel amicali sopita pacto:hæc resuscitare nullo volumus modo. Bene autem properauimus in tertio nostro cõsulatu & has leges edere: quia maximi dei & domini nostri Iesu Christi auxilium felicissimum æuum nostræ reipublicæ donauit:cùm in hunc & bella Parthica abolita sunt, & quieti perpetuæ tradita, & tertia pars mundi nobis adcreuit. post Europam enim & Asiam,tota Libya nostro imperio adiuncta est, & tanto operi legum caput impositum, & omnia cœlestia dona nostro tertio consulatui indulta.

Omnes itaque iudices nostri pro sua iurisdictione easdem leges suscipiant:& tã in suis iudiciis,quàm in hac regia vrbe habeant,& proponãt,& præcipuè vir excelsus huius almæ vrbis præfectus. curæ autem erit tribus excelsis præfectis prætoriis,tam orientalibus,quàm Illyricis, necnon & Libycis per suas authoritates omnib⁹,qui suæ iurisdictioni suppositi sunt, eas manifestare. D. XVII. KAL. IAN. CP. D. IVSTINIANO PP. III. COS.

NOMINA PRVDENTIVM, EORVMque libri, ex quibus Digestorum opus compositum est, & concinnatum.

SALVIVS IVLIANVS.

In hūc notas scripse runt Marcellus & Paulus.

Digestorum, lib. nonagintanouem.
Ad Minicium Natalem, lib. sex
Ad Vrseium Ferocem, lib. quatuor.
De ambiguitatibus, lib. vnum.

AEMILIVS PAPINIANVS.

†In quaestiones Vlpianus, in responsa simul et quaestiões Paulus notas scripsit.

†Quaestionum, lib. triginta septem.
Responsorum, lib. decem & nouem.
Definitionum, lib. duos.
Libr. singulares.
De adulteriis.
ἀςυνομικὸμ.

Q. MVTIVS SCAEVOLA.

ὅρων, librum vnum.

SABINVS.

Iuris ciuilis, lib. tres.

ALFENVS VARVS.

Huius lib. Paulus in epitomē redegit.

Digestorum, lib. quadraginta.

PROCVLVS.

ἐπιςολῶν, lib. octo.

ANTISTIVS LABEO.

In libros πιθανῶν Paulus notas scripsit Posteriorū Iabolenus epitomen fecit.

πιθανῶν, lib. octo.
Posteriorum, lib. decem.

NERATIVS PRISCVS.

Regularum, lib. quindecim.
Membranarum, lib. septem.
Responsorum, lib. tres.

IABOLENVS.

Ex Cassio, lib. quindecim.
ἐπιςολῶν, lib. quatuordecim.
Ad Plautium, lib. quinque.

P. IVBENTIVS CELSVS.

Digestorum, lib. trigintanouem.

SEXTVS POMPONIVS.

Ad Q. Mutium lectionum, lib. quindecim.
Ad Sabinum, lib. trigintaquinque.
ἐπιστολῶν, lib. viginti.
*Variarum lectionum, lib. quindecim.
Ad Plautium, lib. septem.
Fideicommissorum, lib. quinque.
Senatusconsultorum, lib. quinque.
ἐγχειρίδιον, libros duos.
Regularum, librum vnum.

ABVRNIVS VALENS.

Fideicommissorum, lib. septem.

VOLVSIVS MAETIANVS.

*Fideicommissorum, lib. sedecim.
Publicorum lib. quatuordecim.
Ad L. Rhodiam, lib. vnum.

IVLIVS MAVRITIANVS.

Ad leges lib. sex.

TERENTIVS CLEMENS.

Ad leges, lib. viginti.

AFRICANVS.

Quæstionum, lib. nouem.

VLPIVS MARCELLVS.

Digestorum, lib. trigintaunum.
Ad leges, lib. sex.
Responsorum, lib. vnum.

SERBIDIVS SCAEVOLA.

Digestorum, lib. quadraginta.
*Quæstionum, lib. viginti.
Responsorum, lib. sex.
Regularum, lib. quatuor.
Lib. singulares.
De quæstione familiæ.
Quæstionum publice tractatarum.

FLORENTINVS.

Institutionum, lib. duodecim.

TITVS. CAIVS.

Ad edictum prouinciale, lib. triginta duos.
Ad leges, lib. quindecim.
Ad edictũ vrbicum, qui haberi potuerunt, lib. duodecim.

*hi libri alicubi adducunt, ad edictũ ex variis lectionibus. Itẽ variarum quæstionum.

*adduc. etiã quæstionũ de fideicõmissis.

In hũc notas scripsit Martianus quẽadmodũ in Scæuolã Claudius Triphoninus & Paul*.

*Adduc. & variarum quæstionum.

Aureorum,ſiue rerum cotidianarum lib.ſeptem.
δωδεκαδέλτου lib.ſex.
Inſtitutionum lib .tres.
De manumiſſionibus,lib.tres.
Fideicommiſſorum lib.duos.
De verborum obligationibus lib.tres.
Ad edictum ædilium curulium,lib.duos.
Lib.ſingulares.
De caſibus.
Regularum.
Dotalium.
De formula hypothecaria.

VENVLEIVS SATVRNINVS.

Stipulationum lib.decem & nouem.
Actionum,lib.decem.
De officio proconſulis,lib.quatuor.
Publicorum,lib.tres.
De interdictis,lib.ſex.
De pœnis paganorum,lib.vnum.

TERTYLLIANVS.

Quæſtionum,lib.tres.
De caſtrenſi peculio,lib.vnum.

PAPYRIVS IVSTVS.

Conſtitutionum,lib.viginti.

DOMITIVS VLPIANVS.

Ad edictum,lib.octoginta tres.
Ad Sabinum,lib.quinquagintaunum.
Ad leges,lib.viginti.
*Diſputationum,lib.decem.
Omnium tribunalium,lib.decem.
De officio proconſulis,lib.decem.
Regularum,lib.ſeptem.
Fideicommiſſorum,lib.ſex.
Opinionum,lib.ſex.
De adulteriis,lib.quinque.
De appellationibus,lib.quatuor.
De officio conſulis,lib.tres.
Inſtitutionum,lib.duos.
De cenſibus,lib.ſex.

**hi libri alias quoque adducūt quæſtionū. Itē publicarū diſceptationum.*

Reſpon-

Responsorum, lib. duos.
Ad edictum ædilium curulium, lib. duos.
Lib. singulares.
De sponsalibus.
De officio præfecti vrbi.
De officio præfecti vigilum.
De officio curatoris rei publicæ.
De officio prætoris tutelaris.
De officio quæstoris.
De officio consularium.
πανδεκτῶν.
De excusationibus tutelarum.
Regularum rursus.

IVLIVS PAVLVS.

Ad edictum, lib. octoginta.
Quæstionum, lib. viginti sex.
Responsorum, lib. viginti tres.
Breuis edicti, lib. viginti tres.
†Ad Plautium, lib. decem & octo.
Ad Sabinum, lib. sedecim.
Ad leges, lib. decem.
Regularum, lib. septem.
Sententiarum siue factorum, lib. sex.
Sententiarum receptarum, lib. quinque.
Ad Vitellium Sabinum, lib. quatuor.
Ad Neratium, lib. quatuor.
Fideicommissorum, lib. tres.
*Decretorum, lib. tres.
De adulteriis, lib. tres.
Manualium, lib. tres.
Institutionum, lib. duos.
De officio proconsulis, lib. duos.
Ad legem Iuliam, lib. duos.
Ad legem Aeliam Sentiam, lib. tres.
De iure fisci, lib. duos.
Ad edictum ædilium curulium, lib. duos.
Lib. singulares.
Regularum iterum.
Regularum tertiò.

†aliàs adducuntur, quæstionũ ad Plautium.

**alicubi sic adducuntur, Imperialium sententiarum in cognitionib⁹ prolatarũ ex libris sex primo, Decretorũ lib. 2.*

De pœ-

De pœnis paganorum.
De pœnis militum.
De pœnis omnium legum.
De vſuris.
De gradibus & adfinibus.
De iure codicillorum.
De excuſationibus tutelarum.
Ad ſenatuſconſultum Tertyllianum.
Ad ſenatuſconſultum Orphitianum.
Ad regulam Catonianam.
Ad ſenatuſconſultum Syllanianum & Claudianum.
Ad ſenatuſconſultum Velleianum.
Ad ſenatuſconſultum Libonianum.
De officio præfecti vigilum.
De officio præfecti vrbi.
De officio prætoris tutelaris.
De officio adſeſſorum.
De extraordinariis criminibus.
Ad hypothecariam formulam.
Ad municipalem.
De publicis iudiciis.
De inofficioſo teſtamento.
De centumuiralibus iudiciis.
De iure ſingulari.
De ſecundis tabulis.
Ad orationem Diui Seueri.
Ad orationem Diui Marci & Commodi.
Ad legem Velleam.
Ad legem Cinciam.
Ad legem Falcidiam.
De tacito fideicommiſſo.
De portionibus, quæ liberis damnatorum conceduntur.
De iuris & facti ignorantia.
De adulteriis.
De inſtructo & inſtrumento, μονόβιβλον.
De appellationibus.
De adſignatione libertorum.
De iure libellorum.
De teſtamentis.

De iure

De iure patronatus.
De iure patronatus, quod ex lege Iulia & Papia venit.
De actionibus.
De intercessionibus fœminarum.
De operis libertorum.
De variis lectionibus.
De donationibus inter virum & vxorem.
De legibus.
De legitimis hæreditatibus.
De libertatibus dandis.
De senatusconsultis.*

** Scripsit & hæc, quæ non sunt in indice Florentino. De articulis. De formula testamenti. De conceptione formularum. De dotis repetitiõe.*

CLAVDIVS TRIPHONINVS.
Disputationum, lib. vigintiunum.

CALLISTRATVS.
De cognitionibus, lib. sex.
Edicti monitorij, lib. sex.
De iure fisci, lib. quatuor.
Institutionum, lib. tres.
Quæstionum, lib tres.

ARRIVS MENANDER.
De re militari, lib. quatuor.

AELIVS MARTIANVS.
Institutionum, lib. sedecim.
Regularum, lib. quinque.
De appellationibus, lib. duos.
De publicis iudiciis, lib. duos.
Lib. singulares.
De delatoribus.
Ad senatusconsultum Turpillianum.
Ad hypothecariam formulam.

IVLIVS AQVILA.
Responsorum, lib. vnum.

HERENNIVS MODESTINVS.
Responsorum, lib. vndeuiginti.
πανδεκτῶν, lib. duodecim.
Regularum, lib. decem.
Differentiarum, lib. nouem.
Excusationum, lib. sex.
De pœnis, lib. quatuor.

Lib. sin-

Lib.ſingulares.
De præſcriptionibus.
De inofficioſo teſtamento.
De manumiſſionibus.
De legatis & fideicommiſſis.
De teſtamentis.
πδὶ ἑυρηματικῶν.
De enucleatis caſibus.
De differentia dotis.
De ritu nuptiarum.

TARANTINVS PATERNVS.

De re militari,lib.quatuor.

AEMYLIVS MACER.

De re militari,lib.duos.
De publicis iudiciis,lib.duos.
De officio præſidis,lib.duos.
De appellationibus,lib.duos.
ἐικοςῶν βιβλία δύο.

AVRELIVS ARCADIVS CHARISIVS.

lib.ſingulares.
De teſtibus.
De officio præfecti prætorio.
De muneribus ciuilibus.

LICINIVS RVFINVS.

Regularum,lib.duodecim.

P. FVRIVS ANTHINVS.

Partis edicti,lib.quinque.

MAXIMVS.

Ad legem Falcidiam,lib.vnum.

HERMOGENIANVS.

ἐπιτομῶν iuris,lib.ſex.

AELIVS GALLVS.

De verborum,quæ ad ius pertinent, ſignificatione.

FINIS.

A **IMP. CAESAR, FLAVIVS, IVSTINIANVS, ALEMANICVS, GOTTHI-**
cus, Frãcicus, Germanicus, Anticus, Africanus, Alanicus, Vandalicus, pius, felix, inclytus, uictor ac triumphator semper Augustus: Theophilo, Dorotheo, Theodoro, Isidoro, Anatolio, Thalleleo, & Cratino uiris illustribus antecessoribus, & Salaminio uiro disertissimo. S.

B OMNEM reipublicæ nostræ sanctionem iam esse purgatam & compositã, tam in quatuor libris Institutionum seu elementorum, quàm in libris quinquaginta Digestorũ seu Pandectarum, necnon duodecim Imperialium constitutionum: quis ampli⁹, quàm nos*cognoscit? *vos Quando omnia quidé, quæ oportuerat & ab initio mãdare, & post omnium consummationem factam libenter admittentes definire: iam per nostras orationes tam in Græca lingua, quàm Romanorum (quas & æternas fieri
C optamus) explicita sunt. Sed cùm vos & omnes postea professores legitimæ scientiæ constitutos etiam hoc oportuerat scire, quid & in quibus temporibus tradi studiosis necessarium credamus, vt ex hoc optimi atque eruditissimi efficiantur: ideoq́ue præsentem diuinam orationem ad vos præcipuè faciendam existimauimus: quatenus tam prudentia vestra, quàm cæteri antecessores, qui eandem artem in omne æuum exercere maluerint, nostris regulis obseruatis, inclytam viam eruditionis legitimæ possint ambulare. Itaq; cùm dubio procul necesse sit institutiones in omnibus studiis primum sibi vindicare locum, vtpote prima vestigia cuiusque scientiæ mediocriter tradentes: ex libris autem quinquaginta nostrorum Digestorum sex & triginta tantum-

modo sufficere,tam ad vestram expositionem, quàm ad iuuentutis eruditionem iudicemus : ordinem eorum & tramites, per quos ambulandum est,manifestare tempestiuum nobis videtur: & vos in memoriam quidem eorum,quæ antea tradebatis , redigere: ostendere autem nouellæ nostræ cōpositionis tam vtilitatem, quàm tempora, vt nihil huius artis relinquatur incognitum. Et antea quidem (quemadmodum vestra scit prudentia) ex tanta legum multitudine, quæ in librorum quidem duo millia,*versuum autem tricies centena extendebatur: nihil aliud,nisi sex tantum libros, & ipsos confusos , & iura in se vtilia perrarò habentes, à voce magistri discipuli accipiebant cæteris iam desuetis & omnino inuiis. D

*Librorũ multitudinem ridet Seneca lib. de septem artib. liberalib.

In his sex libris Caij nostri institutiones & libri singulares quatuor,primus de vetere illa rei vxoriæ actione , secundus de tutelis, & tertius , nec non quartus de testamentis & legatis connumerabantur: quos neque totos per consequentias accipiebant , & multas partes eorum quasi superuacuas præteribãt. Et primo quidem anno hoc opus tradebatur legentibus,non secundum edicti perpetui*ordinationē , sed passim & quasi per saturam collectũ,vtili inutilib⁹ misto, maxima tamē parte inutilibus deputata. Secundo autē anno præpostera ordinatione habita,prima pars legum eis tradebatur, quibusdam certis ab ea titulis exceptis:cũ erat enorme post institutiones aliud legere quàm quod in legibus & primum positũ est,& nuncupationē meruit τῶν πρώτων. E

*Quid edictũ perpetuũ, Alci. lib. disp. 3. c. 27.

Post eorũ verò lectionem, neq; illam continuam, sed particularē,& magna ex parte inutilem constitutã: tituli eis alij tradebãtur,tam ex illa parte legũ,quæ de iudiciis nũcupatur,ipsis nō continuã, sed raram vtiliũ recitationē præbētibus, quasi cætero toto volumine inutili cōstituto: quàm ex illa,quę de rebus appellatur,octo libris semotis & in iis multis partibus legētibus inuiis,vt non idoneis,nec aptissimis ad eruditionem constitutis. F

Tertio verò anno,quod in vtroq; volumine,id est,de rebus vel de iudiciis,in secũdo anno nō erat traditũ:accipiebant secundũ vicissitudinem vtriusq; voluminis,& ad sublimissimũ Papinianum,eiusq; respōsa iter eis aperiebatur

A riebatur. Et ex prędicta respõsorum cõsummatione, quę decimo & nono libro cõcludebatur, octo tantũmodo libros accipiebãt: nec eorũ totum corpus eis tradebatur, sed pauca ex multis, & breuissima ex amplissimis, vt adhuc sitientes ab eis recederent. His igitur solis à professoribus traditis, Pauliana respõsa per semetipsos recitabant: neq; hoc in solidũ, sed per imperfectũ, & iam quodãmodo malè cõsuetũ incõsequẽtiæ cursum. Is erat in quartũ annũ antiquę prudẽtiæ finis: vt si quis ea, quæ recitabãt, enumerare vellet, cõputatiõe habita inueniret ex tam immensa legũ multitudine vix versuũ sexaginta milia eos vacuæ notionis perlegisse: omnibus aliis

B deuiis & incognitis constitutis, & tunc tantũmodo ex aliqua minima parte recitandis, quoties vel iudiciorum vsus hoc exegit, vel ipsi magistri legũ aliquid ex iis perlegere festinabatis, vt esset vobis aliquid amplius discipulorũ peritia. Et hæc quidẽ fuerunt antiquæ eruditionis monumẽta, secundum quod & vestro testimonio confirmatur. Nos verò tantam penuriam legum inuenientes, & hoc miserrimũ iudicantes: legitimos thesauros volentibus aperimus, quibus per vestrã prudẽtiam erogatis, ditissimi legum oratores efficiãtur discipuli. Et PRIMO quidem ANNO nostras hauriãt institutiones, ex omni penè veterum institutionũ corpore elimatas, & ab omnibus turbidis fontibus in vnũ liquidum stagnum corriuatas, tam per Tribonianum virũ magnificum ma-

C gistrum & † exquæstore sacri palatij & † exconsule, quãm duos ex vobis, id est Theophilũ & Dorotheum facundissimos antecessores. In reliquã verò anni partem secundum optimam consequẽtiam primam legum partem eis tradi sancimus, quæ græco vocabulo τὰ πρῶτα nũcupatur, qua nihil est anterius: quia quod primũ est, aliud ante se habere nõ potest. Et hæc eis exordium & finem eruditionis primi anni esse decernimus: cuius auditores nõ volumus vetere tam friuolo, quam ridiculo cognomine Dupondios* appellari, sed Iustinianeos nouos nuncupari. & hoc in omne post futurũ æuũ obtinere cẽsemus: vt hi, qui rudes adhuc legitimæ scientię capessendæ adspirant, & scita prioris anni accipere maluerint, nostrũ nomẽ

† ὁ ἀπὸ τῶν ὑπάτων, loquendi forma ei seculo familiaris pro quæstorio & cõsulari viro. quo modo veteres latini pcõsule, & Sallust. pro milite, & Cic. p quæstore, vno verbo per oẽs casus & numeros dixerunt.

*Vide Ange. Polit. Misc. c. 93

nomen mereantur: quia illico tradédum est eis primum D
volumen, quod nobis emanauit authoribus, antea enim
dignum antiqua confusione legum cognomen habebãt:
cum auté leges tam clarè & dilucidè animis eorũ tradé-
dæ sint: necesse erit eos & cognomine mutato fulgere.
SECVNDO auté ANNO, per qué ex edicto eis nomẽ
antea positũ, & à nobis probatũ est: vel de iudiciis libros
septẽ, vel de rebus octo eos accipere sancimus, secundũ
quod tẽporis vicissitudo indulserit, quã intactam obser
uari præcipimus. Sed eos libros de iudiciis vel rebus to
tos per suã consequentiam accipiãt, nullo penitus ex his
derelicto: quia omnia noua pulchritudine sunt decora-
ta, nullo inutili, nullo desueto in iis penitus inueniẽdo. E
Alterutri auté eorundé volumini, id est de iudiciis vel
de rebus adiungi in secũdi anni audiẽtiam volum' qua-
tuor libros singulares, quos ex omni compositione qua-
tuordecim librorũ excerpsimus. ex collectione quidem
tripertita voluminis, quod de dotibus cõposuimus, vno
libro excerpto: ex duob' autem de tutelis & curationi-
bus, item vno: sed & ex gemino volumine de testamẽtis,
vno: & ex septé libris de legatis & fideicõmissis, & quæ
circa ea sunt, simili modo vno tantum libro. hos igitur
quatuor libros, qui primordiis singularũ memoratarum
compositionũ præpositi sunt, tantũmodo à vobis eis tra-
di sancimus, cæteris decẽ opportuno tempori cõseruã-
dis: quia neq; possibile est, neque secundi anni tempus F
sufficit ad istorum quatuordecim librorum magistri vo
ce eis tradendorum recitationem. TERTII deniq;
ANNI doctrina talé ordiné sortiatur, vt siue libros de
iudiciis, siue de reb' secundũ vices legere eis sors tule-
rit: cõcurrat tripertita legum singulariũ dispositio, & in
primis liber singularis ad hypothecariã formulam, qué
opportuno loco, in quo de hypothecis loquimur, posui-
mus: vt cum æmula sit pignoraticiis actionibus, quæ in
libris de rebus positæ sunt: nõ abhorreat earũ vicinita-
tem, cum circa easdé res ambabus penè idem studiũ sit.
Et post eum librũ singularem alius similiter eis aperia-
tur, qué de vsuris: item alius, quem ad edictũ ædilium,
& de redhibitoria actiõe, & de euictionibus, necnõ du-
plæ

A plæ ſtipulatione cōpoſuimus. cum enim quę de emptionibus & vēditionib⁹, legibus cauta ſunt, in libris de rebus perfulgerēt: hæ autem omnes, quas diximus, definitiones in vltima parte prætorij edicti eſſent poſitæ: neceſſariò eas in anterioré locū tranſtulim⁹, ne à vēditionibus, quarū quaſi miniſtræ ſunt & vicinæ, vlterius deuagētur. Et hos tres libros pro acutiſſimi Papiniani lectione tradēdos poſuimus, cuius volumina in tertio anno ſtudioſi recitabant: nō ex omni eorum corpore, ſed ſparſim pauca ex multis & in hac parte accipiētes. Vobis autē pulcherrimè Papinianus nō ſolum ex reſponſis, quæ in decem & nouem libris cōpoſita fuerant, ſed *Papiniani laus apud Spartianū in Seuero & Caracalla.*
B etiam ex libris ſeptem & triginta quæſtionū, & gemino volumine definitionū, necnon de adulteriis, & penè omni eius expoſitione in Digeſtorū noſtrorum ordinatione perfulgente, propriis partibus præclaram ſui recitationem præbebit. Ac ne tertij anni auditores, quos Papinianiſtas vocabant, nomē & feſtiuitatem eius amittere videātur: ipſe iterū in tertium annum per belliſſimā machinationem introductus eſt. librum enim hypothecariæ ex primordiis plenum eiuſdem maximi Papiniani fecimus: vt & lectionem & nomē ex eo habeant, Papinianiſtæque vocētur: & eius reminiſcentes lætificentur, & feſtum diem quē cum primū leges eius accipiebant, celebrare ſolebant, peragant: & maneat viri ſubliC miſſimi præfectorij Papiniani per hoc in æternum memoria. hocq; termino tertij anni doctrina concludatur.

Sed quia ſolitū eſt QVARTO ANNO ſtudioſos Græco & conſueto quodāmodo vocabulo λύτας appellari: habeant quidē, ſi maluerint, hoc cognomē. pro reſponſis autem prudentiſſimi Pauli, quæ antea ex libris triginta tribus vix in decem & octo recitabant, per iam expoſitam confuſionem eos legentes: decem libros ſingulares, qui ex quatuordecim, quos antè enumerauim⁹, ſuperſunt, ſtudeant lectitare: multo maiores & ampliores prudētię ex eis theſauros conſecuturi, quàm ex Paulianis habebant reſpōſis. Et ita omnis ordo librorū ſingularium à nobis cōpoſitus, & in decem & ſeptē libros partitus eorū animis imponetur: quem in duabus Di-

geſtorum partibus poſuimus,id eſt quarta & quinta, D ſecundum ſeptem partium diſtributionem. Et quod iam primis verbis orationis noſtræ poſuimus, verũ inuenietur: vt ex triginta ſex librorũ recitatione fiant iuuenes perfecti, & ad omne opus legitimum inſtructi, noſtroq; tempore nõ indigni: duabus aliis partibus, id eſt ſexta & ſeptima Digeſtorũ noſtrorum, quæ in quatuordecim libris cõpoſitæ ſunt, ita diſpoſitis, vt poſſint poſtea eas & legere, & in iudiciis oſtendere. Quibus ſi bene ſe imbuerint, & in quinti anni (quo προλύται nũcupãtur) metas, conſtitutionũ codicẽ tam legere, quàm ſubtiliter intelligere ſtudeant: nihil eis legitimæ ſciẽtiæ deerit, & omne ab initio vſque ad finem ſuis animis complectentur. E Et (quod penè in alia nulla arte euenit) cum & ſi viliſſimæ, omnes infinitæ tamẽ ſint: hæc ſola ſcientia finẽ habeat mirabilem, præſenti tẽpore à nobis ortum. Diſcipuli igitur, omnibus eis legitimis arcanis reſeratis, nihil habeant abſconditũ*: ſed omnib9 perlectis, quæ à nobis per Triboniani viri excelſi miniſterium, cęterorũq; cõpoſita ſunt: & oratores maximi, & iuſtitiæ ſatellites inueniantur, & iudiciorũ optimi tam athletæ, quàm gubernatores omni loco æuoq; felices.

*Quàm ſit cognitu facilis hac ſciẽtia, elegãter Cicero lib. 1. de Oratore, & copioſe diſſeruit.

Hęc autẽ tria volumina à nobis cõpoſita tradi eis tam in regiis vrbibus, quàm in Berytienſium pulcherrima ciuitate, quàm & legũ nutricem bene quis appellet, tantũmodo volumus (quod iam & à retro principibus conſtitutum eſt) & nõ in aliis locis, quæ à maioribus tale priuilegium nõ meruerunt: F quia audiuimus iam in Alexãdria ſplendidiſſima ciuitate, & in Cæſarienſium, & in aliis, quoſdã imperitos homines deuagari, & doctrinam diſcipulis adulterinã tradere. quos ſub hac interminatione ab hoc conamine repellimus: vt ſi auſi fuerint in poſterum hoc perpetrare, & extra vrbes regias, & Berytienſium metropolim hoc facere: denarũ librarum auri pœna plectantur, & reiiciantur ab ea ciuitate, in qua nõ leges docent, ſed in leges cõmittunt. Illud autẽ, quod iam tum ab initio hoc opus mandantes in noſtra oratione, & poſt cõpletum in alia noſtri numinis cõſtitutione ſcripſimus, & nunc vtiliter ponim9: vt nemo audeat corum,

A rum,qui libros cõscribũt,signa in his ponere,& per compendium ipsi legum interpretationi & cõpositioni maximum discrimen adferre: sciturus omnibus librariis, qui hoc in posterũ cõmiserint,quod post†criminalẽ pœnam etiam ęstimationem libri in duplum domino eius(si nescienti dederint)inferre compellẽtur: cum ipse,qui talem librum cõparauerit,pro nihilo eum habebit, nemine iudice ex tali libro fieri recitationem cõcedente,sed pro non scripto haberi eum disponente. Illud verò satis necessario constitutum cum summa interminatione edicimus,vt nemo audeat, neq; in hac splendidissima ciuitate , neque in Berytiensium pulcherrimo oppido ex
B his, qui legitima peragunt studia, indignos & pessimos (imò seruiles,& quorum effectus iniuria est)ludos*exercere,& alia crimina vel in ipsos †possessores, vel in socios suos, & maximè in eos qui rudes ad recitationẽ legum veniũt,perpetrare . Quis enim ludos appellet eos, ex quibus crimina oriuntur? hæc etenim fieri nullo patimur modo:sed optimo ordini in nostris temporibus & hanc partem tradimus,& toti postero transmittimus seculo:cum oporteat prius animas, & postea linguas fieri eruditos*. Et hæc omnia in hac quidem florentissima ciuitate vir excelsus præfectus huius almæ vrbis tam obseruare,quàm vindicare, prout delicti tã iuuenũ, quàm scriptorum qualitas exegerit,curæ habebit.In Berytien
C sium vero ciuitate tam vir clarissimus præses Phœnicię maritimæ, quàm beatissimus eiusdem ciuitatis episcopus & legum professores. Incipite igitur legũ eis doctrinam dei gubernatione tradere,& viam aperire,quam nos inuenimus:quatenus fiãt optimi iustitiæ & Reip.ministri,& vos maximum decus sequatur:quia vestris temporibus talis legum inuẽta est permutatio,qualem apud Homerum patrem omnis virtutis Glaucus & Diomedes faciunt permutantes.

Χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων.

Quæ omnia obtinere sancimus in omne æuum ab omnibus tam professoribus,quàm legum auditoribus, & librariis, & ipsis iudicibus obseruãda. D. C P. X V I I. KAL. IAN. D. IVSTINIANO PP. I I I. CONS.

†al. terminalẽ. quod respondet Græco τελευταίαν

* Seruilis lud⁹ ab ingenuo quo modo disti guend⁹ sit præclarè Cice. lib. I. Officiorũ.

†al. professores.

*Græcanica figura. Seneca de septẽ artib⁹ liberal.

Domini Iusti- D

NIANI SACRATISSI-
mi principis iuris enucleati ex
omni uetere iure Digesto-
rũ seu Pandectarum
Liber primus. E

DE IVSTICIA ET IVRE, TIT. I.

1. VLPIANVS *libro primo* Institutionum.

IVRI operam daturum priùs nos-
se oportet, vnde nomen iuris de-
scendat. Est autem ius à iusticia
appellatum. nam (vt eleganter Cel
sus definit) Ius est ars boni & æ-
qui, cuius meritò quis nos sacer-
dotes appellet. Iusticiam namque
colimus: boni & æqui notitiã pro-
fitemur: æquum ab iniquo separãtes, licitum ab illicito
discernentes: bonos non solum metu pœnarum, verum- F
etiam præmiorum * quoque exhortatione efficere cu-
pientes: veram (nisi fallor) philosophiam, nõ simulatam
adfectantes. Huius studij duæ sunt positiones, publi-
cum & priuatum. Publicum ius est, quod ad statũ rei Ro
manę spectat. Priuatum, quod ad singulorum vtilitatem.
Sunt enim quædam publicè vtilia, quędam priuatim. Pu
blicum ius *in sacris, in sacerdotibus, in magistratibus
consistit. Priuatum ius tripertitum est, collectum enim
ęst ex naturalibus pręceptis, aut gentium, aut ciuilibus.

Quomodo & quãdo præmia dari cõueniat, Cic. li.2. de Inuentione Rhetorica, de iuridiciali.

Aliter publicum & priuatum accipit Ci-

Ius naturale est, quod natura omnia animalia docuit.
Nam ius istud non humani generis proprium, sed om-
nium animalium, quæ terra maríque nascuntur, auium
quoque commune est. Hinc descendit maris atq; fœmi-
næ con-

A næ coniunctio, quã nos matrimonium appellamus: hinc liberorum procreatio, hinc educatio. Videmus etenim cætera quoque animalia, feras etiam istius iuris peritia censeri. Ius gentium est*, quo gentes humanæ vtuntur. quod à naturali recedere, inde licet facile itelligere: quia illud omnibus animalibus, hoc solis hominibus inter se commune est.

cero in Partitio. Ora. Hoc ius gẽtium, ius natura vocat Cic. li. 2. de Inuẽtione Rheto. & 2. li. de legibus

II. POMPONIVS *libro singulari enchiridii.*

VEluti erga deum religio: vt parẽtibus, & patriæ pareamus:

III. FLORENTINVS *lib. 1. Institutionum.*

VT vim atq; iniuriam propulsemus. Nam iure hoc B euenit, vt quod quisque ob tutelam* corporis sui fecerit: iure fecisse existimetur. & cùm inter nos cognationem quandam natura constituerit: consequens est, hominem homini insidiari nefas esse.

In hãc sententiã multa Cice. in oratione ꝓ Milone.

IIII. VLPIANVS *lib. 1. Institutionum.*

MAnumissiones quoque iuris gentium sunt. Est autem manumissio, de manu datio. nam quãdiu quis in seruitute est, manui & potestati suppositus est, & manumissus liberatur potestate. Quæ res à iure gentium originem sumpsit: vtpote cum iure naturali omnes liberi nascerentur, nec esset nota manumissio, cum seruitus esset incognita*. Sed posteaquam iure gẽtium seruitus inuasit, secutum est beneficium manumissionis. & cùm C vno naturali nomine homines appellarent, iure gẽtium tria hominũ genera esse cœperũt: liberi, & iis contrariũ serui, & tertium genus libertini, qui desierãt esse serui.

**De origine seruitutis August. li. 19. de ciuitate dei.*

V. HERMOGENIANVS *lib. 1. Iuris ἐπιτομῶν.*

EX hoc iure gentium introducta sunt bella, discretæ gẽtes, regna cõdita, dominia distincta, agris termini positi, ædificia collocata, cõmerciũ, emptiones, vẽditiones, locationes, cõductiones, obligationes institutæ: exceptis quibusdam, quæ à iure ciuili introductæ sunt.

VI. VLPIANVS *lib. 1. Institutionum.*

IVs ciuile est, quod neq; in totũ à naturali vel gentium recedit, neque per omnia ei seruit. Itaq; cum aliquid addimus, vel detrahimus iuri communi, ius proprium, id est ciuile efficimus. Hoc igitur ius nostrum constat, aut

aut ex scripto, aut sine scripto : vt apud Græcos, τῶν νόμων οἱ μὲν ἔγγραφοι, οἱ δ' ἄγραφοι. D

VII. PAPIN. *lib.* II. *Definitionum.*

Definitio hæc partitionis est, quã ꝑ exẽplo proponit Cic. in Topicis. Et de harum partiũ differẽtia Gellius. lib. 9. cap. 20.

IVs autem ciuile est, quod ex legibus, plebiscitis, senatusconsultis, decretis principum autoritate prudentium venit. Ius prætorium, quod prætores introduxerunt adiuuandi, vel supplendi, vel corrigẽdi iuris ciuilis gratia, propter vtilitatem publicam: quod & Honorarium dicitur, ab honore prætorum sic nominatum.

VIII. MARTIANVS. *lib.* I. *Institutionum.*

NAm & ipsũ ius honorariũ viua vox est iuris ciuilis.

Omni populo iurisdictionem habenti, ius proprium statuere permittitur: quod ius ciuile uocatur, quod uerò ab omni gente æqualiter custoditur, ius gentium appellatur. B

IX. CAIVS *lib.* I. *Institutionum.*

**Eandem diuisionem tradit Aristoteles li. 5 Ethicorũ.*

**Lex cœlestis dicitur apud Ciceronem lib. 2. de legib. vbi di ctũ hoc grauiter & copiose explicatur.*

OMnes populi, qui legibus & moribus regũtur: partim suo proprio*, partim cõmuni omnium hominum iure vtuntur. Nam quod quisque populus ipse sibi ius constituit, id ipsius ciuitatis proprium est: vocatúrq; ius ciuile, quasi ius propriũ ipsius ciuitatis. Quod verò naturalis*ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes peræquè custoditur: vocatúrq; ius gẽtium, quasi quo iure omnes gentes vtantur.

X. VLPIANVS *lib.* I. *Regularum.*

IVsticia est cõstans & perpetua voluntas, ius suum cuique tribuendi. Iuris pręcepta sunt hæc: honestè viuere, alterũ non lædere, suum cuique tribuere. Iuris prudentia est diuinarum atque humanarum rerum notitia, iusti atque iniusti scientia. F

XI. PAVLVS *lib.* XIIII. *ad Sabinum.*

IVs pluribꝰ modis dicitur. Vno modo, cũ id quod semper bonum ac æquum est, ius dicitur: vt est ius naturale. Altero modo, quod omnibus, aut pluribus in quaque ciuitate vtile est: vt est ius ciuile. nec minus ius rectè dicitur in ciuitate nostra ius honorariũ. Prætor quoque ius reddere dicitur, etiam cum iniquè decernit: relatione scilicet facta nõ ad id, quod prætor ita fecit, sed ad illud, qđ pretoré facere conuenit. Alia significatione ius dicitur locus, in quo ius redditur: appellatione collata ab

A lata ab eo, quod fit, in eo vbi fit: Quem locum determinare hoc modo possumus: vt vbicunque prætor salua maiestate imperij sui, saluoque more maiorum, ius dicere constituit: is locus recte ius appelletur.

XII. MARTIANVS *lib. 1. Institutionum.*

NOnnunquan ius etiam pro necessitudine dicimus: veluti est mihi ius cognationis vel adfinitatis.

DE ORIGINE IVRIS, ET OMNIVM *magistratuũ, & succeßione prudentiũ.* TIT. II.

CAIVS *lib. 1. ad l. duodecim tabularum.*

B FACTVRI legum vetustarũ interpretationẽ, necessario prius ab initiis vrbis repetendum existimauimus: nõ quia velim verbosos commẽtarios facere, sed quod in omnibus rebus animaduerto id perfectũ esse, quod ex omnibus suis partibus constat. Et certè cuiusq; rei potissima pars principiũ est*. Deinde si in foro caussas dicẽtibus nefas (vt ita dixerim) videtur esse, nulla pręfatiõe facta, iudici rem exponere: quãto magis interpretationẽ promittentibus* incõueniens erit, omissis initiis, atq; origine non repetita, atq; illotis (vt ita dixerim) manibus, protinus materiã interpretationis tractare? nanque (nisi fallor) istæ præfationes & libẽtius nos ad lectionẽ propositæ materiæ producũt: & cum ibi venerimus, euidentiorem præstant intellectum.
C

** Idẽ Plato dialog. 2. de repu.*

**In hanc sentẽtiam vide Platonem dialogo. 4. de legibus circa finem.*

II. POMPONIVS *libro singulari enchiridii.*

NEcessariũ itaq; nobis videtur in primis, ipsius iuris originẽ atq; processum demõstrare. Et quidẽ initio ciuitatis nostræ populus sine certa lege, sine iure certo primum agere instituit, omniáque manu regis gubernabantur. Postea aucta ad aliquem modum ciuitate, ipse Romulus traditur, populum in triginta partes diuisisse: quas partes curias appellarit, propterea quod tunc reipublicæ curam per sententias earum partium expediebat. Et ita leges quasdam & ipse curiatas ad populum tulit, tulerunt & sequentes reges. quæ omnes conscriptæ exstant in libro Sexto Papyrij: qui fuit illis temporibus

temporibus, quibus Tarquinius Demarati Corinthij filius, ex principalibus viris. Isque liber (vt diximus) appellatur ius ciuile Papyrianum: non quia Papyrius de suo quidquam ibi adiecit, sed quod leges sine ordine latas in vnum composuit. Exactis deinde regibus, lege Tribunitia omnes leges hæ exoleuerunt: iterúmque cœpit populus Romanus incerto magis iure, & consuetudine aliqua vti, quàm perlata lege: ídque propè viginti annis passus est. Postea ne diutius hoc fieret: placuit publica authoritate decem constitui viros, per quos peterentur leges à Græcis ciuitatibus, & ciuitas fundaretur legibus. quas in tabulas eboreas perscriptas, pro Rostris composuerunt, vt possent apertiùs percipi. Datúmque est eis ius eo anno in ciuitate summum: vti & leges corrigerent, si opus esset, & interpretarentur: neque prouocatio ab eis, sicut à reliquis magistratibus, fieret. Qui ipsi cum animaduerterunt aliquid deesse istis primis legibus: ideóque sequenti anno alias duas ad easdem tabulas adiecerunt, & ita ex accidente appellatæ sunt leges duodecim tabularum:* quarum ferendarum authorem fuisse decem viris Hermodorum quendam Ephesium exsulantem in Italia, quidam retulerunt. His legibus latis cœpit (vt naturaliter euenire solet) vt interpretatio desideraret prudentium authoritatem, necessariámque disputationem fori. Hæc disputatio & hoc ius, quod sine scripto venit, compositum à prudentibus: propria parte aliqua non appellatur, vt cæteræ partes iuris suis nominibus designantur: sed communi nomine appellatur ius ciuile. Deinde ex his legibus eodem fere tempore actiones compositæ sunt, quibus inter se homines disceptarent: quas actiones ne populus, vt vellet, institueret: certas solennésque esse voluerunt: & appellabatur hæc pars iuris legis actiones. & ita eodem pene tempore tria hæc iura nata sunt: leges duodecim tabularum, ex his fluere cœpit ius ciuile, ex iisdem legis actiones compositæ sunt. Omnium tamen harum & interpretandi scientia & actiones, apud collegium Pontificum erant: ex quibus constituebatur, quis quóque anno

*Quid de his legib. sentiat Gellius, vide lib. 19. Noc. Att. cap. pri.

D

E

F

A anno præesset priuatus: & populus propè centum annis hac consuetudine vsus est. Postea cũ Appius Claudius proposuisset, & ad formam redegisset has actiones, Cneus Flauius scriba eius, libertini filius, subreptum librum populo tradidit: & adeò gratum fuit id munus populo, vt tribunus plebis fieret, & senator, & ædilis curulis. hinc liber, qui actiones continet, appellatur ius ciuile Flauianum: sicut illud, ius ciuile Papyrianum. nam nec Cneus Flauius de suo quidquã adiecit libro. Augescente ciuitate, & qui præerant, quædam genera agendi composuerunt: nec post multum temporis spacium Sextus Aelius alias actiones
B composuit: & librum populo dedit, qui appellatur ius Aelianum. Deinde cum esset in ciuitate lex duodecim tabularum & ius ciuile, essent & legis actiones: euênit, vt plebs in discordiam cum patribus perueniret, & secederet: sibíque iura constitueret, quæ plebiscita vocantur. mox cùm reuocata esset plebs: quia multæ discordiæ nascebantur de his plebiscitis: pro legibus placuit & ea obseruari, lege Ortensia, & ita factum est: vt inter plebiscita & leges, species constituendi interesset, potestas esset eadem. Deinde quia difficilè plebs conuenire cœpit, populusq; multo difficiliùs in tanta turba hominum: necessitas ipsa curam reipublicæ ad senatum deduxit. Ita cœpit senatus se
C interponere: & quidquid constituisset, obseruabatur: idque ius adpellabatur senatusconsultum. Eodem tẽpore & magistratus iura reddebant: & vt scirent ciues, quod ius de qua re quisque dicturus esset, seque præmunirent: edicta proponebant, quæ ius honorarium constituerunt. Honorarium dicitur, quod ad honorẽ prætoris venerat. Nouissimè sicut ad pauciores * iuris constituendi via transisse, ipsis rebus dictantibus, videbatur: per partes euênit, vt esset necesse reipublicæ per vnum consuli. nam senatus non perinde omnes prouincias probè regere poterat. Igitur constituto principe: datum est ei ius, vt quod constituisset, ratum esset. Ita in ciuitate nostra aut iure, id est lege constituitur: aut est proprium ius ciuile, quod sine scripto in

De hoc vide Valeriũ Max. li. 2. cap. 1.

Gellius libro. 14. cap. 7.

**Pluriũmne an paucioriũ vel vnius administratio reip. vtilior, Plato*

dialogo. 8. de Rep. & in lib. ciuili, siue de regno. Aristotel lib. 3. Politic. cap. 6. 7. 8. 9.

**Huius loci enarrationẽ pete ex Cic. li. 3. de leg.*

pto in sola prudentiũ interpretatione consistit: aut sunt legis actiones, quæ formam agendi continent: aut plebiscitum, quod sine authoritate patrum est constitutum: aut est magistratuum edictum, vnde ius honorarium nascitur: aut senatusconsultum, quod solum senatu constituente inducitur sine lege: aut est principalis constitutio, id est, vt quod ipse princeps constituit, pro lege seruetur. Post originem iuris & processum cognitum, consequens est, vt de magistratuum nominibus & origine cognoscamus: quia (vt exposuimus) per eos, qui iuri dicundo præsunt *, effectus rei accipitur. parum est enim ius in ciuitate esse, nisi sint, qui iura reddere possint. Post deinde de authorum successione dicemus: quod constare non possit ius, nisi sit aliquis iurisperitus, per quem possit quotidie in melius produci. Quod ad magistratus attinet: initio ciuitatis huius constat reges omnem potestatem habuisse. Iisdem temporibus & tribunum celerum fuisse constat. is autem equitibus præerat, & veluti secundum locum à regibus obtinebat: quo in numero fuit Iunius Brutus, qui author fuit regis eiiciendi. Exactis deinde regibus, consules constituti sunt duo: penes quos summum ius vti esset, lege rogatum est. dicti ab eo, quod plurimum reipublicæ consulerent. qui tamen ne per omnia regiam potestatem sibi vindicarent: lege lata factum est, vt ab eis prouocatio esset, néue possent in caput ciuis Romani animaduertere iniussu populi: solú relictum est illis, vt coercere possent, & in vincula publica duci iuberent. Post deinde cum census iam maiore tempore agendus esset, & consules non sufficerent huic officio, censores constituti sunt. Populo deinde aucto, cum crebra orirentur bella, & quædam acriora à finitimis inferrentur: interdum re exigente, placuit maioris potestatis magistratum constitui. Itaque dictatores proditi sunt, à quibus nec prouocandi ius fuit, & quibus etiam capitis animaduersio data est. Hunc magistratum: quoniam summam potestatem habebat: non erat fas vltra sextum mensem retinere. & his dictatoribus magistri equitum iungebantur, sic quo modo

A modo regibus tribuni celerum : quod officium, ferè tale erat, quale hodie præfectorum prætorio. magistratus enim habebantur. Iisdem temporibus cùm plebs à patribus secessisset, anno ferè septimodecimo post reges exactos : tribunos sibi in monte sacro creauit; qui essent plebei magistratus. dicti tribuni, quòd olim in tres partes populus diuisus erat, & ex singulis singuli creabantur : vel quia tribuum suffragio creabantur. Itemque vt essent, qui ædibus præessent, in quibus omnia scita plebs deferebat : duos ex plebe constituerunt, qui etiam ædiles appellati sunt. Deinde cum ærarium populi auctius esse cœpisset: qui illi præessent, B constituti sunt quæstores : dicti ab eo, quod inquirendæ & conseruandæ pecuniæ caussa creati erant. Et quia (vt diximus) de capite ciuis Romani iniussu populi non erat lege permissum consulibus ius dicere: propterea quæstores constituebantur à populo, qui capitalibus rebus præessent : hique appellabantur quæstores paricidij, quorum etiam meminit lex duodecim tabularum. Et cum placuisset leges quoque ferri : latum est ad populum, vt omnes magistratus se abdicarent : & decemuiri constituti sunt anno vno. hi cum magistratum prorogarent sibi, & rem iniuriose tractarent, neq; vellent deinceps sufficere magistratus, vt ipsi & factio sua perpetuo rempublicam occupatam retinerent : ni- C mia atque aspera dominatione eo rempublicam perduxerunt, vt exercitus à republica secederet. initium fuisse secessionis dicitur Verginius quidam : qui cum animaduertisset Appium Claudium contra ius, quod ipse ex vetere iure in duodecim tabulas transtulerat, vindicias filiæ suæ à se abdixisse : & secundum eum, qui in seruitutem suppositus ab eo petierat, dixisse: captumq; amore virginis omne fas ac nefas miscuisse : indignatus, quod vetustissima iuris obseruantia in persona filiæ suæ defecisset (vtpote cùm Brutus, qui primus Romæ cõsul fuit, vindicias secundum libertatẽ dixisset in persona Vindicis Vitelliorũ serui, qui proditionis cõiurationem indicio suo detexerat) & castitatem filiæ suæ, vitæ quoque eius præferendam putaret : arrepto cultro

Liuius li. 3. decad. 1.

Vindicius appellatur Liuio. li. 2. dec. 1.

cultro de taberna lanionis filiam interfecit, in hoc ſcilicet, vt morte virginis contumeliam ſtupri arceret: ac protinus recens à cæde, madentéque adhuc filię cruore, ad commilitones confugit. qui vniuerſi de Algido, vbi tunc belli gerendi cauſſa legiones erant: relictis ducibus priſtinis, ſigna in Auentinum tranſtulerunt, omniſque plebs vrbana mox eódem ſe contulit. ita populi conſenſu partim decemuiris in carcere necatis, partim in exſilium actis: rurſus reſpublica ſuum ſtatum recepit. Deinde cùm poſt aliquot annos, quàm duodecim tabulæ latæ ſunt: & plebs contenderet cum patribus, & vellet ex ſuo quoque corpore conſules creare, & patres recuſarent: factum eſt, vt tribuni militum crearentur, partim ex plebe, partim ex patribus conſulari poteſtate: hique conſtituti ſunt vario numero. interdum enim ſeni fuerunt, interdum plures, nonnunquam pauciores. Deinde cum placuiſſet creari etiam ex plebe conſules: cœperunt ex vtroque corpore conſtitui. Tunc vt aliquo pluris patres haberentur, placuit duos ex numero patrum conſtitui: ita facti ſunt ædiles curules. Cumque conſules auocarentur bellis finitimis, neque eſſet, qui in ciuitate ius reddere poſſet: factum eſt, vt prætor quoque crearetur, qui vrbanus appellatus eſt, quod in vrbe ius dicebat. Poſt aliquot deinde annos non ſufficiente eo prætore, quod multa turba etiam peregrinorum in ciuitaté veniret: creatus eſt & alius prætor, qui peregrinus appellatus eſt ab eo, quòd plerunque inter peregrinos ius reddebat. Deinde cum eſſet neceſſarius magiſtratus, qui haſtæ præeſſet: centumuiri litibus iudicandis cõſtituti ſunt. Conſtituti ſunt eodem tempore & quatuor viri, qui curam viarum agerent: & triumuiri monetales æris, argenti, auri flatores: & triumuiri capitales, qui carceris cuſtodiam haberẽt, vt cum animaduerti oporteret, interuentu eorum fieret. Et quia magiſtratibus veſpertinis temporibus in publicum eſſe, inconueniens erat: quinque viri conſtituti ſunt cis Tyberim, & trans Tyberim, qui poſſent pro magiſtratibus fungi. Capta deinde Sardinia, mox Sicilia, item Hiſpania,

A pania, deinde Narbonēsi prouincia: totidem prætores, quot prouinciæ in ditiones venerāt, creati sunt: partim qui vrbanis rebus, partim qui prouincialib' præessent. Deinde Cornelius Sylla quæstiones publicas cōstituit: veluti de falso, de paricidio, de sicariis, de iniuriis, & prætores quatuor adiecit. Deinde Caius Iulius Cæsar duos prætores & duos ædiles, qui frumento præessent, à Cerere Cereales constituit. Ita duodecim prætores, sex ædiles sunt creati. Diuus deinde Augustus sedecim prætores constituit. Post deinde diuus Claudius duos prætores adiecit, qui de fidei commisso ius dicerent. ex quibus vnum diuus Titus detraxit: & adiecit diuus Nerua, qui inter fiscum & priuatos ius di-
B ceret. Ita decem & octo prætores in ciuitate ius dicunt: & hæc omnia, quoties in republica sunt magistratus, obseruantur. Quoties autem proficiscuntur: vnus relinquitur, qui ius dicat, is vocatur præfectus vrbi. qui præfectus olim constituebatur, postea ferè latinarum feriarum caussa introductus est, * & quotannis obseruatur. Sanè præfectus annonæ & vigilum, quanquam non sunt magistratus, sed extra ordinem vtilitatis caussa constituti: tamen hi, quos cis Tyberim diximus, postea ædiles senatus consulto creabantur. Ergo ex his omnibus decem tribuni plebis, consules duo, decem & octo prætores, sex ædiles in ciuitate iura red-
C debant. Iuris ciuilis scientiam plurimi & maximi viri professi sunt: sed qui maximæ dignationis apud populum Romanum fuerunt, eorum in præsentia mentio habenda est: vt appareat, à quibus & qualibus hæc iura orta & tradita sint. Et quidem ex omnibus, qui scientiam nacti sunt, ante Tyberium Coruncanum publicè professum neminem, traditur: cæteri autem adhuc vel in latenti ius ciuile retinere cogitabant, solumque cōsultatoribus potius, quàm discere volentibus se præstabant. Fuit autem in primis peritus Sextus Papyrius, qui leges regias in vnum contulit. ab hoc Appius Claudius * vnus ex decem viris, cuius maximum consilium in duodecim tabulis scribendis fuit. post hunc Appius Claudius * eiusdem generis maximam sciētiam habuit.

In hunc locū vide Antonium Augustinū li. 4. ca. 1. & Gell. li. 14. ca. 8.

** Appius Clau. Regillianus.*

**Ap. Claudi' Cæcus*

b

habuit. hic Cæcus appellatus est, & Appiam viam strauit, & aquam Claudiam induxit, & de Pyrrho in vrbem non recipiendo sententiam tulit: hunc etiam actiones scripsisse traditum est, primumque de vsurpationibus, qui liber non exstat. Idem Appius Claudius vsu, qui videtur ab hoc processisse, R. literam inuenit: vt pro Valesiis Valerij essent, & pro Fusiis Furij. Fuit post eos maximæ scientiæ Sempronius, quem populus Romanus σόφον appellauit: nec quisquam ante hunc hoc nomine cognominatus est. Sed & Caius Scipio Nasica, qui optimus à senatu appellatus est: cui etiam publica domus in sacra via data est, quo facilius consuli posset. Deinde Quintus Fabius, qui ad Carthaginenses missus legatus: cum essent duæ tesseræ positæ, vna pacis, altera belli: arbitrio sibi dato, vtram vellet, referret Romam: vtramque sustulit, & ait Carthaginenses petere debere, vtram mallent accipere. D B

Post hos fuit Tyberius Coruncanus, qui (vt dixi) primus profiteri cœpit: cuius tamen scriptum nullum exstat, licet responsa compluria & memorabilia eius fuerint. Deinde Sextus Aelius, & frater eius Publius Aelius, & Publius Atilius maximam scientiam in profitendo habuerunt: & duo Aelij etiam consules fuerunt: Atilius autem primus à populo sapiens appellatus est. Sextum Aelium etiam Ennius laudauit: & exstat illius liber, qui inscribitur Tripertita, qui veluti cunabula iuris continet. Tripertita autem dicitur, quoniam lege duodecim tabularum præposita, iungitur interpretatio, deinde subtexitur legis actio. Eiusdem esse tres alij libri referuntur: quos tamen quidam negant eius esse. hos sectatus est ad aliquid Marcus Cato princeps Porciæ familiæ, cuius & libri exstant: sed plurimi libri *eius, ex quibus cæteri oriuntur. Post hos fuerunt Publius Mutius, & Brutus, & Manilius, qui fundauerunt ius ciuile. ex his Publius Mutius decem libellos reliquit, Brutus septem, Manilius tres. exstant & volumina inscripta, Manilij monumenta. illi duo consulares fuerunt, Brutus prætorius, Publius Mutius etiam pontifex maximus. Ab his profecti E

*Bud.

sunt

A sunt Publius Rutilius Rufus, qui Romæ consul, & Asiæ proconsul fuit: Paulus Verginius, & Quintus Tubero ille Stoicus Panætij auditor, qui & ipse consul: etiam Sextus Pompeius Cnei Pompei patruus. Fuit & eodem tempore Cælius Antipater, qui historias cõscripsit: sed plus eloquentiæ, quàm scientiæ iuris operam dedit. etiam Lucius Crassus frater Publij Mutij, qui Munianus dictus est. (hunc Cicero ait iurisconsultorum disertissimum *.) Post hos Quintus Mutius Publij filius Pontifex maximus ius ciuile primus constituit, generatim in libros decem & octo redigendo. Mutij auditores fuerunt complures: sed præci-

*Verba hæc Bud. ad Qu.

Mutiũ refert nõ ad Pub. ex Cic. in Bruto.

B puæ authoritatis Gallus Aquilius, Balbus Lucilius, Sextus Papyrius, Caius Iuuentius. ex quibus Gallum maximæ authoritatis apud populum fuisse Seruius dicit. omnes enim hi à Seruio Sulpitio nominantur: alioquin per se eorum scripta non talia exstant, vt ea omnes adpetant. denique nec versantur omnino scripta eorum inter manus hominum: sed Seruius libros suos compleuit, ex cuius scriptura ipsorum quoque memoria habetur. Seruius autem cùm in caussis orandis primum locum, aut certe post Marcum Tullium obtineret: traditur ad consulendum Quintum Mutium de re amici sui peruenisse. cumque eum de iure respondentem parum intellexisset, & iterum Quintum interrogasset, & à

C Quinto responsum esset, nec tamen percepisset: ita obiurgatum à Quinto Mutio. Namque eum dixisse: turpe esse patritio & nobili viro caussas exoranti, ius in quo versaretur, ignorare. ea velut contumelia Seruius tractus, operam dedit iuri ciuili: & plurimum eos, de quibus locuti sumus, audiuit: instructus à Balbo Lucilio, instructus autem maximè à Gallo Aquilio, qui fuit Cercinnæ. Itaque libri eius complures exstant Cercinnæ confecti. hic cùm in legatione perisset, statuam ei populus Romanus pro Rostris posuit, & Hostiæ exstat pro rostris Augusti. huius volumina compluria exstant. reliquit autem propè centum & octaginta libros. ab hoc plurimi profecerunt, ferè tamen hi libros conscripserunt: Alfenus Varus, Caius Aulus Ofilius, Titius

Cæſius, Aufidius Tuca, Aufidius Namuſa, Flauius Priſcus, Caius Ateius Pacuuius, Labeo Antiſtius Labeonis Antiſtij pater, Cinna, Publicius Gellius. Ex his enim decem, octo libros conſcripſerunt: quorum omnes, qui fuerunt, libri digeſti ſunt ab Aufidio Namuſa in centum quadraginta libros. Ex his auditoribus plurimum authoritatis habuit Alfenus Varus, & Aulus Ofilius: ex quibus Varus conſul fuit, Ofilius in equeſtri ordine perſeuerauit: is fuit Cæſari familiariſſimus: & libros de iure ciuili plurimos, & qui omnem partem operis fundarent, reliquit. nam & de legibus Vicenſimæ, & de iuris dictione primus conſcripſit. idem edictum prætoris primum diligenter compoſuit. Nam ante eum Seruius duos libros ad Brutum quàm breuiſſimos ad edictum ſubſcriptos, reliquit. Fuit eodem tempore & Trebatius, qui idem Cornelij Maximi auditor: fuit Aulus Caſcellius & Quintus Mutius Voluſij auditor: qui deinde in illius honorem Publium Mutium nepotem eius teſtamento reliquit hæredem. fuit autem quæſtorius, nec vltra voluit procedere, cùm Auguſtus illi etiam conſulatum offerret. ex his Trebatius peritior Caſcellio, Caſcellius Trebatio eloquentior fuiſſe dicitur, Ofilius vtroque doctior. Caſcellij ſcripta non exſtant, niſi vnus liber Bene dictorum: Trebatij complures, ſed minùs frequentantur. Poſt hos quoque Tubero fuit, qui Ofilio operam dedit. fuit autem patritius, & tranſiit à cauſſis agendis ad ius ciuile: maximè poſtquam Quintum Ligarium accuſauit, nec obtinuit apud Caium Cæſarem. Is eſt Quintus Ligarius, qui cum Africæ oram teneret, infirmum Tuberonem adplicare non permiſit, nec aquam haurire. quo nomine eum accuſauit, & Cicero defendit: exſtatque eius oratio pulcherrima, quę inſcribitur, pro Quinto Ligario. & Tubero doctiſſimus quidem habitus eſt iuris publici & priuati, & complures vtriuſque operis libros reliquit: ſermone tamẽ antiquo* verſus adfectauit ſcribere, & ideo parum libri eius grati habentur. Poſt hunc maximæ authoritatis fuerunt Ateius Capito, qui Ofilium ſecutus eſt: & Antiſtius Labeo,

D E F Bud.

A beo, * qui omnes hos audiuit, institutus est autem à Trebatio. Ex his Ateius consul fuit. Labeo noluit: cùm offerretur ei ab Augusto consulatus, quo suffectus fieret & honorem susciperet: sed plurimum studiis operam dedit: & totum annum ita diuiserat, vt Romæ sex menses cum studiosis esset, & sex mensibus secederet, & conscribendis libris operam daret. itaque reliquit quadraginta volumina, ex quibus plurima inter manus versantur. Hi duo primùm veluti diuersas sectas fecerunt. nam Ateius Capito in his, quæ ei tradita fuerant, perseuerabat: Labeo ingenij qualitate & fiducia doctrinæ fretus, quod præ cæteris sapientiæ operam dederat, plurima innouare instituit. & ita Ateio Capitoni Masurius Sabinus successit, Labeoni Nerua, qui adhuc eas dissensiones auxerunt. Nerua familiarissimus Cæsaris fuit: Masurius Sabinus in equestri ordine fuit, & publicè primus respondit, posteaquam hoc beneficium cœpit à Tyberio Cæsare. Et (vt obiter sciamus) ante tempora Augusti publicè respondédi ius non à principibus dabatur: sed qui fiduciam studiorum suorum habebant, consulentibus respondebãt: neque responsa vtique signata dabant, sed plerunque iudicibus ipsis scribebant, aut testabantur, qui illos consuluerant. Primus diuus Augustus, vt maior iuris authoritas haberetur: constituit, vt ex authoritate eius responderent. & ex illo tempore peti hoc pro beneficio cœpit. & ideo optimus princeps Hadrianus, cũ ab eo viri prætorij peterent, vt sibi liceret respondere, rescripsit eis: hoc non peti, sed præstari solere. Et ideo delectari se: si qui fiduciam sui haberet, populo ad respondendum se præpararet. Ergo Sabino concessum est à Tyberio Cæsare, vt populo responderet, cum in equestrem ordinem iam grandis natu, & ferè annorum quinquaginta receptus esset. huic nec amplæ facultates fuerunt, sed plurimùm à suis auditoribus sustentatus est. Huic successit Caius Cassius Longinus, natus ex filia Tuberonis, quæ fuit neptis Seruij Sulpitij: & ideo proauum suum Seruium Sulpitium appellauit. is & cósul fuit cum Quartino, temporibus Tyberij: & plurimum

*Gell. lib. 13. ca. 10.

B (margin letter beside "peram dederat")

C (margin letter beside "eius responderent")

 rimum

rimum in ciuitate authoritatis habuit, donec Cæſar eũ ciuitate expelleret. expulſus ab eo in Sardiniam, reuocatus à Veſpaſiano, diem ſuum obiit. Neruæ ſucceſſit Proculus. fuit eo tempore & Nerua filius. Fuit & alius Longinus ex equeſtri quidẽ ordine, qui poſtea ad præturam vſque peruenit: ſed Proculi authoritas maior fuit. (nam & ipſe plurimum potuit) appellatiq́ue ſunt partim Caſſiani, partim Proculiani: quæ origo à Capitone & Labeone cœperat. Caſſio Cælius Sabinus ſucceſſit, qui plurimum temporib⁹ Veſpaſiani potuit: Proculo Pegaſus, qui temporibus Veſpaſiani præfectus vrbi fuit: Cælio Sabino Priſcus Iauolenus, Pegaſo Celſus pater: patri Celſo Celſus filius, & Priſcus Neratius, qui vtrique conſules fuerunt, Celſus quidem & iterum Iauoleno: Priſco Aburnus Valẽs, & Tuſcianus: item Saluius Iulianus. D E

DE LEGIBVS SENATVSQVE conſultis, & longa conſuetudine. TIT. III.

PAPINIANVS *lib.* I. *Definitionum.*

Huic definitioni & ſequẽtibus adde Ciceronis deſcriptione ex li. 2. de legibus

LEx eſt commune præceptum: virorum prudentium conſultum: delictorum quæ ſponte vel ignorantia contrahuntur, coërcitio: communis reipublicæ ſponſio. F

II. MARTIANVS *lib.* I. *Inſtitutionum.*

NAm & Demoſthenes orator ſic definit: Νόμος ἐςὶν, ᾧ πάντας προσήκει πείθεσθαι διὰ πολλά, καὶ μάλιςα ὅτι πᾶς ἐςὶ νόμος εὕρημα μὲν καὶ δῶρον θεῶν, δόγμα δὲ φρονίμων ἀνθρώπων, ἐπανόρθωμα δὲ τῶν ἑκουσίων καὶ ἀκουσίων ἁμαρτημάτων, πόλεως δὲ συνθήκη κοινὴ καθ᾽ ἣν πᾶσι προσήκει ζῆν τοῖς ἐν τῇ πόλει. Sed & philoſophus ſummus Stoicæ ſapientiæ Chryſippus ſic incipit librum, quẽ fecit περὶ νόμων. ὁ νόμος πάντων ἐςὶ βασιλεὺς θείων τε καὶ ἀνθρωπείων πραγμάτων. δεῖ δὲ αὐτὸν προςάτην εἶναι τῶν καλῶν καὶ αἰσχρῶν καὶ ἄρχοντα, καὶ ἡγεμόνα, καὶ κατὰ τοῦτο κανόνα τ᾽ εἶναι

A εἶναι δικαίων, καὶ ἀδίκων, καὶ τῶν φύσει πολιτικῶν ζώων προστακτικὸν μὲν, ὧν ποιητέον, ἀπαγορευτικὸν δὲ, ὧν οὐ ποιητέον.

III. POMPONIVS lib. XXV. ad Sabinum.

IVra constitui oportet (vt dicit Theophrastus) in his quæ ἐπὶ τὸ πλεῖστον, non quæ ἐκ παραλόγου accidunt. *Male igitur Halo. & bene Bud.*

IIII. CELSVS lib. V. Digestorum.

EX his, quæ fortè vno aliquo casu accidere possunt, iura non constituuntur.

V. IDEM lib. XV. Digestorum.

NAm ad ea potius debet aptari ius, quæ & frequenter & facile, quàm quæ perrarò eueniunt.

VI. PAVLVS lib. XVII. ad Plautium.

B Τὸ γὰρ ἅπαξ ἢ δὶς (vt ait Theophrastus) παραβαίνουσιν οἱ νομοθέται.

VII. MODESTINVS lib. I. Regularum.

LEgis virtus est imperare, vetare, permittere, punire.

VIII. VLPIANVS lib. II. ad Sabinum.

IVra non in singulas personas: sed generaliter constituuntur.

IX. IDEM lib. XIII. ad edictum.

NOn ambigitur, senatum ius facere posse.

X. IVLIANVS lib. LIX. ad edictum.

NEque leges, neque senatusconsulta ita scribi possunt: vt omnes casus, qui quandoque inciderint, C comprehendantur: sed sufficit ea, quæ plerunque accidunt, contineri.

XI. IDEM lib. XC. Digestorum.

ET ideo de his, quæ primo constituuntur: aut interpretatione, aut constitutione optimi principis certius statuendum est.

XII. IDEM lib. XV. Digestorum.

NOn possunt omnes articuli singulatim aut legibus, aut senatusconsultis comprehendi: sed cum in aliqua caussa sentétia eorum manifesta est: is qui iurisdictioni præest, ad similia procedere, atque ita ius dicere debet. *Arist. lib. I Politic. ca. 6.*

XIII. VLPIANVS lib. I. ad edictũ adiliũ curuliũ.

NAm (vt ait Pedius) quoties lege aliquid vnũ vel al-

terum est introductum: bona occasio est & cætera, quæ tendunt ad eandem vtilitatem, vel interpretatione, vel certè iurisdictione suppleri. D

XIIII. PAVLVS *lib.* LIIII. *ad edictum.*

Cap. 183. de reg. iur. QVod verò contra rationem iuris receptum est, non est producendum ad consequentias.

XV. IVLIANVS. *lib.* XXVII. *Digestorum.*

IN his, quæ contra rationem iuris constituta sunt, nō possumus sequi regulam iuris.

XVI. PAVLVS *lib singulari de iure singulari.*

IVs singulare est, quod contra tenorem rationis, propter aliquam vtilitatem, authoritate constituentium introductum est. E

XVII. CELSVS *lib.* XXVI. *Digestorum.*

SCire leges non est, verba eorum tenere, sed vim & potestatem.

XVIII. IDEM *lib.* XXIX. *Digestorum.*

BEnignius leges interpretandæ sunt, quò voluntas earum conseruetur.

XIX. IDEM *lib.* XXXIII. *Digestorum.*

IN ambigua voce legis ea potius accipiéda est significatio, quæ vicio caret: præsertim cùm etiam voluntas legis ex hoc colligi possit.

XX. IVLIANVS *lib.* LV. *Digestorum.*

Plato dial. 1. de le. NOn omnium, quæ à maioribus constitúta sunt, ratio reddi potest. F

XXI. NERATIVS *lib.* VI. *Membranarum.*

ET ideo rationes eorum, quæ constituuntur, inquiri non oportet: alioquin multa ex his, quæ certa sunt, subuertuntur.

XXII. VLPIANVS *lib.* XXXV. *ad edictum.*

CVm lex in prǽteritū quid indulget, in futurū vetat.

XXIII. PAVLVS *lib.* IIII. *ad Plautium.*

Arist. lib. 2 polit. c. 6. Plutarch. ex Pausania in Apophtheg. MInimè sunt mutanda, quæ semper interpretationem certam habuerunt.

XXIIII. CELSVS *lib.* IX. *Digestorum.*

INciuile est, nisi tota lege perspecta, vna aliqua particula eius proposita, iudicare vel respondere.

Illud quod est in fauorem, non retorquetur in odium.

XXV.

A XXV. MODESTINVS lib. VII. *Responsorum.*

NVlla iuris ratio, aut æquitatis benignitas patitur: vt quæ salubriter pro vtilitate hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipsorum commodum producamus ad seueritatem.

Lex præcedens determinatur per sequentem.

XXVI. PAVLVS lib. IIII. *Quæstionum.*

NOn est nouũ, vt priores leges ad posteriores trahãt

XXVII. TERTVLLIANVS lib. I. *Quæstionũ.*

IDeo, quia antiquiores leges ad posteriores trahi, vsitatum est: semper quasi hoc legibus inesse credi oportet, vt ad eas quoque personas & ad eas res pertineant,

B quæ quandoque similes erunt.

XXVIII. PAVLVS lib. V. *ad* L. *Iuliam & Papiam.*

SEd & posteriores leges ad priores pertinét: nisi sint contrariæ, idq́ue multis argumentis probetur.

XXIX. IDEM *lib. singulari ad* L. *Cinniam.*

COntra legem facit, qui id facit, quod lex prohibet: in fraudem verò legis, qui saluis verbis legis, sententiam eius circúmuenit.

XXX. VLPIANVS lib. IIII. *ad edictum.*

FRaus enim legi fit, vbi id fit quod fieri noluit, fieri autem non vetuit: & quod distat ῥητὸν ἀπὸ διανοίας, hoc distat fraus ab eo, quod contra legem fit.

XXXI. IDEM lib. XIIII. *ad* L. *Iuliam & Papiam.*

C PRinceps legibus solutus est. Augusta auté licet legibus soluta non est: principes tamen eadem illi priuilegia tribuunt, quæ & ipsi habent. *Hoc dictũ interpretatur Aristo. lib. 3. Pol. cap. 9.*

Cõsuetudo in casibus non decisis habet potestatẽ mutãdi leges: in casibus decisis, habet virtutem corrigendi & interpretandi: quia cum procedant à consensu, & sic à pari potentia descendant, debent esse æqualis effectus. hoc dicit cũ. l. si de interpretatione. & l. sequẽ.

XXXII. IVLIANVS lib. LXXXIIII. *Digestorũ.*

DE quibus caussis scriptis legibus non vtimur: id custodiri oportet, quod moribus & consuetudine introductum est. & si qua in re hoc defecerit, tunc quod proximũ & consequens ei est. si ne id quidem appareat: tunc ius, quo vrbs Roma vtitur, seruari oportet. Inueterata cõsuetudo pro lege nõ immerito custoditur: & hoc est

est ius,quod dicitur morib' constitutũ.Nam cũ ipsæ leges nulla alia ex caussa nos teneant, q̃ quod iudicio populi receptæ sint:merito & ea quæ sine vllo scripto populus probauit,tenebũt omnes.Nam quid interest, suffragio populus voluntatem suã declaret, an rebus ipsis & factis? Quare rectissimè etiam illud receptũ est, vt leges non solum suffragio legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem abrogentur. D

Longa consuetudo habet vim legis,maxime si in contradicto iudicio sit opposita:& sumit vigorem ex tacita populi cõuentione:& non est necesse quòd redigatur in scriptis:& legem interpretatur cũ de legis intellectu dubitatur: & omnia prædicta obtinent nisi consuetudo sit erronea.Bartolus. E

XXXIII. VLPIANVS *lib.* I. *de officio procõsulis.*

Diuturna consuetudo pro iure & lege in his, quæ non ex scripto descendunt,obseruari solet.

XXXIIII. IDEM *lib.* IIII. *de off.proconsulis.*

CVm de consuetudine ciuitatis vel prouinciæ confidere quis videtur:primum quidem illud explorandum arbitror, an etiam contradicto aliquando iudicio consuetudo firmata sit.

XXXV. HERMOGENIANVS *lib.* I. *Iuris ἐπιτομῶν.*

Idẽ Cicero libr.2.de Inuẽtione Rhetorica & 2. ad Herẽniũ, & in Partitione Oratoria. Plato dialogo.3.de legib.

SEd & ea quæ longa consuetudine cõprobata sunt,ac per annos plurimos obseruata,velut tacita ciuiũ cõuẽtio: nõ minus, q̃ ea, quæ scripta sunt iura, seruãtur. F

XXXVI. PAVLVS *lib.* VII. *ad Sabinum.*

IMo magnæ authoritatis hoc ius habetur: quod in tãtum probatum est,vt non fuerit necesse scripto comprehendere.

XXXVII. IDEM *lib.* I. *Quæstionum.*

SI de interpretatione legis quæratur:in primis inspiciendum est, quo iure ciuitas retro in eiusmodi casibus vsa fuit.Optima enĩ est legũ interpres cõsuetudo.

XXXVIII. CALLISTRATVS *lib.* I. *Quæstionũ.*

NAm imperator noster Seuerus rescripsit:in ambiguitatibus,quę ex legibus proficiscuntur: consuetudinem, aut rerum perpetuò similiter iudicatarũ authoritatem vim legum obtinere debere.

XXXIX

A XXXIX. CELSVS. *lib.* XXIII. *Digestorum.*

QVod nõ ratione introductũ est, sed errore primũ, deinde consuetudine obtentum: in aliis similibus non obtinet.

XL. MODESTINVS. *lib.* I. *Regularum.*

ERgo omne ius aut consensus fecit, aut necessitas cõstituit, aut firmauit consuetudo.

XLI. VLPIANVS *lib.* II. *Institutionum.*

TOtum autem ius consistit aut in adquirẽdo, aut in conseruando, aut inminuendo. aut enim hoc agitur, quemadmodum quid cuiusque fiat: aut quemadmodum quis rem suam, vel ius suum conseruet: aut quomodo

B alienet, aut amittat.

DE CONSTITVTIONIBVS principum.† Tit. IIII.

Principũ placita, aĩo ius cõdẽdi facta, habẽt vim legis generalis, nisi sint facta ad certas psonas: quia tũc psonas nõ egrediũtur. Bar.

VLPIANVS *lib.* I. *Institutionum.*

QVod principi placuit, legis habet vigorẽ: vtpote cũ lege regia, quæ de imperio eius lata est, populus ei & in eum omne suũ imperium & potestatẽ cõferat. Quodcũq; igitur imperator per epistolã & subscriptionẽ statuit, vel cognoscẽs decreuit, vel de plano interlocutus est, vel edicto præcepit: legẽ esse cõstat. hæc sunt, quas cõstitu-

C tiones vulgo appellamus. Planẽ ex his quędã sunt psonales, †quę nec ad exẽplum trahũtur. nã quod princeps alicui ob merita indulsit, vel si quam pœnam irrogauit, vel si cui sine exẽplo subuẽnit: personã nõ egreditur.

II. VLPIANVS *lib.* IIII. *fidei commissorum.*

IN rebus nouis †cõstituẽdis euidens esse vtilitas debet, vt recedatur ab eo iure, quod iã diu æquũ visũ est.

III. IABOLENVS *lib.* XII. ἐπιστολῶν.

BEneficium imperatoris, quod à diuina scilicet eius indulgentia proficiscitur, debemus quàm plenissimè interpretari.

IIII. MODESTINVS *lib.* II. *Excusationum.*

Αἱ μεταγενέστεραι διατάξεις ἰσχυρότεραι τῶν πρὸ αὐτῶν εἰσίν.

†*Quales leges principẽ ferre oportet,* Plato dialogo.3.de legib.

†Cõsilium Traianide *priuilegiis apud Ale. ab Ale. li.* 6.c.23.

†*An & quando nouæ res cõstituẽdæ leges'q; mutãdæ,* Plato dialogo 4.de legib.& in lib.ciuili siue de Reg. Aristo.lib.2. Politi.ca. 6.& 5. Ethicorũ. cap.10.

De statu

DE STATV HOMINVM, TIT. V. D

PAVLVS *lib.* I. *Inſtitutionum.*

OMne ius,quo vtimur: vel ad perſonas pertinet,vel ad res,vel ad actiones.

II. HERMOGENIANVS *libro* I. *ἐπιτομῶν.*

CVm igitur hominum cauſſa omne ius conſtitutum ſit:primo de perſonarũ ſtatu ac pòſt de cæteris ordinem perpetui edicti ſecuti,& his proximos atq; coniunctos adplicantes titulos:vt res patitur,dicemus.

III. CAIVS *lib.* I. *Inſtitutionum.*

SVmma itaque diuiſio de iure perſonarum hæc eſt: E
quòd omnes homines aut liberi ſunt, aut ſerui.

IIII. FLORENTINVS *lib.* IX. *Inſtitutionum.*

Quæ vera libertas, & contrà quæ vera ſeruitus, Plato dialo.3.de legib.Cic.paradoxo.5.

LIbertas eſt naturalis facultas eius , quod cuiq; facere libet: niſi ſi quid vi aut iure prohibetur. Seruitus eſt conſtitutio iuris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam ſubiicitur. Serui ex eo appellati ſunt,quod Imperatores captiuos vẽdere,& per hoc ſeruare,nec occidere ſolent. Mancipia verò dicta ſunt, quòd ab hoſtibus manu capiuntur.

Seruorum vna eſt conditio,liberorum procreatio duplex. hoc primo.& ſerui fiunt dupliciter:aut de iure gentium, aut de iure ciuili.hoc ſecundo.& ſiue mater ſit libera tempore cõceptionis ſiue tempore partus,ſiue medio tempore inter conceptionem & partũ : partus eſt liber. Bartolus. F

V. MARTIANVS *lib.* I. *Inſtitutionum.*

ET ſeruorum quidem vna eſt conditio,liberorum autem hominum multæ.quidã enim ingenui ſunt,quidam libertini. Serui autem in dominium noſtrum rediguntur,aut iure ciuili,aut gentium. Iure ciuili,ſi quis ſe maior viginti annis , ad precium participandum venire paſſus eſt. Iure gẽtium ſerui noſtri ſunt, qui ab hoſtibus capiũtur,aut qui ex ancillis noſtris naſcũtur. Ingenui ſunt, qui ex matre libera nati ſunt. ſufficit autem liberam fuiſſe,quo tempore naſcitur, licet ancilla conceperit.è contrario,& ſi libera conceperit,deinde ancilla pariat:placuit eum,qui naſcitur,liberũ naſci:nec intereſt

A terest iustis nuptiis concepit, an vulgo. quia non debet calamitas matris nocere ei, qui in ventre est. Ex hoc quæsitum est, si ancilla prægnans manumissa sit, deinde ancilla postea facta *(aut expulsa ciuitate)* peperit, liberum, an seruum pariat? & tamen rectius probatum est, liberum nasci: & sufficere ei, qui in ventre est, liberã matrem vel medio tempore habuisse.

VI. CAIVS *lib. 1. Institutionum.*

Libertini sunt, qui ex iusta seruitute manumissi sunt.

VII. PAVLVS *lib. singulari de portionibus quæ liberis damnatorum conceduntur.*

B Qui in vtero est, perinde ac si in rebus humanis esset, custoditur: quoties de commodis ipsius partus quæritur: quanquam alij, antequam nascatur, nequaquam prosit.

VIII. PAPINIANVS *lib. III. Quæstionum.*

Imperator Titus Antoninus rescripsit: nõ lædi statum liberorum, ob tenorem instrumenti malè concepti.

IX. IDEM *lib. XXV. Quæstionum.*

In multis nostri iuris articulis deterior est conditio fœminarum, quàm masculorum.

Quando aliquid potest iudicari secundum minus potens & maius potens: attenditur maius potens. Bartolus.

X. VLPIANVS *lib. 1. ad Sabinum.*

C Quæritur, hermaphroditum cui comparamus. & magis puto eius sexus existimandum, qui in eo præualet.

Matrimonium à principio illicitum non validatur per ius superueniens quantum ad legitimationem filiorum iam natorum. Barto.

XI. PAVLVS lib. XVIII. *Responsorum.*

Respondit eum, qui viuente patre, & ignorante de coniunctione filiæ cõceptus est: licet post mortem aui natus sit: iustum filium ei, ex quo conceptus est, non videri.

Natus in septimo mense dicitur legitimus.

XII. IDEM *lib. XIX. Responsorum.*

Septimo† mense nasci perfectum partum, iam receptum est propter authoritatem doctissimi viri Hippocratis. & ideo credẽdum est, eum qui ex iustis nuptiis

†*De tẽpore partus* Gell. li. 3. c. 16. Plut. 5 *de placit. philos. c.* 18 *Cẽsorinus in li. de die natali.* Macrobius *li.* 1. *cap.* 6. *in Sõnio Scipionis.*

septimo

Mirabile prodigiosi partus exẽplũ refert Ammian⁹ Marcellinus Rerũ gest. li. 19.

septimo mense natus est, iustum filium esse. D

XIII. HERMOGENIANVS *lib. I. iuris ἐπιτομῶν.*

SEruus in capitali causa fortunæ iudicio à domino commissus: & si fuerit absolutus, non fit liber.

Partus monstrosi, id est contra naturam seu formam hominum, non dicuntur esse legitimi. Bartolus.

XIIII. PAVLVS *lib. IIII. Sententiarum, tit. de intestatorum successione.*

**id est filii.*

NOn sunt liberi*, qui contra formam humani generis cõuerso more procreantur: veluti si mulier mõstrosum aliquid aut prodigiosum enixa sit. Partus autem, qui membrorum humanorum officia ampliauit, aliquatenus videtur effectus: & ideo inter liberos connumerabitur. E

Conditio ancillæ apposita circa libertatem, si tres filios pepererit: impletur tres filios pariendo, adeo quod quartus partus dicitur esse liber, cùm mater sit libera: & conditio de dando apposita potest impleri per alium. Bartolus.

XV. TRIPHONINVS *lib. X.* Disputationum.

ARescusa, si tres peperisset, libera esse testamento iussa: primo partu vnũ, secundo tres peperit. quæsitum est: an, & quis eorum liber esset? Hæc conditio libertati adposita, iam implenda mulieri est. Sed non dubitari debet, quin vltimus liber nascatur. Nec enim natura permisit, simul vno impetu duos infantes de vno vtero matris excedere: vt ordine nascentiũ incerto non appareat, vtrum in seruitute, libertatéve nascatur. Incipiente igitur partu existens conditio efficit, vt ex libera edatur, qui postea nascitur: veluti si quælibet alia cõditio, libertati mulieris adposita, parturiente ea existat. & manumissa sub hac conditione, si decem milia heredi Titio dederit: eo momento, quo parit, si per alium impleuerit conditionem: iam libera peperisse credenda est. F

XVI. VLPIANVS *lib. VII.* Disputationum.

IDem erit, si eadem Arescusa primo duo pariat, postea geminos edat. dicendum est enim, non posse vtrũque dici ingenuũ, sed eum qui posterior nascitur. quæstio ergo facti potius est, non iuris.

A XVII. IDEM *lib.* XII. *ad edictum.*

IN orbe Romano qui sunt, ex constitutione imperatoris Antonini ciues Romani effecti sunt. *De iure ciuiũ Cic. in oratio. pro Corne. Balbo.*

Mulier prægnãs nõ debet dari vltimo supplicio, donec pariat. B.

XVIII. IDEM *lib.* XXVII. *ad Sabinum.*

IMperator Hadrianus Publio Marcello rescripsit: liberam, quæ prægnans vltimo supplicio damnata sit, liberum párere: & solitum esse seruari eam dum partum ederet. Sed & si ei, quæ ex iustis nuptiis concepit, aqua & igni interdictum est: ciuem Romanum parit, & in potestate patris.

Legitimè natus, quo ad conditionem & originem patrem sequitur, matrem vero sequitur non legitimè natus. Bartolus.

B XIX. CELSVS *lib.* XXIX. *Digest.*

CVm legitimæ nuptiæ factæ sunt, patrem liberi sequuntur: vulgò quæsitus, matrem sequitur.

Superueniens furor non mutat dignitatem siue dominium. Bar.

XX. VLPIANVS *lib.* XXXVIII. *ad Sabinum.*

QVi furere cœpit, & statum & dignitatem in qua fuit, & magistratum, & potestatem videtur retinere: sicut & rei suæ dominium retinet.

XXI. MODESTINVS *lib.* VII. *Regularum.*

HOmo liber qui se vẽdidit: manumissus non ad suum statum reuertitur quo se abdicauit: sed efficitur libertinæ conditionis.

C XXII. IDEM. *lib.* XII. *Responsorum.*

HErennius Modestinus respondit: si eo tempore enixa est ancilla, quo secundum legem donationis manumissa esse debuit: cùm ex constitutione libera fuerit, ingenuum ex ea natum.

XXIII. IDEM *lib. primo* πανδεκτῶν.

VVlgo concepti dicuntur, qui patrem demonstrare non possunt: vel qui possunt quidem, sed eum habent, quẽ habere nõ licet: qui & spurij appellãtur παρὰ τὴν σποράν.

XXIIII. VLPIANVS *lib.* XXII. *ad Sabinum.*

LEx naturæ est, vt qui nascitur sine legitimo matrimonio, matrem sequatur: nisi lex specialis aliud inducat.

XXV. IDEM. *lib.* I. *ad* L. *Iuliam & Papiam.* D

INgenuum accipere debemus etiam eum, de quo sententia lata est, quamuis fuerit libertinus: quia res iudicata pro veritate accipitur.

XXVI. IVLIANVS *lib.* LXVIII. *Digest.*

QVi in vtero sunt, in toto penè iure ciuili intelliguntur in rerum natura esse. Nam & legitimæ hæreditates iis restituũtur: & si mulier prægnãs ab hostibus capta fuerit, id quod natum est, postliminium habet. Item patris vel matris cõditionem sequitur. Præterea si ancilla prægnans subrepta fuerit: quamuis apud bonę fidei emptorem pepererit: id quod natum erit, tanquam furtiuum, vsu non capitur. His consequens est: vt libertus quoque quandiu patroni filius nasci possit: eo iure sit, quo sunt, qui patronos habent. E

XXVII. VLPIANVS *lib.* V. *Opinionum.*

EVm, qui se libertinũ esse fatetur: nec adoptando patronus ingenuum facere potuit.

DE HIS QVI SVI VEL ALIENI *iuris sunt.* TIT. VI.

Personarum quædam sunt sui iuris, quædam alieni: vt seruus. & id quod per seruum acquiritur, domino acquiritur, & dominus inhumaniter contra seruos suos sæuiens, punitur, & seruum vendere iubetur.

CAIVS *lib.* I. *Institutionum.*

DE iure personarũ alia diuisio sequitur: quod quædam sui iuris sunt, quædam alieno iuri subiectæ sunt. Videamus itaque de his, quæ alieno iuri subiectæ sunt. nam si cognouerimus, quæ istæ personæ sunt: simul intelligemus, quæ sui iuris sunt. Dispiciamus itaque de his, quæ in aliena potestate sunt. Igitur in potestate sunt serui dominorum: quæ quidem potestas est iuris gentium. nam apud omnes peræquè gentes animaduertere possumus, dominis in seruos vitæ necisque potestatem fuisse: & quodcunque per seruum adquiritur, id domino adquiri. Sed hoc tempore nullis hominibus, qui sub imperio Romano sunt: licet supra modum, & sine F

caussa

A caussa legibus cognita, in seruos suos sæuire. Nam ex constitutione diui Antonini: qui sine caussa seruum suum occiderit, non minus puniri iubetur, quàm qui alienum seruum occiderit. Sed & maior asperitas dominorum eiusdem principis constitutione coërcetur.

II. VLPIANVS *lib.* VIII. *de officio Procons.*

SI dominus in seruos sæuiat, vel ad impudicitiam turpémq; violationem compellat: quæ sint partes præsidis, ex rescripto diui Pij ad Aelium Martianum proconsulem Beticæ manifestatur: cuius rescripti verba hæc sunt: Dominorum quidem potestatem in seruos suos illibatam esse oportet, nec cuiquam hominum ius suum detrahi. sed dominorum interest: ne auxilium contra sæuitiam, vel famem, vel intolerabilem iniuriam denegetur iis, qui iustè deprecãtur. Ideóque cognosce de querelis eorum, qui ex familia Iulij Sabini ad statuam confugerunt: & si vel durius habitos, quàm æquum est, vel infami iniuria adfectos cognoueris: venire iube, ita vt in potestatem domini non reuertantur, quod si meæ constitutioni fraudem fecerit: sciet me admissum seuerius exsecuturum. Diuus etiam Hadrianus Vmbriciam quandam matronam in quinquennium relegauit, quòd ex leuissimis caussis ancillas suas atrocissimè tractasset.

Interpretatur hoc rescriptũ Macrob. lib. I. Satur. c. II

B

Filius ex legitimo matrimonio natus, & descendentes ex eo, sunt in potestate parentum: & nepos ex filio post mortem aui reincidit in potestatem patris, si pater suus fuit in potestate aui quousque auus vixerit Bartolus.

C

III. CAIVS *lib.* I. *Institutionum.*

ITem in potestate nostra sunt liberi nostri, quos ex iustis nuptiis procreauimus: quod ius propriũ ciuium Romanorum est.

IIII. VLPIANVS *libro primo Institutionum.*

NAm ciuium Romanorum quidam sunt patresfamiliarum, quidam filiifamiliarum. quædam matresfamiliarum, quædã filiæfamiliarum. Patresfamiliarum sunt, qui suæ potestatis sunt: siue puberes, siue impuberes. simili modo & matresfamiliarum. filij verò & filiæfamiliarum qui sunt in aliena potestate. Nam qui ex me

De potestate parentũ ĩ filios Gel li. lib. 2. c. 7 Plato dialo. 3. & 4. de legib. Deut. c. 27 Valer. li. 5 tit. de parentũ seueritate.

&, vxore mea nascuntur, in potestate mea sunt: item qui ex filio meo & vxore eius, id est nepos meus & neptis. æquè in mea sunt potestate, & pronepos & proneptis, & deinceps cæteri. D

V. IDEM. *lib.* XXXVI. *ad edictum.*

NEpotes ex filio, mortuo auo, recidere solent in filij potestatem: simili modo & pronepotes, & deinceps, vel in filij potestatem, si viuit, & in familia mansit: vel in eius parentis, qui ante eos in potestate est. & hoc non tantum in naturalibus, verùm quoque in adoptiuis iuris est.

Ille dicitur filius legitimus qui ex viro & vxore ad matrimonium contrahendum & generandum habilibus simul cohabitantibus constante matrimonio nascitur. Bartolus. B

VI. IDEM *lib.* IX. *ad Sabinum.*

FIlium eum definimus, qui ex viro & vxore eius nascitur. Sed si fingamus abfuisse maritum (verbi gratia) per decénium, reuersum anniculum inuenisse in domo sua: placet nobis Iuliani sententia, hunc non esse mariti filium. non tamen ferendum Iulianus ait eũ, qui cum vxore sua adsiduè moratus, nolit filium agnoscere, quasi non suũ. Sed mihi videtur (quod & Scæuola probat) si constet maritum aliquandiu cum vxore non concubuisse, infirmitate interueniente, vel alia caussa: velut si ea valetudine paterfamiliâs fuit, vt generare non posset: hunc, qui in domo natus est, licet vicinis scientibus, filium non esse. F

VII. IDEM *lib.* XXV. *ad Sabinum.*

SI qua pœna pater fuerit adfectus, vt vel ciuitatem amittat, vel seruus pœnæ efficiatur: sine dubio nepos filij loco succedit.

Furor superueniens non potest facere quo minus filii ex legitimo matrimonio nati, ante vel post, dicantur esse in potestate patris. Bartolus.

VIII. IDEM *lib.* XXVI. *ad Sabinum.*

PAtre furioso, liberi nihilominus in patris sui potestate sunt. Idem & in omnibus est parentibus, qui liberos habent in potestate. Nam cùm ius potestatis moribus sit receptũ: nec possit desinere quis habere in potestate

A teſtate, niſi exierint liberi, quibus caſibus ſolẽt: nequaquam dubitandum eſt, remanere eos in poteſtate. Quare non ſolum eos liberos in poteſtate habebit, quos ante furorem genuit: verùm & ſi qui ante furorem concepti, in furore editi ſunt. ſed ſi in furore agente eo, vxor concipiat: videndum, an in poteſtate eius naſcatur filius. nam furioſus, licet vxorem ducere non poſſit, matrimonium tamen retinere poteſt. quod cùm ita ſe habet, in poteſtate filium habebit. Proinde & ſi furioſa ſit vxor, ex ea antè conceptus in poteſtate naſcetur: ſed & in furore eius conceptus ab eo, qui non furebat, ſine dubio in poteſtate naſcetur: quia retinetur matrimonium. Sed & ſi B ambo in furore agant, & vxor & maritus, & tunc concipiat: partus in poteſtate patris naſcetur, quaſi voluntatis reliquiis in furioſis manentibus. Nam cùm conſiſtat matrimonium altero furente, conſtat & vtroque. Adeo autẽ retinet ius poteſtatis pater furioſus, vt & adquiratur illi commodum eius, quod filius adquiſiuit.

Quantum ad ius publicum patria poteſtas non curatur.

IX. POMPONIVS *lib.* XVI. *ad. Quint.* Mutium.

Filiusfamiliâs in publicis cauſſis loco patrisfamiliâs habetur: veluti ſi vel magiſtratum gerat, vel tutor detur. *In publicis cauſis parentũ iura interquieſcere. Gell. li. 2. ca. 2.*

Sententia lata in principali, non præiudicat in incidenti de quo ſummariè eſt cognitum. Bartolus.

C X. VLPIANVS *lib.* IIII. *ad* L. *Iuliam & Papiam.*

Si iudex nutriri vel ali oportere pronunciauerit: dicendum eſt de veritate, quærendum, filius ſit an non. neque enim alimentorum cauſſa veritati facit præiudicium.

XI. MODESTINVS *lib.* I. πανδεκτῶν.

Inuiti filij naturales, vel emancipati, non rediguntur in patriam poteſtatem.

DE ADOPTIONIBVS ET EMANcipationibus, & aliis modis, quibus patria poteſtas ſoluitur. TIT. VII.

Per adoptionem quis transit in potestatem adoptantis, & adoptio in genere continet sub se adoptionem in specie: & adrogatio fit de eo qui est sui iuris authoritate Principis: sed adoptio in specie fit de eo qui est alterius iuris authoritate magistratus. Bartolus. D

MODESTINUS *lib.* II. *Regularum.*

Adoptiuos naturalib. præferēdos suadet Pli. in Panegyrico ad Traianum. & Hadrian' imp. apud Dionē Cassium.

Filiosfamiliarum, non solum natura, verùm & adoptiones faciunt. quod adoptionis nomen est quidem generale, in duas autem species diuiditur: quarum altera adoptio similiter dicitur, altera adrogatio. Adoptantur filiifamiliarum: adrogātur, qui sui iuris sunt.

II. CAIUS *lib.* I. *Institutionum.* E

† Hāc diuisionē eiúsque partes declarat Gell. lib. 5 noctiū Atticarū c. 19.

Generalis enim adoptio duob' † modis fit: aut principis authoritate, aut magistratus imperio. Principis authoritate adoptamus eos, qui sui iuris sunt: quæ species adoptionis dicitur adrogatio: quia & is qui adoptat, rogatur, id est interrogatur, an velit eum, qué adoptaturus sit, iustum sibi filium esse: & is qui adoptatur, rogatur, an id fieri patiatur. Imperio magistratus adoptamus eos, qui in potestate parentis sunt: siue primum gradum liberorum obtineant, qualis est filius, filia: siue inferiorem, qualis est nepos, neptis, pronepos, proneptis. Illud vtriusque adoptionis commune est: quod & hi qui generare non possunt, quales sunt spadones, adoptare possunt. Hoc verò proprium est eius adoptionis, quæ per principem fit: quod is qui liberos in potestate habet, si se adrogandum dederit: nō solum ipse potestati adrogatoris subicitur, sed etiam liberi eius in eiusdem fiunt potestate, tanquam nepotes. F

Vbi officia non sunt repugnantia, vnus potest vicem duorum sustinere. Bartolus.

III. PAULUS *lib.* IIII. *ad Sabinum.*

Si consul vel præses filiusfamiliâs sit: posse eum apud semetipsum vel emancipari, vel in adoptionem dari constat.

IIII. MODESTINUS *libro* II. *Regularum.*

Magist-

A MAgiſtratum,apud quem legis actio eſt:& emancipare filios ſuos,& in adoptionẽ dare apud ſe poſſe,Neratij ſententia eſt.

In adrogatione requiritur volũtas adrogatoris,& illius qui debet adrogari. Et *in adoptione requiritur voluntas adoptantis, & eius qui adoptatur,& patris ſui:& non aliorum conſanguineorũ:& ſi in loco nepotis qui adoptatur, requiritur filii voluntas, qui loco patris eſſe debet.qua ſi non adeſſet, non recideret in poteſtatem ipſius mortuo patre ſuo.hæc dicũtur cum.l.ſequent.&.l.* Si *quis infra eodem.*Bartolus.

V. CELSVS *lib.* XXVIII. Digeſtorum.

B IN adoptionibus eorum, qui ſuæ poteſtatis ſunt, ipſorum duntaxat voluntas exploratur. Sin autem à patre dantur in adoptionem: in iis vtriuſque arbitrium exſpectandum eſt, vel conſentiendo, vel non contradicendo.

VI. PAVLVS *lib.* XXXV. *ad edictum.*

CVm nepos adoptatur, quaſi ex filio natus: conſenſus filij exigitur,idque etiam Iulianus ſcribit.

VII. CELSVS *lib.* XXXVIII. *Digeſtorum.*

CVm adoptio fit: non eſt neceſſaria in eam rem authoritas eorum, inter quos iura adgnationis conſequuntur.

VIII. MODESTINVS *lib.* II. *Regularum.*

C QVòd, vt nec curatoris authoritas intercederet, in adrogatione antè tenuerat:ſub diuo Claudio rectè mutatum eſt.

IX. VLPIANVS *lib.* I. *ad Sabinum.*

ETiam cæcus adoptare,vel adoptari poteſt.

*Adoptatus in locum nepotis tanquam ex filio natus non fit hæres ſuus auo viuente.*Bartolus.

X. PAVLVS *lib.* II. *ad Sabinum.*

SI quis nepotem quaſi ex filio natum, quẽ in poteſtate habet,conſentiente filio,adoptauerit: non adgnaſcitur auo, vt ſuus hæres: quippe cùm poſt mortem aui quaſi in patris ſui poteſtatem recidit.

XI. IDEM *lib.* IIII. ad *Sabinum.*

SI quis cum filium haberet, in nepotis locũ adoptaſſet,perinde atque ſi ex filio natus eſſet: & filius au-

thor factus non esset: mortuo auo, non esse nepotem in poteſtate filij. D

XII. VLPIANVS lib. XIIII. ad Sabinum.

QVi liberatus est patria poteſtate: is poſtea in poteſtatem honeſtè reuerti non poteſt, niſi adoptione.

Finita adoptione, finiuntur omnia iura prouenientia ex ea.

XIII. PAPINIANVS libro XXXVIII. Quæſtionum.

IN omni ferè iure, finita patris adoptiui poteſtate, nullum ex priſtino iure retinetur veſtigium. denique & patria dignitas quæſita per adoptionem, finita ea, deponitur. E

XIIII. POMPONIVS lib. V. ad Sabinum.

SEd & nepos ex filio, apud adoptiuum patrem conceptus & natus, per emancipationem omnia iura perdet.

Ad patrem adrogantem tranſeunt omnia iura ſeu bona adrogati, etiam filii ſui in cuius poteſtate efficiuntur.

XV. VLPIANVS lib. XXVI. ad Sabinum.

SI paterfamiliâs adoptatus ſit: omnia, quæ eius fuerunt, & adquiri poſſunt, tacito iure ad eum tranſeũt, qui adoptauit. hoc amplius liberi eius, qui in poteſtate eius ſunt, eum ſequuntur. ſed & hi, qui poſtliminio redeunt, vel qui in vtero fuerunt, cum adrogaretur: ſimili modo in poteſtatem adrogatoris rediguntur. Qui duos filios & ex altero eorum nepotem habet: ſi vult nepotem, quaſi ex altero natum, adoptare: poteſt hoc efficere, ſi eum emancipauerit: & ſic adoptauerit, quaſi ex altero natũ. facit enim hoc quaſi quilibet, non quaſi auus: & qua ratione quaſi ex quolibet natum poteſt adoptare, ita poteſt & quaſi ex altero filio. F

In adoptionibus conſiderantur cauſſa infraſcripta: & ars imitatur naturam quantum poteſt, & tutor durante tutela, & curator durante cura non poteſt adoptare pupillum vel adultum. h.d. vſque ad. §. eorum in. l. ſequen. Bartolus.

** Ad hoc reſponſum* In adrogationibus cognitio * vertitur: num fortè minor ſexaginta annis ſit is, qui adrogat, qui magis liberorum

A rorum creationi ſtudere debeat:niſi fortè morbus, aut valetudo in cauſſa ſit, aut alia iuſta cauſſa adrogandi: veluti ſi coniunctam ſibi perſonam velit adoptare. Itē non debet quis plures adrogare,niſi ex iuſta cauſſa. Sed nec libertum alienum,neque maiorem minor. *& ſequentes leges pertinent ea,quæ elegāter diſſerit Cice. pro domo ſua ad Pōtifices.*

XVI. IABOLENVS *lib.* VI. *ex Caßio.*

ADoptio enim in iis perſonis locum habet, in quibus etiam natura poteſt.

Adultus uel pupillus non poteſt adoptari per tutorē uel curatorē.

XVII. VLPIANVS *lib.* XXVI. *ad Sabinum.*

NEc ei permittitur adrogare,qui tutelem vel curam alicuius adminiſtrauit, ſi minor viginti quinque B annis ſit,qui adrogatur: ne forte eum ideo adroget, ne rationes reddat. Item inquirendum eſt, ne forte turpis cauſa adrogandi ſubſit.

Adrogatio pupilli debet fieri cum cauſæ cognitione quæ infra ſequitur:& adrogās pupillū debet ſatisdare ſe reſtituturum bona ipſa adrogatione finita per mortem impuberis illis ad quos bona peruenire debent vt puta ſubſtitutis uel aliis hæredibus. quæ ſatisdatio ſi non fuerit adpoſita,datur eiſdem utilis actio contra ipſum adrogantem. h. d. uſque ad. l. Si adrogator.

Iis duntaxat pupillorum adrogatio permittenda eſt, qui vel naturali cognatione, vel ſanctiſſima adfectione ducti adoptarent: cæterorum prohibenda: ne ſit in poteſtate tutorum,& finire tutelam,& ſubſtitutionem à pa C rente factam exſtinguere. Et primum quidem excutiendum erit,quę facultates pupilli ſint:& quę eius,qui adoptare eum velit: vt æſtimetur ex comparatione earum,an ſalubris adoptio poſſit pupillo intelligi. deinde cuiꝰ vitæ ſit is,qui velit pupillum redigere in familiam ſuam. tertiò,cuius demum ætatis ſit: vt æſtimetur, an melius ſit,de liberis procreādis eum cogitare, quàm ex aliena familia quēquam redigere in poteſtatem ſuā.

Præterea videndum eſt,an nō debeat permitti ei,qui vel vnum habebit,vel plures liberos, adoptare alium: ne aut illorum, quos ex iuſtis nuptiis procreauit, deminuatur ſpes, quam vnuſquiſque liberorum obſequio parat ſibi: aut qui adoptatus ſit, minus percipiat, quàm dignum erit eum conſequi. Interdum & ditiorē per-

mittitur adoptare pauperiori, si vitæ eius sobrietas clara sit, vel adfectio honesta, nec incognita. Satisdatio autem in his casibus dari solet. D

XVIII. MARCELLVS *lib.* XXVI. *Digest.*

NOn aliter enim voluntati eius, qui adrogare pupillum volet, (si caussam eius ob alia probabit) subscribendum erit, q̃ si cauerit seruo publico, se restituturũ, quæ ex bonis eius consecutus fuerit: illis, ad quos res peruentura esset, si adrogatus permansisset in statu suo.

XIX. VLPIANVS *lib.* XXVI. *ad Sabinum.*

HIs verbis satisdationis, quæ ab adrogatore præstari debet, AD QVOS EA RES PERTINET: E & libertatibus prospectum esse, quæ secundis tabulis datæ sunt: & multo magis substituto seruo, item legatariis, nemo dubitat. quæ satisdatio si obmissa fuerit, vtilis actio in adrogatorem datur.

XX. MARCELLVS *lib.* XXVI. *Digestorum.*

HAec autem satisdatio locum habet, si impubes decessit: sed & si de pupillo loquitur, tamen hoc etiam in pupilla obseruandum est.

XXI. CAIVS *lib. singulari Regularum.*

NAm & fœminę ex rescripto pricipis adrogari possunt.

XXII. VLPIANVS *lib.* XXVI. *ad Sabinum.*

SI adrogator decesserit, impubere relicto filio adoptiuo, & mox impubes decedat: an hæredes adrogatoris teneantur? Et dicẽdum est, hæredes quoque restituere bona adrogati, & præterea quartam partem. F

Sed an impuberi adrogator substituere possit, quæritur? Et puto non admitti substitutionem, nisi forte ad quartam solam, quam ex bonis eius consequitur: & hactenus, vt ei vsque ad pubertatem substituat. Cæterum si fidei eius committit, vt quandoque restituat: nõ oportet admitti fidei commissum: quia hoc non iudicio eius ad eum peruenit, sed principali prouidentia. Hæc autem omnia dicenda sunt: siue in locum filij, siue in locũ nepotis aliquis impuberem adrogauerit.

XXIII. PAVLVS *lib.* XXXVI. *ad edictum.*

Qui

A QVi in adoptionem datur: his quibus adnascitur, cognatus fit: quibus vero non adnascitur, nec cognatus fit. adoptio enim non ius sanguinis, sed ius adgnationis adfert. & ideo si filiũ adoptauero, vxor mea illi matris loco non est. neque enim adnascitur ei: propter quod nec cognatus ei* fit. Item nec mater mea auiæ loco illi est: quoniam his, qui extra familiam meã sunt, non adnascitur. sed filiæ meæ is, quem adoptaui, frater fit: quoniam in familia mea est filia: nuptiis etiam eorum prohibitis.

XXIIII. VLPIANVS *lib. I. Disputationum.*

NEque absens, neque dissentiens adrogari potest.

B *Pater contra emancipationem à se factam, & diuturnitate temporis roboratam, uenire non potest. Bartolus.*

XXV. IDEM *lib. V. Opinionum.*

POst mortem filiæ suæ, quæ vt materfamiliâs, quasi iure emancipata vixerat, & testamento scriptis hæredibus decessit: aduersus factum suum, quasi non iure eam, nec præsentibus testibus emancipârit: pater moue re controuersiam prohibetur. Neque adoptare, nec adrogare quis absens, nec per alium eiusmodi solennitatem peragere potest.

XXVI. IVLIANVS *lib. XXV. Digestorum.*

QVem filius meus emancipatus adoptauerit, is meus nepos non erit.

C XXVII. IDEM *lib. XXX. Digestorum.*

EX adoptiuo natus, adoptiui locum obtinet iure ciuili.

XXVIII. CAIVS *lib. I. Institutionum.*

LIberum arbitrium est ei, qui filium & ex eo nepoté in potestate habebit: filium quidem potestate dimittere, nepotem vero in potestate retinere: vel ex diuerso, filium quidem in potestate retinere, nepotem vero manumittere: vel omnes sui iuris efficere. eadem & de pronepote dicta esse intelligimus.

Nota quod in adoptione verborum expressio non requiritur.

XXIX. CALLISTRATVS *lib. II. Institutionum.*

SI pater naturalis loqui quidem non possit: alio tamé modo,

modo q̃ ſermone,manifeſtum facere poſſit,velle ſe filiũ ſuum in adoptionem dare:perinde cõfirmatur adoptio, ac ſi iure facta eſſet. D

XXX. PAVLVS *lib.* I. *Regularum.*

ET qui vxores non habent,filios adoptare poſſunt.

XXXI. MARTIANVS *lib.* V. *Regularum.*

NOn poteſt filius qui in poteſtate patris eſt, vllo modo compellere eum,ne ſit in poteſtate:ſiue naturalis,ſiue adoptiuus.

XXXII. PAPINIANVS *lib.* XXXI. *Quæſtionum.*

NOnnunquam autem impubes,qui adoptatus eſt:audiendus erit,ſi pubes factus emancipari deſideret: idq́ue cauſſa cognita per iudicem ſtatuẽdum erit. Imperator Titus Antoninus reſcripſit: priuignum ſuum tutori adoptare permittendum. E

XXXIII. MARTIANVS *lib.* V. *Regularum.*

ET ſi pubes factus, non expedire ſibi, in poteſtatem eius redigi,probauerit:æquum eſt emancipari eum à patre adoptiuo,atque ita priſtinum ius recuperare.

XXXIIII. PAVLVS *lib.* XI. *Quæſtionum.*

QVæſitum eſt : ſi tibi filius in adoptionem hac lege ſit datus,vt(poſt triennium puta)eundem mihi in adoptionem des : an actio vlla ſit?& Labeo nullam putat eſſe actionem . nec enim moribus noſtris conuenire,filium temporalem habere. F

XXXV. IDEM. *lib.* I. *Reſponſorum.*

PEr adoptionem dignitas non minuitur,ſed augetur. vnde ſenator & ſi à plebeio adoptatus eſt,manet tamen ſenator.ſimiliter manet & ſenatoris filius.

Emancipatio & adoptio quæ de voluntaria iuriſdictione ſunt, poſſunt fieri quocunque loco,dumtamen idoneo. Bar.

XXXVI. IDEM *lib.* XVIII. *Reſponſorum.*

EMancipari filium à patre quocunq; loco poſſe cõſtat,vt exeat de patria poteſtate. Etiam apud proconſulem in ea prouincia,quam ſortitus non eſt: & manumitti,& adoptionem dari poſſe placet.

XXXVII. IDEM *lib.* I. *Sententiarum.*

Adoptare

A ADoptare quis nepotis loco potest, etiam si filium non habet. Eum quem quis adoptauit, emancipatum, vel in adoptionem datum, iterum non potest adoptare.

In confirmatione adoptionis non iure factæ requiritur citatio illorum qui ex confirmatione possunt lædi.

XXXVIII. MARCELLUS *lib.* XXVI. *Digestorum.*

ADoptio non iure facta, à principe confirmari potest.

XXXIX. VLPIANUS. *lib.* III. *de off. Proconſ.*

NAm ita diuus Marcus Eutichiano rescripsit. Quod desideras, an impetrare debeas, æstimabunt iudi-
B ces: adhibitis etiam his, qui contradicerent, id est qui læderentur confirmatione adoptionis.

In potestatem adrogatoris non solum transit adrogatus, sed filii eius. Bartolus.

XL. MODESTINUS *lib.* I. *Differentiarum.*

ADrogato patrefamiliâs liberi, qui in eius potestate erant, nepotes apud adrogatorem efficiuntur: simulque cum patre in eius recidunt potestatem. quod non similiter contingit in adoptione. nam nepotes ex eo, in aui naturalis retinentur potestate. Non tantùm cùm quis adoptat, sed & cùm adrogat: maior esse debet eo, quem sibi per adrogationem, vel per adoptionẽ filium facit: & vtique plena pubertate, id est, decem &
C octo annis præcedere debet. Spado adrogando suum hęredem sibi adsciscere potest, nec ei corporale vicium impedimento est.

Emancipato filio vel in adoptionem dato, nepos ex eo post mortem aui non recidit in potestatem ipsius.

XLI. IDEM *lib.* II. *Regularum.*

SI pater filium, ex quo nepos illi est in potestate, emãcipauerit, & postea eum adoptauerit: mortuo eo, nepos in patris potestatem non reuertitur. Sed nec is in patris potestatem reuertitur, quem auus retinuerat, filio dato in adoptionem, quem denuo redadoptauit.

XLII. IDEM *lib.* I. πανδεκτῶν.

ETiam infantem in adoptionem dare possumus.

XLIII.

XLIII. POMPONIVS *lib.* XXI. *ad Quint. Mutium.* D

ADoptiones non ſolum filiorum, ſed & quaſi nepotum fiunt: vt aliquis nepos noſter eſſe videatur, perinde quaſi ex filio vel incertè natus ſit.

XLIIII. PROCVLVS *lib.* VIII. ἐπιστολῶν.

SI is qui nepotem ex filio habet, loco nepotis aliquẽ adoptauit: non puto, mortuo auo, iura conſanguinitatis inter nepotes futura eſſe. Sed ſi ſic adoptauit, vt tã iure legeq́ue nepos ſuus eſſet: quàm ſi ex Lucio (puta) filio ſuo, & ex matrefamiliâs eius natus eſſet: contrà puto.

Non enim tãta erat prætoris authoritas vt iura cõſanguinitatis daret, cognatiõis verò legisq; maxima. Vide Gell. li. 6. ca. 19.

XLV. PAVLVS *lib.* III. *ad L. Iuliam & Papiam.*

ONera eius, qui in adoptionem datus eſt, ad patrem adoptiuum transferuntur. E

XLVI. VLPIANVS *lib.* IIII. *ad L. Iuliam & Papiam.*

IN ſeruitute mea quæſitus mihi filius, in poteſtatem meam redigi principis beneficio poteſt: libertinum tamen eum manere non dubitatur.

DE DIVISIONE RERVM, & qualitate. Tit. VIII.

Res aliæ ſunt diuini iuris, aliæ humani. Diuini iuris ſunt res ſacræ, religioſæ & ſanctæ. Res autem humani iuris, aut publicæ, id eſt nullius in bonis ſunt: aut priuatæ, id eſt ſingulorum. F

CAIVS *lib.* II. *Inſtitutionum.*

SVMMA rerũ diuiſio in duos articulos deducitur. nam aliæ ſunt diuini iuris, aliæ humani. Diuini iuris ſunt res ſacræ & religioſæ. Sãctæ quoq; res, veluti muri & portæ, quodãmodo diuini iuris ſunt. Qđ autẽ diuini iuris eſt, id nullius in bonis eſt. id vero, quod humani iuris eſt, plerunque alicuius in bonis eſt. poteſt enim & nullius in bonis eſſe. nam res hæreditariæ, antequam aliquis hæres exiſtat, nullius in bonis ſunt. Hæ autem res, quæ humani iuris ſunt, aut publicæ ſunt, aut priuatæ. quæ publicæ ſunt, nullius in bonis eſſe credũtur: quæ autem priuatæ ſunt, ſingulorum exiſtunt.

Quædam

A Quædam præterea res corporales sunt, quædam incorporales. corporales hæ sunt, quæ tangi possunt: veluti fundus, homo, vestis, aurum, argentum, & denique aliæ res innumerabiles. Incorporales sunt, quæ tangi non possunt: qualia sunt ea, quæ in iure consistunt: sicut hæreditas, vsusfructus, obligationes, quoquo modo contractæ sunt. nec ad rem pertinet, quod in hæreditate res corporales continentur: & fructus, qui ex fundo percipiuntur, corporales sunt: & id, quod ex aliqua obligatione nobis debetur, plerunque corporale est: veluti fundus, homo, pecunia. Nam ipsum ius successionis, & ipsum ius vtendi fruendi, & ipsum ius obli-
B gationis incorporale est. Eodem numero sunt iura prędiorum vrbanorum & rusticorum, quæ etiam seruitutes vocantur.

II. MARTIANVS *lib.* III. *Institutionum.*

QVædam naturali iure cõmunia sunt omnium, quędam vniuersitatis, quædam nullius, pleraq; singulorum, quæ variis ex caussis cuiq; adquiruntur. Et quidem naturali iure omnium cõmunia sunt illa: aër, aqua profluens, mare, & per hoc litora maris.

III. FLORENTINVS *lib.* I. *Institutionum.*

ITem lapilli, gemmæ, & cætera, quæ in litore inuenimus, iure naturali statim nostra fiunt.

IIII. MARTIANVS *lib.* III. *Institutionum.*

C NEmo igitur ad litus maris accedere prohibetur piscandi caussa: dum tamen villis, monumentis & ædificiis abstineat: quia non sunt iuris gentium, sicut & mare. idque diuus Pius piscatoribus Formianis & Capenatis rescripsit. Sed & flumina penè omnia & portus publici sunt.

V. CAIVS. *lib.* II. *rerum cotidianarum, siue aureorũ.*

RIparum quoque vsus publicus est iure gẽtium, sicut ipsius fluminis. Itaque naues ad eas adpellere, & funes ex arboribus ibi natis religare, retia siccare, & ex mari deducere onus aliquod, & in iis reponere: cuilibet liberum est, sicuti per ipsum flumen nauigare: sed proprietas illorum est, quorum prædiis hærent. qua de caussa arbores quoque in iisdem natæ, eorundem sunt.

In mari

In mari piscantibus liberum est, casam in litore ponere, in quam se recipiant. D

VI. MARTIANVS. *lib.* III. *Institutionum.*

INtantum, vt soli domini constituantur, qui ibi ędificant: sed quandiu ædificium manet. alioquin ædificio dilapso, quasi iure postliminij reuertitur locus in pristinam caussam: & si alius in eodem loco ædificauerit, eius fiet. Vniuersitatis sunt, non singulorum, quæ in ciuitatibus sunt theatra, stadia, & si qua alia sunt communia ciuitatum. Itemque nec seruus communis ciuitatis, singulorum pro parte intelligitur, sed vniuersitatis. & ideo tam contra ciuem, quàm pro eo posse seruum ciuitatis torqueri, diui fratres rescripserunt: & libertus ciuitatis non habet necesse veniam edicti petere, si vocet in ius aliquem ex ciuibus. Sacræ res, & religiosæ, & sanctæ nullius in bonis sunt. Sacræ† autem res sunt, quæ publicè consecratæ sunt, non priuatim. Si quis ergo priuatum sibi sacrum constituerit, sacrum non est, sed profanum. semel autem æde sacra facta, etiam diruto ædificio, locus sacer manet. Religiosum locum vnumquemque sua voluntate facere, dum mortuum infert in locum suum. In commune autem sepulchrum etiam inuitis cæteris licet inferre: sed & in alienum locum, concedente domino, licet inferre: & licet postea ratum habuerit, quàm illatus est mortuus, religiosus locus fit. Cenotaphium quoque magis placet locum esse religiosum, sicut testis est in ea re Virgilius. E F

† *Macrob. lib. 3. ca. 3. Gell. lib. 4 cap. 9.*

VII. VLPIANVS *lib.* XXV. *ad edictum.*

SEd diui fratres contrà rescripserunt.

VIII. MARTIANVS *lib.* IIII. *Regularum.*

SAnctum est, quod ab iniuria hominum defensum atque munitum est. sanctum autem dictum est à sagminibus. sunt enim sagmina quædam herbæ, quas legati populi Romani ferre solebant, ne quis eos violaret: sicut legati Græcorũ ea, quæ vocantur κηρυκεῖα, ferunt. In municipiis quoque muros esse sanctos, Sabinum rectè respondisse, Cassius refert: prohiberique oportere, ne quid in his immitteretur.

IX. VL-

A IX. VLPIANVS *lib.* LXIX. *ad edictum.*

SAcra loca sunt, quę publicè dedicata sunt, siue in ciuitate, siue in agro. Sciendum est, locum publicum tunc sacrum fieri posse: cùm princeps eum dedicauit, vel dedicandi dedit potestatem. Illud notandum est: aliud esse sacrum locum, aliud sacrarium. Sacer locus est, locus consecratus. sacrarium est locus, in quo sacræ res ponuntur: quod etiam in ædificio priuato esse potest: & solent, qui liberare eum locum religione volunt, sacra inde euocare. Propriè dicim⁹ sancta, quæ nec sacra, nec profana sunt, sed sanctione quadam confirmata: vt sunt leges, quia sanctione quadã subnixæ sunt. quod B enim sanctione quadã subnixum est, id sanctum est, & si deo non sit consecratum. & interdum in sanctionibus adiicitur: vt qui ibi aliquid commisit, capite puniatur.

Muros autẽ municipales, nec reficere licet sinè principis vel præsidis authoritate, nec aliquid eis coniungere, vel supponere. Res sacra non recipit æstimationem.

X. POMPONIVS *lib.* VI. *ad Plautium.*

ARisto ait: sicut id, quod in mari ædificatum esset, fieret priuatum: ita quod à mari occupatum sit, fieri publicum.

XI. IDEM *lib.* II. *Ex variis lectionibus.*

SI quis violauerit muros, capite punitur: sicuti si quis transcẽdet scalis admotis, vel alia qualibet ratione. C Nam ciues Romanos aliè, quàm per portas, egredi non licet: cùm id hostile & abominandum sit. nam Romuli frater Remus occisus traditur ob id, quod murum transcendere voluerit.

DE SENATORIBVS. Tit. IX.

Vir in dignitate positus præfertur in dignitate vxori: & dignitas non transit de inferioribus ad superiores. Bar.

VLPIANVS *lib.* LXII. *Ad edictum.*

CONSVLARI fœminæ vtique consularem virum præferendum esse, nemo ambigit. sed vir præfectorius an fœminæ consulari præferatur, videndum. & putem præferri, quia* maior **quia in Flor.*

maior dignitas in ſexu virili. Conſulares autem fœminas dicimus conſularium vxores. adiicit Saturninus, & D
matres: quod nec vſquam relatum eſt, nec vnquam receptum.

Senatu motus, iudicare vel teſtimonium dicere non poteſt.

II. MARCELLVS *lib.* III. *Digeſtorum.*

CAſſius Longinus non putat ei permittendum, qui propter turpitudinem ſenatu motus, nec reſtitutus eſt: iudicare, vel teſtimonium dicere: quia lex Iulia repetundarum hoc fieri vetat.

III. MODESTINVS *lib.* VI. *Regularum.*

SEnatorem remotum ſenatu capite non minui, ſed Romæ morari: diuus Seuerus & Antoninus reſcri- E
pſerunt.

IIII. POMPONIVS *lib.* XII. *Ex variis lectionibus.*

QVi indignus eſt inferiore ordine, indignior eſt ſuperiore.

V. VLPIANVS *lib.* I. *Ad L. Iuliam & Papiam.*

SEnatoris filium accipere debemus nõ tantum eum, qui naturalis eſt, verùm adoptiuum quoque. neque intererit, à quo vel qualiter adoptatus fuerit. nec intereſt, iam in ſenatoria dignitate cõſtitutus eum ſuſceperit, an ante ſenatoriam dignitatem.

VI. PAVLVS *lib.* II. *Ad L. Iuliam & Papiam.*

SEnatoris filius eſt & is, quem in adoptionem accipit: quàm diu tamen in familia eius manet. emanci- F
patus enim nomen filij emancipatione amittit. A ſenatore verò in adoptionem filius datus ei, qui inferioris dignitatis eſt: quaſi ſenatoris filius videtur. quia non amittitur ſenatoria dignitas adoptiõe inferioris dignitatis: non magis, quàm vt conſularis eſſe deſinat.

Filius legitimus & naturalis emancipatus à patre, nihilominus filius ſenatoris dicitur: & conceptus ante remotionem patris à Senatu, licet poſt remotionem natus, ſenatoris filius dicitur.

VII. VLPIANVS *lib.* I. *Ad L. Iuliam & Papiam.*

EMancipatum à patre ſenatore quaſi ſenatoris filium haberi placet. Item Labeo ſcribit: etiam eum, qui poſt mortem patris ſenatoris natus ſit, quaſi ſenatoris filium

lium eſſe. Sed eum, qui poſtea, quàm pater eius de ſenatu
A motus eſt, concipitur & naſcitur: Proculus & Pegaſus opinantur, non eſſe quaſi ſenatoris filium. quorum ſententia vera eſt. nec enim propriè ſenatoris filius dicitur is, cuius pater ſenatu motus eſt, antequam ipſe naſceretur. Sed ſi quis conceptus quidem ſit, antequam pater eius ſenatu moueatur: natus autem poſt patris dignitatẽ amiſſam: magis eſt, vt quaſi ſenatoris filius intelligatur. tempus enim conceptionis ſpectandum pleriſque placuit. Si quis & patrem & auum habuerit ſenatorem: & quaſi filius, & quaſi nepos ſenatoris intelligitur. ſed ſi pater amiſerit dignitatem ante huius conceptionem: quæri poterit, an quamuis quaſi ſenatoris filius non in-
B telligatur: quaſi nepos tamen intelligi debeat? & magis eſt, vt debeat: vt aui potius ei dignitas proſit, quàm obſit caſus patris.

Vxores coruſcant radiis maritorum, & eorum dignitate & priuilegio gaudent etiam poſt mortem ipſorum, donec nubant alii inferioris gradus: quo caſu dignitatem amittunt.

VIII. IDEM *lib.* VI. *Fidei commiſſorum.*

FOeminæ nuptæ clariſſimis perſonis, clariſſimarum fœminarum appellatione continentur. Clariſſimarum fœminarum nomine ſenatorum filiæ, niſi quæ viros clariſſimos ſortitæ ſunt, non habentur. Fœminis etenim dignitatem clariſſimam mariti tribuunt: parentes
C vero, donec plebeis nuptiis fuerint copulatæ. tamdiu igitur clariſſima fœmina erit, quàm diu ſenatori nupta eſt, vel clariſſimo: aut ſeparata ab eo, alij inferioris dignitatis non nupſit.

Sicut caſus patris non nocet filio, ita nec debet prodeſſe: nec illicitè facta ſumunt vigorem. B.

IX. PAPINIANVS *lib.* IIII. *Reſponſorum*

FIliam ſenatoris nuptias liberti ſecutam, patris caſus non facit vxorem. nam quæſita dignitas, liberis propter caſum patris remoti à ſenatu, auferenda non eſt.

X. VLPIANVS *lib.* XXXIIII. *Ad edictum.*

LIberos ſenatorum accipere debemus, non tantũ ſenatorum filios: verũetiam omnes, qui geniti ex ipſis, vel ex liberis eorum dicãtur: ſiue naturales, ſiue ad-

d optiui

optiui ſint liberi ſenatorum, ex quibus nati dicuntur. Sed ſi ex filia ſenatoris natus ſit: ſpectare debemus patris eius conditionem. D

Dignitas ſenatoria non mutat proprium domicilium.

XI. PAVLVS *lib.* XII. *Ad edictum.*

SEnatores licet in vrbe domicilium habere videantur: tamen & ibi, vnde oriundi ſunt, habere domicilium intelliguntur. quia dignitas domicilij adiectioné potius dediſſe, quàm permutaſſe videtur.

Priuilegium poteſt princeps facere, vt conſularis fœmina nupta plebeio conſularem retineat dignitatem.

XII. VLPIANVS *lib.* II. *De cenſibus.*

NVptæ prius conſulari viro, impetrare ſolent à principe (quãuis perrarò) vt nuptæ iterum minoris dignitatis viro, nihilominus in conſulari maneant dignitate: vt ſcio Antoninum Auguſtum Iuliæ Mammeæ cõſobrinæ ſuæ indulſiſſe. E

Senatores autem accipiendum eſt eos, qui à patriciis & conſulibus vſque ad omnes viros illuſtres deſcendunt: quia hi ſoli in ſenatu ſententiam dicere poſſunt.

DE OFFICIO CONSVLIS. Tit. X.

Conſulatus officium circa manumiſſiones verſatur: & conſules habent adminiſtrationem inſolidum, & cauſa coram vno ex conſulibus cœpta non poteſt per alium explicari niſi in caſu neceſſitatis, & conſules apud ſeipſos poſſunt ſeruos ſuos manumittere, niſi ſint minores. B. F

VLPIANVS *lib.* II. *De officio conſulis.*

OFficium conſulis eſt, conſilium præbere manumittere volentibus. Conſules & ſeorſum, & ſinguli manumittere poſſunt: ſed non poteſt, qui apud alterum nomina edidit, apud alterum manumittere. ſeparatæ enim ſunt manumiſſiones. Sanè ſi qua ex cauſſa collega non poteſt manumittere: infirmitate ſcilicet, vel alia cauſſa impeditus: collegam poſſe manumiſſionem expedire, Senatus cenſuit. Conſules ſeruos ſuos manumittere apud ſe poſſe, nulla dubitatio eſt. Sed ſi euenerit, vt minor viginti annis conſul ſit: apud ſe manumittere non poteſt: cùm ipſe ſit,

qui

qui ex senatusconsulto consilij caussam examinat. apud
A collegam verò caussa probata, potest.

DE OFFICIO PRAEFECTI PRAETORIO. *Tit.* XI.

Præfecti pratorio ad similitudinem magistrorum equitum à principibus electi sunt ad principalem curam militarisque seu publica disciplina emendationem. Eorum autem authoritas in tantum meruit augeri, vt appellari à præfectis pratorio non possit.

AVRELIVS ARCADIVS *lib. singulari de off. præfecti pratorio.*

BReuiter commemorare necesse est, vnde cõ
B stituendi præfecti prætorio officium origo emanauerit. Ad vicem magistri equitũ præfectos prætorio antiquitus esse institutos: à quibusdam scriptorib⁹ traditum est. nã cùm apud veteres Dictatoribus ad tempus summa potestas crederetur: & magistros equitum sibi eligerent, qui adsociati principali curæ militiæ gratia, secundam post eos potestatem gererent: regimentis reipublicæ ad Imperatores perpetuò trãslatis, ad similitudinem magistrorum equitum præfecti prætorio à principibus electi sunt, data eis pleniore licentia ad disciplinæ publicæ emendationem. His cunabulis prætorio præfecto-
C rum authoritas initiata: in tantum meruit augeri, vt appellari à præfectis prætorio non possit. nam cùm antè quæsitum fuisset, an liceret à præfectis prætorio appellari, & an iure liceret, exstarentque exempla eorum, qui prouocauerant: postea publicè sententia principali lecta, appellandi facultas interdicta est. credidit enim princeps eos, qui ob singularem industriam, explorata eorum fide & grauitate, ad huius officij magnitudinem adhiberentur: non aliter iudicaturos esse, pro sapientia ac luce dignitatis suæ, quàm ipse foret iudicaturus. Subnixi sunt & alio priuilegio: ne à sententiis eorum minores ætate ab aliis magistratibus, nisi ab ipsis præfectis prætorio, restitui possint.

In hunc titulũ vide Gell. li. 15. cap. 8. Crinitum li. 1. de honesta disciplina. cap. 12.

DE OFFICIO PRAEFECTI urbi. Tit. XII.

D

Omnia omnino crimina quæ intra vrbem admittuntur, sed & si quid intra centesimum miliarium admissum sit, ad Præfectum vrbi pertinet. Item cura carnis omnis, vt iusto pretio præbeatur.

VLPIANVS *lib. singulari de off. præfecti vrbi.*

OMnia omnino crimina præfectura vrbi sibi vindicauit: nec tantum ea, quæ intra vrbem admittuntur: verùm ea quoq;, quæ extra vrbem intra Italiam: vt epistola diui Seueri ad Fabium Cilonem præfectum vrbi missa declaratur. Seruos, qui ad statuas confugerunt: vel sua pecunia emptos, vt manumittantur: de dominis querẽtes audiet. E Sed & patronos egentes de suis libertis querentes audiet: & maximè si ægros se esse dicant, desiderentque à libertis exhiberi. Relegandi deportãdique in insulam, quam Imperator adsignauerit, licentiam habet. Initio eiusdem epistolæ ita scriptum est: CVM VRBEM NOSTRAM FIDEI TVAE COMMISERIMVS. Quicquid igitur intra vrbem admittitur, ad præfectum vrbi videtur pertinere. Sed & si quid intra centesimum miliarium admissum sit: ad præfectum vrbi pertinet. sed si vltra ipsum lapidem egressum est, præfecti vrbi notio non est. Si quis seruum suum adulterium commisisse dicat in vxorem F suam, apud præfectum vrbi erit audiendus. Sed & ex interdictis, QVOD VI AVT CLAM, aut interdicto, VNDE VI audire potest. Solent ad præfectum vrbi remitti etiam tutores, siue curatores: qui malè in tutela siue cura versati, grauiore animaduersione indigent, quàm vt sufficiat eis, suspectorum infamia: quos probari poterit vel numis datis tutelam occupasse: vel prẽmio accepto operam dedisse, vt non idoneus tutor alicui daretur: vel consulto circa edendum patrimonium quantitatem minuisse: vel euidenti fraude pupilli bona alienasse. Quod autem dictũ est, vt seruos de dominis querentes præfectus audiat: sic accipiemus, non accusantes dominos (hoc enim nequaquam

seruo

seruo permittendum, nisi ex receptis caussis) sed si verecundè expostulent: si sæuitiam, si duritiam, si famem,
A qua eos comprimant: si obscœnitatem, in quam eos cōpulerint vel compellant, apud præfectum vrbi exponant. Hoc quoque officium præfecto vrbi à diuo Seuero datum est: vt mancipia tueatur, ne prostituantur. Præterea curare debebit præfectus vrbi, vt numularij probè se gerant circa omne negocium: & temperent his, quæ sunt prohibita. Cùm patronus contemni se à liberto dixerit, vel contumeliosum sibi libertum queratur, vel conuicium se ab eo passum, liberosque vel vxorem, vel quid huic simile obiiciat: præfectus vrbi aditus pro modo querelę corrigere eum, aut commi-
B nari, aut fustibus castigare, aut vlterius procedere in pœnam eius solet. Nam plerunque puniendi sunt & liberti. certè si se delatum à liberto, vel si conspirasse eum contra se cum inimicis doceat: etiam metalli pœna in eum statui debet. Cura carnis omnis, vt iusto precio præbeatur, ad curam præfecturæ pertinet. ideo & forum suarium sub ipsius cura est. sed & cæterorum siue pecorum, siue armentorū, quod ad huiusmodi prębitionem spectat, ad ipsius curam pertinent. Quies quoque popularium, & disciplina spectaculorum, ad pręfecti vrbi curam pertinere videtur. Et sanè debet dispositos milites stationarios habere, ad tuendam popu-
C larium qùietem, & ad referendum sibi, quid vbi agatur. Et vrbe interdicere præfectus vrbi, & qualibet alia solitarum regionum potest, & negociatione, & professione, & aduocationibus, & foro, & ad tempus, & in perpetuum. interdicere poterit & spectaculis: & si quem relegat ab Italia, submouere eum etiam à prouincia sua. Diuus Seuerus rescripsit eos etiam, qui illicitum collegium coîsse dicantur: apud præfectum vrbi accusandos.

II. PAVLVS *lib. singulari de officio præfecti vrbi.*

ADiri etiã ab argẽtariis, vel aduersus eos, ex epistola diui Hadriani, & in pecuniariis caussis potest.

III. VLPIANVS *lib. I I. Ad edictum.*

PRæfectus vrbi, cùm terminos exierit, potestatem nõ habet: extrà tamen potest iubere iudicare. D

DE OFFICIO QVAESTORIS. Titu. XIII.

Quæstores dicti à genere quærendi, quorum quidam solebant prouincias sortiri: alii, qui Candidati principis dicuntur, solis libris, epistolisque principalibus in senatu legendis vacabant.

VLPIANVS *lib. singulari de officio quæstoris.*

Rigo quæstoris creandi antiquissima est, & penè ante omnes magistratus. Iunius certè Gracchanus libro septimo De potestatibus, etiam ipsum Romulum & Numam Pompilium binos quæstores habuisse: quos ipsi nõ sua voce, sed populi suffragio crearent: refert. Sed sicuti dubium est, an Romulo & Numa regnantibus, quæstor fuerit: ita à Tullo Hostilio rege quæstores fuisse certum est. & sanè crebrior apud veteres opinio est, Tullum Hostilium primùm in rempub. induxisse quæstores: & à genere quærendi quæstores initio dictos, & Iunius, & Trebatius, & Fenestella scribũt. Ex quæstoribus quidam solebant prouincias sortiri ex senatusconsulto, quod factum est Decimo Druso & Porcina consulibus. Sanè non omnes quæstores prouincias sortiebantur: verùm excepti erant Candidati principis. hi enim solis libris principalibus in senatu legendis vacabant. Hodieque obtinuit, vt indifferẽter quæstores crearentur, * tam patricios quàm plebeios. ingressus est enim & quasi primordium gerendorum honorum, sententiæque in senatu dicendæ. ex his (sicut diximus) quidam sunt, qui Candidati principis dicuntur, qui epistolas eius in senatu legunt. E F

** In hunc locũ vide Ant. Augustinũ. lib. 2. cap. 1.*

DE OFFICIO PRAETORIS. Titu. XIIII.

VLPIANVS *lib. XXVI. ad Sabinum.*

Apud

A Apud filiumfamiliâs prætorem, poteſt pater eius manumittere.

II. PAVLVS *libro.* IIII. *ad Sabinum.*

Sed etiam ipſum apud ſe emancipari, vel in adoptionem dari placet.

Quæcunque prætor latens ſeruus dixit decreuítque, non ſunt reprobanda.

III. VLPIANVS *lib.* XXVIII. *ad Sabinum.*

Barbarius Philippus, cùm ſeruus fugitiuus eſſet, Romæ præturam petiit: & prætor deſignat' eſt. ſed nihil ei ſeruitutem obſtitiſſe, ait Pomponius, quaſi prætor non fuerit: atqui vera etiam prætura eum functum. Et tamen videamus: ſi ſeruus, quàm diu latuit, dignitate B prætoria functus ſit: quid dicemus. an quæ dixit, quæ decreuit, nullius fore momenti? an fore, propter vtilitatem eorum, qui apud eum egerunt vel lege, vel quo alio iure? & verum puto, nihil eorum reprobari. hoc enim humanius eſt: cùm populus Romanus etiam ſeruo potuiſſet decernere hanc poteſtatem. ſed & ſi ſciſſet ſeruum eſſe, liberû effeciſſet. quod ius multo magis in Imperatore obſeruandum eſt.

IIII. IDEM *lib.* I. *de omnibus tribunalibus.*

Prætor nec tutorem, nec ſpecialem iudicem ipſe ſe dare poteſt.

C DE OFFICIO PRAEFECTI VIgilum. TIT. XV.

Præfectus vigilum per totam noctem vigilare debet, & oberrare, curámque adhibere, ne incendii caſus oriatur. Cognoſcit autem de incendiariis, effractoribus, furibus, raptoribus, & receptatoribus.

PAVLVS *lib. ſingulari de off. præfecti vigilum.*

Apud vetuſtiores incédiis arcendis triumuiri præerant: qui ab eo, quòd excubias agebant, A nocturni dicti ſunt. interueniebant nonnunquàm Aediles & Tribuni plebis. erat auté familia publica circa portas & muros diſpoſita: quæ inde, ſi opus eſſet, euocabatur. fuerunt & priuatæ familiæ: quæ incédia vel mercede, vel gratia extinguerent.

guerent. deinde diuus Augustus maluit per se huic rei consuli, D

II. VLPIANVS *lib. singulari de off. præfecti vigilũ.*

PLuribus vno die incendiis exortis.

III. PAVLVS *lib. singulari de off. præfecti vigilum.*

NAm salutem reipublicæ tueri, nulli magis credidit conuenire, nec alium sufficere ei rei, quàm Cæsarem. Itaque septem cohortes opportunis locis constituit, vt binas regiones vrbis vnaquæque cohors tueretur: præpositis eis tribunis, & super omnes spectabili viro, qui præfectus vigilum appellatur. Cognoscit prę-fectus vigilum de incendiariis, effractoribus, furibus, raptoribus, & receptoribus: nisi si qua tam atrox támq; famosa sit persona, vt pręfecto vrbi remittatur. & quia plerunque incendia fiunt culpa inhabitantium: aut fustibus castigat eos, qui negligentiùs ignes habuerunt: aut seuera interlocutione comminatus, fustium castigationé remittit. Effracturæ fiunt plerunque in insulis, in horreis, vbi homines preciosissimam partem fortunarum suarum reponunt: cùm vel cella effringitur, vel armarium, vel arca. & custodes plerunque puniũtur, vt diuus Antoninus Erutio Claro rescripsit. ait enim, posse eum horreis effractis quæstionem habere de seruis custodib⁹: licet in illis ipsius Imperatoris portio esset. Sciendũ est autem, pręfectum vigilum per totam nocté vigilare debere: & coërrare calceatũ, cum hamis & dolabris, vt curam adhibeât: omnęs inquilinos admonere, ne per negligentiam aliquam incendij casus oriatur. præterea vt aquam vnusquisque in cœnaculo habeat, iubetur admonere. Sed aduersus capsarios quoq;, qui mercede seruanda in balineis vestimenta suscipiunt, iudex est constitutus: vt si quid in seruandis vestimentis fraudulenter admiserint, ipse cognoscat. E F

IIII. VLPIANVS *lib. singulari de off. præfecti vigilum.*

IMperatores Seuerus & Antoninus Iunio Rufino prę-fecto vigilum ita rescripserunt. Insularios, & eos, qui negligenter ignes apud se habuerunt, potes fustibus & flagellis cædi iubere: eos autem, qui dolo fecisse incendium conuincentur, ad Fabium Cilonem præfectum vrbi ami-

bi amicum nostrum remittere, & fugitiuos conquirere,
A eósque dominis reddere debes.

DE OFFICIO PROCONSVLIS. & legati. Tit. XVI.

Proconsul antequam ingrediatur prouinciam sibi deputatam, iurisdictionem voluntariam exercere potest, non contentiosam: sed legatus procõsulis nullam. Intellige secundum Guil. quod respectu iudicis est necessaria: licet respectu partium sit voluntaria.

Cic. lib. I. epistol. ad Quint. fratrem. epistol. I. qua lẽ opotet esse procõsulẽ pulchrè docet.

VLPIANVS *lib.* I. *Disputationum.*

PRocõsul vbique quidem proconsularia insignia habet, statim atque vrbẽ egressus est: potestatem autẽ non exercet, nisi in ea prouincia, quæ ei decreta est. B

II. MARTIANVS. *lib.* I. *Institutionum.*

OMnes proconsules statim, quam vrbem egressi fuerint, habent iurisdictionem: non tamen contẽtiosam, sed voluntariã: vt ecce manumitti apud eos possunt tam liberi, quàm serui, & adoptiones fieri. Apud legatum verò proconsulis nemo manumittere potest, quia non habet iurisdictionem talem.

III. VLPIANVS *lib.* XXVI. *ad Sabinum.*

NEc adoptare potest. omnino enim non est apud eum legis actio.

Proconsul post suum ingressum potest facere legatum, & eidem C *iurisdictionem committere. & legatus proconsulis antequam proconsul ingrediatur, iurisdictionem non habet, & ratihabitio proconsulis non confirmat acta per legatum nisi exnunc. & proconsul si sit impeditus ex caussa necessaria, ante ingressum legatum potest mittere in prouinciam.*

IIII. IDEM. *lib.* I. *de off. proconsulis.*

OBseruare autem proconsulem oportet, ne in hospiciis præbendis oneret prouinciam: vt Imperator noster cum patre Aufidio Seueriano rescripsit. Nemo proconsulum statores suos habere potest: sed vice eorum milites ministerio in prouinciis funguntur. Proficisci autem proconsulem melius quidem est sine vxore. sed & cum vxore potest: dummodo sciat senatum Cotta & Messala consulibus censuisse: futurũ, vt si quid

vxores eorum, qui ad officia proficiscũtur, deliquerint: ab ipsis ratio & vindicta exigatur. Antequam verò fines prouinciæ sibi decretę proconsul ingressus sit: edictum debet de aduentu suo mittere, continens commendationem aliquã sui: si qua ei familiaritas sit cum prouincialibus, vel coniunctio. & maximè excusans, ne publicè vel priuatim ei occurrant. esse enim cõueniens, vt vnusquisque in sua eum patria excipiat. Rectè autem & ordine faciet, si edictum decessori suo miserit: significétque qua die fines sit ingressurus. plerunque enim incerta & inopinata turbant prouinciales, & actus impediunt. Ingressus etiam hoc obseruare debet: vt per eam partem prouinciam ingrediatur, per quam ingredi moris est. sed & quas Græci ἐπιδημίας appellãt, siue κατάπλουν obseruare, in quam primùm ciuitatem vel veniat, vel adplicet. magni enim faciũt prouinciales seruari sibi consuetudiné istã, & huiusmodi prærogatiuas. Quædam prouinciæ etiam hoc habẽt, vt per mare in eas proconsul veniat: vt Asia scilicet. vsque adeo, vt imperator Antoninus Agustus ad desideria Asianorũ rescripserit: procõsuli necessitaté impositam per mare Asiã adplicare, καὶ τῶν μητροπόλεων Ἔφεσον primam attingere. Post hæc ingressus prouinciam, mandare iurisdictionem legato suo debet: neque hoc antè facere, quàm fuerit prouinciam ingressus. est enim perquã absurdum, antequam ipse iurisdictioné nanciscatur: (nec enim prius ei competit, quàm in prouinciã venerit) alij eam mãdare, quam non habet. sed si antea fecerit, & ingressus prouinciam in eadem voluntate fuerit: credendum est, videri legatum habere iurisdictionem: non exinde, ex quo mandata est, sed ex quo prouinciam proconsul ingressus est.

V. PAPINIANVS *lib. I. Quæstionum.*

ALiquando mandare iurisdictionem proconsul potest, & si nõdum in prouinciam peruenerit. quid enim, si necessariam moram in itinere patiatur: maturissimè autem legatus in prouinciam peruenturus sit?

Proconsul potest quantum ad cognitionem caussas meri imperii suo legato committere: non quantum ad decisionem. & procõsul non debet passim xenia recipere, licet quandoque possit: non tamen ea

qua

quæ in munus transeunt Bartolus.

A VI. VLPIANVS *lib. I. de officio procons.*

SOlet etiam custodiarum cognitionem mandare legatis: scilicet vt præauditas custodias ad se remittant, vt innocentem ipse liberet. sed hoc genus mandati extraordinarium est. nec enim potest quis gladij potestatem sibi datam, vel cuius alterius coërcitionis ad alium transferre: nec liberandi igitur reos ius, cùm accusari apud eum non possint. Sicut autē mādare iurisdictionem, vel non mandare, est in arbitrio proconsulis: ita adimere mandatam iurisdictionem licet quidem proconsuli: non autem debet inconsulto principe hoc facere.

Legatos non oportet principem cōsulere, sed proconsulem suum: & is ad consultationes legatorum debebit B respōdere. Non verò in totū xeniis abstinere debebit proconsul, sed modum adiicere*: vt neq; morosè in totum abstineat, neque auarè modum xeniorum excedat. quam rem diuus Seuerus & imperator Antoninus elegantissima epistola sunt moderati: cuius epistolæ verba hæc sunt: Quantum ad xenia pertinet, audi quid sentimus. vetus prouerbium est: οὔτε πάντα, οὔτε πάντοτε, οὔτε παρὰ πάντων. Nam valde inhumanum est, à nemine accipere: sed passim, vilissimum est: & per omnia, auarissimum. Et quod mādatis continetur: ne donum vel munus ipse proconsul, vel qui in aliquo officio erit, ac-C cipiat: emátve quid, nisi victus quotidiani caussa: ad xenia iam non pertinet, sed ad ea quæ edulium excedunt vsum. Sed nec xenia producenda sunt ad munerum qualitatem.

**De hoc munerum modo pulchrè Ouid. li. I. Eleg. Elegia 10*

Proconsul debet obseruare ea quæ inferius describūtur, & in prouincia sibi deputata habet pleniorē potestatem omnibus, præter principem: de caussa tamen quæ vertitur inter fiscum & priuatum, non cognoscit, licet cognoscere possit.

VII. IDEM *lib. I I. de officio proconsulis.*

SI in aliquam celebrem ciuitatem vel prouinciæ caput peruenerit: pati debet commendari sibi ciuitatem, laudésque suas non grauatè audire, cùm honori suo prouinciales id vindicent: & ferias secundum mores & consuetudinem, quæ retro obtinuit, dare. Aedes etiam

sacras

sacras & opera publica circumire inspiciendi gratia, an sarta tecta sint,& quæ sint,vel an aliqua refectione indigeant:& si qua cœpta sunt,vt consumentur, prout vires eius reipublicę permittunt,curare debet. Curatoresque operum diligentes & solenniter præponere: ministeria quoque militaria,si opus fuerit, ad curatores adiuuandos dare. Cùm plenissimam autē iurisdictionē proconsul habeat:omnium partes, qui Romæ quasi magistratus,vel extra ordinem ius dicunt,ad ipsum pertinet. D

VIII. IDEM *lib.* XXXIX.*ad Edictum.*

ET ideo maius imperium in ea prouincia habet omnibus,post principem.

IX. IDEM *lib.* II.*de officio Proconsulis.*

NEc quidquam est in prouincia,quod non per ipsum expediat.Sanè si fiscalis pecuniaria caussa sit, quæ ad procuratorem principis respicit:meli⁹ fecerit,si abstineat. Vbi decretum necessarium est, per libellum id proconsul expedire non potest.omnia enim,quęcunque caussæ cognitionem desiderant: per libellum non possunt expediri. Circa aduocatos patiētem esse proconsulem oportet, sed cum ingenio, ne contemptibilis videatur:nec ideo dissimulare,si quos caussarum cōcinnatores vel redemptores deprehendat: eos quoque solos pati postulare, quibus per edictum eius postulare permittitur. E

Qui concinnatores vel redēptores caussarū dicātur, pulchrè Alexander ab Alex. lib. 4. cap. 15.

Proconsul de plano cognoscit inter parentes & liberos, patronos & libertos obsequia non præstantes. Bartolus. F

De plano autem proconsul potest expedire hæc. vt obsequium parentibus,& patronis,liberisq; patronorū exhiberi iubeat:comminari etiam & terrere filium à patre oblatum,qui non(vt oportet)conuersari dicatur. poterit de plano similiter & libertum non obsequentem emendare,aut verbis,aut fustium castigatione.

Proconsul ordinem seruare debet circa aduocatos audiendos:& non habentibus aduocatos,dare debet, & curare debet ne imbeciles à potentibus opprimantur. Bartolus.

**Cic. in orat. pro*

Obseruare itemque eum oportet, vt sit ordo aliquis postulationum,scilicet vt omnium desideria audiantur: ne forte dum honori postulantium locus datur, vel improbitati

probitati

probitati ceditur, mediocres desideria sua non profe-
A rant: qui aut omnino non adhibuerunt, aut minus fre-
quẽtes, neque in aliqua dignitate positos aduoçatos si-
bi prospexerunt. Aduocatos quoque petentibus debe-
bit indulgere: plurimumque fœminis vel pupillis, vel
aliâs debilibus, vel his qui suæ mentis non sunt: si quis
eis petat: vel si nemo sit, qui petat: vltro eis dare debe-
bit. Sed & si quis per potentiam aduersarij non inue-
nire se aduocatum dicat: æquè oportebit ei aduocatum
dare. Cæterum opprimi aliquem per aduersarij sui po-
tentiam non oportet. hoc etiam ad inuidiam eius, qui
prouinciæ præest, spectat: si quis tam impotenter se ge-
rat, vt omnes metuant aduersus eum aduocationem su-
B scipere. Quæ etiam omnium præsidum communia
sunt: debent & ab his obseruari.

Fonteio docet quæ iudicē obseruare debeat.

Proconsul debet de causis cognoscere: & omnia agere vsque in aduentum successoris.

X. IDEM *lib.* X. *de offic. Proconsulis.*

MEminisse oportebit, vsque in aduentum successo-
ris omnia debere proconsulem agere: cum sit vnus
proconsulatus. & vtilitas prouinciæ exigat, esse aliquē,
per quem negocia sua prouinciales explicent. ergo in
aduentum successoris debebit ius dicere. Legatū suū
ne ante se de prouincia dimittat: & lege Iulia repetun-
darum, & rescripto diui Hadriani ad Calpurnium Ru-
C finum proconsulem Achaiæ admonetur.

XI. VENVLEIVS SATVRNINVS *lib.* II. *de offic. Proconsulis.*

SI quid erit, quod maiorem animaduersionem exigat:
remittere legatus ad proconsulem debet. neq; enim
animaduertendi, coërcendi, vel atrociter verberādi ius
habet.

XII. PAVLVS *lib.* II. *ad Edictum.*

LEgatus mandata sibi iurisdictione, iudicis dādi ius
non habet.

XIII. POMPONIVS *lib.* X. *ad Q. Mutium.*

LEgati prōcōsulis nihil proprium habēt: nisi à pro-
consule eis mandata sit iurisdictio.

**Politia ex Pā. Flo.*

**Vide Vopiscum.*

XIIII. VLPIANVS *lib.* XX. *ad L. Iuliam & Papiā.*

Procon-

PRoconsules non amplius, quàm sex fascibus vtuntur.

XV. LYCINIVS RVFINVS *lib.* III. *Regularum.* D.

ET legati proconsulis tutores dare possunt.

XVI. VLPIANVS *lib.* II. *ad edictum.*

PRoconsul portam Romæ ingressus, deponit imperium.

DE OFFICIO PRAEFECTI *Augustalis.* Tit. XVII.

Præfectus Aegypti non prius deponit præfecturam, & imperiũ, quàm Alexandriam ingressus sit successor eius.

VLPIANVS *lib.* II. *ad edictum.*

PRAEFECTVS Aegypti nõ prius deponit præfecturam & imperium, quod ad similitudinem proconsulis lege sub Augusto ei datum est: quàm Alexãdriam ingressus sit successor eius, licet in prouinciam venerit: & ita mandatis eius continetur. E.

DE OFFICIO PRAESIDIS. Tit. XVIII.

Nomen præsidis generale est. Eius autẽ officium est, vt curet prouinciã malis purgare hominibus: nec vnde sint distinguere. Illicitas exactiones prohibere. Ne potentiores viri, humiliores iniuriis afficiant. Ne tenuis vitæ homines à militibus vexentur. Vt multa ex necessitate moderentur. Vt ædificia reficiantur. F.

MACER *lib.* I. *de offic. præsidis.*

PRAESIDIS nomen generale est: eo quod & proconsules, & legati Cæsaris, & omnes prouincias regentes (licet senatores sint) præsides appellentur. procõsulis appellatio specialis est.

II. VLPIANVS *lib.* XXVI. *ad Sabinum.*

PRæses apud se adoptare potest, quẽadmodum & emancipare filium, & manumittere seruum potest.

III. PAVLVS *lib.* XIII. *ad Sabinum.*

PRæses in suæ prouinciæ homines imperiũ habet: & hoc dũ in prouincia est. nã si excesserit, priuatꝰ est. Habet interdum imperiũ & aduersus extraneos homines: si

nes: ſi quid in aliũ manu cõmiſerint. nam & in mandatis
A principũ eſt: vt curet is, qui prouinciæ præeſt, malis hominibus purgare prouinciam: nec diſtinguitur, vnde ſint.

IIII. VLPIANVS *lib*. XXXIX. *ad edictum.*

PRæſes prouinciæ maius imperium in ea prouincia habet omnibus, *poſt principem. * Quanquã deeſſe dicant.

V. IDEM *lib*. I. *de omnibus tribunalibus.*

PRæſes prouinciæ non magis tutorem, quàm ſpecialem iudicem ipſe ſe dare poteſt.

VI. IDEM *lib*. I. *Opinionum.*

ILlicitas exactiones, & violentia factas vel extortas metu venditiones & cautiones vel ſine pretij numeratione:
B prohibeat præſes prouinciæ. Itẽ ne quis iniquum lucrum, aut damnum ſentiat: præſes prouinciæ prouideat. Veritas rerum, erroribus geſtarum nõ viciatur. & ideo præſes prouinciæ id ſequatur, *quod cõuenit eum ex fide eorũ quæ probantur, ſequi. *Gel. lib. 14. cap. 2. Ne potentiores viri, humiliores iniuriis adficiant: néue defenſores eorum calumnioſis criminibus inſectentur innocentes: ad religionem præſidis prouinciæ pertinet.

Illicita miniſteria, ſub prætextu adiuuantium militares viros, ad concutiendos homines procedẽtia: prohibere, & deprehẽſa coërcere, præſes prouinciæ curet. & ſub ſpecie tributorum illicitas exactiones fieri pro-
C hibeat. Nec licita negociatiõe aliquos prohiberi, nec prohibita exerceri, nec innocẽtibus pœnas irrogari: ad ſollicitudinem ſuam præſes prouinciæ reuocet. Et ne tenuis vitæ homines, ſub prætextu aduentus officiorum vel militum, lumine vnico, vel breui ſuppellectili ad aliorũ vſus tranſlatis, iniuriis vexentur; præſes prouinciæ prouidebit. Ne quid ſub nomine militũ, quod ad vtilitates eorum in commune non pertinet: à quibuſdã, propria ſibi cõmoda iniquè vindicantibus, cõmittatur: præſes prouinciæ prouidebit. Sicuti medico imputari euentus mortalitatis non debet: ita quod per imperitiã commiſit, imputari ei debet: prætextu enim humanæ fragilitatis delictum decipientis, in periculo hominis, innoxium eſſe non debet. Qui vniuerſas prouincias regunt,

regunt,ius gladij habent: & in metallum dandi eis poteſtas permiſſa eſt. Præſes prouinciæ ſi multam,quam irrogauit,ex præſentibus facultatibus eorum,quibus eã dixit,redigi non poſſe deprehenderit:neceſſitatem ſolutionis moderetur, repræhenſa exactorum illicita auaricia. Remiſſa propter inopiam multa, à prouincias regentibus exigi non debet. D

VII. IDEM *lib. III. Opinionum.*

PRæſes prouinciæ inſpectis ædificiis,dominos eorũ cauſſa cognita reficere ea cõpellat: & aduerſus detrectantem competenti remedio deformitati auxilium ferat.

VIII. IVLIANVS *lib. I. Digeſtorum.*

SAepe audiui Cæſarem noſtrum dicentem,hac reſcriptiõe, EVM QVI PROVINCIAE PRAEEST, ADIRE POTES: non impoñi neceſſitatem proconſuli,vel legato eius,vel præſidi prouinciæ,ſuſcipiendę cognitionis:ſed eum exiſtimare debere,ipſe cognoſcere,an iudicem dare debeat. E

IX. CALLISTRATVS *lib. I. de Cognitionibus.*

GEneraliter quoties princeps ad præſides prouinciarum remittit negocia per reſcriptiones, veluti EVM QVI PROVINCIAE PRAEEST, ADIRE POTERIS: vel cum hac adiectione, IS EXISTIMABIT, QVID SIT PARTIVM SVARVM: non imponitur neceſſitas proconſuli vel legato ſuſcipiendæ cognitionis,quamuis non ſit adiectum, IS EXISTIMABIT, QVID SIT PARTIVM SVARVM: ſed is exiſtimare debet: vtrum ipſe cognoſcat,an iudicem dare debeat. F

X. HERMOGENIANVS *lib. I. Iuris ἐπιτομῶν.*

DE omnibus cauſſis,de quibus vel præfectus vrbi, vel præfectus prætorio,itemque cõſules, & prætores,cæterique Romę cognoſcunt: Correctorũ & prę ſidum prouinciarum notio eſt.

XI. MARTIANVS *lib. III. Inſtitutionum.*

OMnia enim prouincialia deſideria, quæ Romæ varios iudices habent,ad officiũ præſidũ pertinent.

XII. PROCVLVS *lib. IIII. ἐπιστολῶν.*

Sed li-

SEd licet is, qui prouinciæ præest, omnium Romæ ma A gistratuum vice & officio fungi debeat: non tamen spectandũ est: quid Romę factũ est, q̃ quid fieri debeat.

XIII. VLPIANVS *lib.* VI. *de offic. proconsulis.*

COngruet bono & graui præsidi curare, vt pacata atque quieta prouincia sit, quam regit. quod nõ difficilè obtinebit: si sollicitè agat, vt malis hominib' prouincia careat, eosque cõquirat. nam & sacrilegos, latrones, plagiarios, fures conquirere debet: & prout quisq; deliquerit, in eum animaduertere: receptoresque eorũ coërcere, sine quibus latro diutius latere non potest.

Furiosi si non possint per necessarios contineri: eo remedio per præsidem obuiandum est, scilicet, vt carcere B contineantur: & ita diuus Pius rescripsit. Sanè excutiẽdum diui fratres putauerunt in persona eius, qui parricidium admiserat: vtrum simulato furore facinus admisisset, an verò cum re vera compos mẽtis non esset: vt si simulasset, plecteretur: si fureret, in carcere contineret.

XIIII. MACER *lib.* II. *de iudiciis publicis.*

DIuus Marcus & Commod' Scapulæ Tertylio rescripserunt in hæc verba. Si tibi liquidò compertum est, Aelium Priscum in eo furore esse, vt continua mẽtis alienatione omni intellectu careat: nec subest vlla suspitio, matrem ab eo simulatione dementiæ occisam: potes de modo pœnæ eius dissimulare, cùm satis C furore ipso puniatur. * & tamen diligentius custodiẽdus erit, aut (si putabis) etiam vinculo coërcendus: quoniam tam ad pœnam, quàm ad tutelam eius, & securitatem proximorum pertinebit. Si verò (vt plerunq; adsolet) interuallis quibusdam sensu sanior est: num fortè eo momento scelus admiserit, nec morbo eius danda sit venia, diligenter explorabis. & si quid tale compereris: consules nos, vt æstimemus, an per immanitatem facinoris: si cùm posset videri sentire, commiserit: supplicio adficiendus sit. Cùm autem ex literis tuis cognouerim', tali eũ loco atque ordine esse, vt à suis vel etiã in propria villa custodiatur: recte facturus nobis videris, si eos à quibus illo tempore obseruatus est, vocaueris: & caussam tantę negligentiæ excusseris: & vnumquemque

Cice. in oratiõe de Arusp. Responsis.

c eorum,

eorum, prout tibi leuari vel onerari culpa eius videbitur, constitueris. nam custodes furiosis non ad hoc solũ adhibentur, ne quid perniciosius ipsi in se moliantur, sed ne aliis quoque exitio sint. quod si committatur: nõ immeritò culpæ eorum adscribendum est, qui negligẽtiores in officio suo fuerint. D

XV. MARTIANVS *lib. I. de iudiciis publicis.*

ILlud obseruãdum est: ne qui prouinciam regit, fines eius excedat, nisi voti soluendi caussa: dum tamẽ abnoctare ei non liceat.

XVI. MACER *lib. I. de offic. præsidis.*

SEnatusconsulto cauetur: vt de his, quæ prouincias regentes comitesúe aut liberti eorum, antequàm in prouinciam venirent, contraxerunt: parcissimè ius dicatur: & vt actiones amissæ ob eam caussam, quod institutæ non sint: postea quàm quis eorum ea prouincia excesserit, restituantur. Si quid tamen inuito accidit, veluti si iniuriam, aut furtum passus est: hactenus ius dicendum est, vt lis contestetur, resque ablata exhibeatur & deponatur, aut sisti exhiberíue satisdato promittatur. E

XVII. CELSVS *lib. III. Digestorum.*

SI forte præses prouinciæ manumiserit, vel tutorem dederit, priusquam cognouerit successorem aduenisse: erunt & hæc rata.

XVIII. MODESTINVS *lib. VI. Regularum.*

PLebiscito cõtinetur, vt ne quis præsidũ munus donumúe caperet: nisi esculentum potulentũúe, quod intra dies proximos prodigatur. F

XIX. CALLISTRATVS *lib. I. de cognitionibus.*

Hoc Suetoni⁹ August. Cicero pro Lege Manilia Põpeio tribuit.

OBseruandum est ius reddenti, vt in adeundo quidem facilem se præbeat, sed contemni non patiatur. vnde mandatis adiicitur, ne præsides prouinciarum in vlteriorem familiaritatem prouinciales admittant. nam ex conuersatione æquali contemptio dignitatis nascitur. Sed & in cognoscendo, neque excandescere aduersus eos, quos malos putat: neque precibus calamitosorum inlacrymari oportet. id enim non est constantis & recti iudicis, cui⁹ animi motũ vultus detegit, & summatim ita ius reddere debet, vt authoritatem dignitati ingenio

ingenio suo augeat.

XX. PAPINIANVS *lib.* I. *Responsorum.*

A Legatus Cæsaris, vel pręses, vel corrector prouincię abdicando se non amittit imperium.

XXI. PAVLVS *lib. singulari de officio adsessorum.*

PRæses cum cognoscit de seruo corrupto, vel ancilla deuirginata, vel seruo stuprato: si actor rerum agentis corruptus esse dicetur, vel eiusmodi homo, vt nō solum iactura aduersus substantiam, sed ad totius domꝰ euersionē pertineat: seuerissimè animaduertere debet.

DE OFFICIO PROCVRATORIS *Cæsaris, uel rationalis.* Tit. XVIII.

B *Gesta per procuratorem Cæsaris tenent & valent, dummodo diligenter & non contra commodum Cæsaris sint gesta: & per procuratorem Cæsaris quæritur hæreditas Cæsari. quæ si appareat postea non soluendo, habetur pro non adita.*

VLPIANVS *lib.* XVI. *ad Edictum.*

QVAE acta gesta sunt à procuratore Cæsaris: sic ab eo comprobantur, atque si à Cæsare gesta essent. Si rem Cæsaris procurator eius, quasi rem propriam tradat: non puto eū dominium transferre. tunc enim transfert, cùm negocium gerens Cæsaris, consensu ipsius tradit. denique si venditionis, transactionis, vel donationis caussa C quid agat: nihil agit. non enim alienare ei rem Cæsaris, sed diligenter gerere commissum est. Est hoc præcipuū in procuratore Cæsaris, quod eius iussu seruus Cæsaris adire hæreditatem potest. & si Cæsar hæres instituatur: miscendo se opulentæ hæreditati, procurator hæredem Cæsarem facit.

II. PAVLVS *lib.* V. *Sententiarum.*

QVod si ea bona, ex quibus Imperator hæres institutus est, soluendo non sint: re perspecta, consulitur Imperator. hæredis enim instituti in adeundis vel repudiandis huiusmodi hæreditatibus voluntas exploranda est.

Procurator Cæsaris nō pōt īponere pœnā deportatiōis: sed colonos improbos pōt à colonia remouere: neq; ad eādē iterū reuerti possint.

III. CALLISTRATVS *lib.* VI. *de cognitionibus.*

CVratores Cæſaris ius deportandi non habent: quia pœnæ conſtituendæ ius non habent. Si tamen quaſi tumultuoſum, vel iniurioſum aduerſus colonos Cæſaris, prohibuerunt in prædia Cæſariana accedere: abſtinere debebit. idq́; diuus Pius Iulio reſcripſit. ſed deinde neque redire cuiquam poſſunt permittere: idq́ue Imperatores noſtri Seuerus & Antoninus ad libellum Hermiæ reſcripſerunt. D

DE OFFICIO IVRIDICI Tit. XIX.

VLPIANVS *lib.* XXVI. *ad Sabinum.*

A ADOPTARE quis apud iuridicum poteſt: quia data eſt ei legis actio. E

II. IDEM *lib.* XXXIX. *ad Sabinum.*

IVridico, qui Alexandriæ agit, datio tutoris conſtitutione diui Marci conceſſa eſt.

DE OFFICIO EIVS, CVI *mandata eſt iuriſdictio.* Tit. XX.

Cauſæ meri & miſti imperii conceduntur maioribus iudicibus ſpecialiter & expreſſè in priuilegium: & ideo non poſſunt delegari niſi in caſu abſentiæ. cauſæ verò iuriſdictionis in fine omittuntur, & competunt cuilibet magiſtratui: & delegari poſſunt.

PAPINIANVS *lib.* I. *Quæſtionum.* F

QVAECVMQVE ſpecialiter lege, vel ſenatuſconſulto, vel conſtitutione principum tribuuntur: mandata iuriſdictione non transferuntur. quæ verò iure magiſtratus competunt: mandari poſſunt. & ideo videntur errare magiſtratus, qui cùm publici iudicij habeant exercitioné, lege vel ſenatuſconſulto delatam: veluti lege Iulia de adulteriis, & ſi quæ ſunt aliæ ſimiles: iuriſdictionem ſuam mandant. Huius rei fortiſſimum argumentũ, quod lege Iulia de vi nominatim cauetur: vt is, cui obtigit exercitio, poſſit eam, ſi proficiſcatur, mandare. nõ aliter itaque mãdare poterit, quàm ſi abeſſe cœperit: cũ aliâs iuriſdictio etiã à præſente mãdetur. Et ſi à familia dominus occiſus eſſe dicetur: cognitionẽ prætor, quam

ex Se-

ex Senatusconsulto habet, mandare non poterit.

A *Delegatus non habet iurisdictionem propriam, sed vice fungitur delegantis. habet tamen modicam coercitionem.*

Qui mandatã iurisdictioné suscepit, proprium nihil habet: sed eius, qui mandauit, iurisdictione vtitur. Veri* est enim, more maiorũ iurisdictioné quidé transferri: sed merũ imperium, quod lege datur, nõ posse transire.

Quare nemo dicit, animaduersioné legatũ procõsulis habere, mandata iurisdictione. PAVLVS NOTAT: imò imperium, quod iurisdictioni cohæret, mandata iurisdictione transire, verius est.

II. VLPIANVS *lib.* III. *de omnibus tribunalibus.*

B Mandata iurisdictione à præside, non potest consilium exercere is, cui mandatur. & si tutores vel curatores velint prædia vendere: caussa cognita, id prætor vel præses permittet. quòd si mãdauerit iurisdictioné, nequaquam poterit, mandata iurisdictione, eã quæstionem transferre.

Delegatus licet sit aliàs ordinarius, tamen uice delegantis fungitur in causa delegata. Bartolus.

III. IVLIANVS *lib.* V. *Digestorum.*

Et si prætor sit is, qui alienam iurisdictionem exsequitur: non tamen pro suo imperio agit, sed pro eo, cuius mãdatu ius dicit, quoties partibus eius fungitur.

Cognitio de suspecto tutore potest delegari.

C IIII. MACER *lib.* I. *de officio præsidis.*

Cognitio de suspectis tutoribus mãdari potest: imò etiam mandata generali iurisdictione propter vtilitatem pupillorũ eã contingere, constitutum est in hæc verba. IMPERATORES SEVERVS ET ANTONINVS BRADVAE PROCONSVLI AFRICAE. Cũ ꝓpriã iurisdictioné legatis tuis dederis: cõsequens est, vt etiã de suspectis tutoribus possint cognoscere. Vt possessio bonorũ detur: vel si cui damni infecti non caueatur, vt is possidere iubeatur: aut vẽtris nomine in possessioné mulier, vel is, cui legatum est, legatorum seruandorum caussa in possessionem mittatur, mandari potest.

V. PAVLVS *lib.* XVIII. *ad Plautium.*

Mandatã sibi iurisdictionẽ mãdare alteri neminem posse, manifestũ est. Mandata iurisdictione priuato: etiã imperium, quod non est merum, videtur mandari. quia iurisdictio sine modica coërcitione nulla est. D

** adsessoribus salaria instituit Imperator Al. Seue. quãuis sæpe dixerit eos esse promouẽdos qui per se Rẽp. gerere possẽt, nõ per adsessores, & vnumquẽq; hoc agere debere quod notat Aeli. Lãpri. ĩ eodẽ. Idẽ Pla dia. 2 de legib⁹. Ca. 19. ad fi. locati.*

DE OFFICIO ADSESSORVM Tit. XXI.

PAVLVS *lib. singulari de officio adsessorum.*

OMNE officium adsessorum, quo iuris studiosi partibus suis funguntur, in his ferè caussis constat: in cognitionibus, postulationibus, libellis, edictis, decretis, epistolis.

II. MARTIANVS *lib. I. de iudiciis publicis.*

Liberti adsidere possunt: infames autẽ, licet non prohibeantur lege adsidere: attamẽ arbitror (vt aliquo decreto principali refertur constitutum) non posse officio adsessoris fungi. E

III. MACER. *lib. I. de officio præsidis.*

SI eadem prouincia postea diuisa, sub duobus præsidibus constituta est: (velut Germania, Misia) ex altera ortus, in altera adsidebit, nec videbitur in sua prouincia adsedisse.

Mortuo præside ante finem officii sui, adsessori salarium pro toto tempore officii debetur, si operas suas alteri non locauit: secus si adsessor fuerit sua culpa remotus, vel præses propter culpam adsessoris ante finem officii l. d. secundum varias lecturas Ale. de Imo. F

IIII. PAPINIANVS *lib. IIII. Responsorum.*

Diem functo legato Cæsaris: salariũ comitibus residui temporis, quod à legatis præstitutũ est, debetur: modo si non postea comites cum aliis eodem tẽpore fuerunt. Diuersum in eo seruatur, qui successorẽ ante tempus accepit.

V. PAVLVS *lib. I. Sententiarum.*

COnsiliariis eo tempore, quo adsident, negocia tractare in suum quidẽ auditorium, nullo modo concessum est: in alienum autem non prohibentur.

VI. PAPINIANVS *lib. I. Responsorum.*

IN cõsiliũ curatoris reipublicæ, vir eiusdem ciuitatis adsidere nõ prohibeť: quia publico salario non fruiť.

A

DIGESTORVM SEV PANdectarum liber ſecundus.

DE IVRISDICTIONE. Tit. I.

Officium iudicis eſt genus generaliſſimum continens omnia quæ poſſunt expediri per iudicem.

VLPIANVS *lib.* I. *Regularum.*

IVS DICENTIS officium latiſſimum eſt. nam & bonorum poſſeſſionẽ dare poteſt, & in poſſeſſionẽ mittere, pupillis non habentibus tutores conſtituere, iudices litigãtibus dare.

B

Ad conceſſionem vnius expreſſè videtur tacitè conceſſa illa, ſine quibus conceſſio expreſſa eſſet inutilis. Alex. de Imo.

II. IABOLENVS *lib.* VI. *ex Caſſio.*

CVi iuriſdictio data eſt: ei quoque conceſſa eſſe videntur, ſine quib⁹ iuriſdictio explicari nõ potuit.

III. VLPIANVS *lib. ſingulari de officio Quæſtoris.*

IMperium aut merum aut miſtum eſt. merum imperiũ eſt, habere gladij poteſtatem, ad animaduertẽdum in facinoroſos homines, quod etiam poteſtas appellatur. Miſtum eſt imperium, cui etiam iuriſdictio ineſt. quod in danda bonorum poſſeſſione conſiſtit, vt iuriſdictio iudicis dandi licentia.

C

IIII. IDEM *lib.* I. *ad edictum.*

IVbere cauere prætoria ſtipulatione, & in poſſeſſionẽ mittere: imperij magis eſt, quàm iuriſdictionis.

Qui habet iuriſdictionem in ſua perſona reſidentem, poteſt delegare, aliàs ſecus: & morte delegantis re integra extinguitur delegatio.

V. IVLIANVS *lib.* I. *Digeſtorum.*

MOre maiorum ita comparatum eſt: vt is demum iuriſdictionem mandare poſſit, qui eam ſuo iure, non alieno beneficio habet.

VI. PAVLVS *lib. II. ad edictum.*

ET quia nec principaliter ei iurisdictio data est, nec ipsa lex defert, sed cõfirmat mandatam iurisdictionem: ideoque si is, qui mandauit iurisdictionem, decesserit antequàm res ab eo, cui mãdata est iurisdictio, geri cœperit: solui mandatum Labeo ait, sicut in reliquis caussis. D

Contra corrumpentem vel corrumpi facientem album propositum, vel quod in albo proponitur, datur actio popularis in quingentos aureos: quæ in defectum est corporalis. Bartolus.

VII. VLPIANVS *lib. III. ad edictum.*

SI quis id, quod iurisdictionis perpetuæ caussa, non quod (prout res incidit) in albo, vel in charta, vel in alia materia propositum erit, dolo malo corruperit: datur in eum quinquaginta aureorum iudicium, quod populare est. Serui quoque, & filiifamiliarum verbis edicti continẽtur. sed & vtrumque sexum prætor complexus est. Quod si dum proponitur, vel ante propositionem quis corruperit: edicti quidem verba cessabunt. Pomponius autem ait, sententiam edicti & ad hæc porrigendam esse. In seruos autem, si non defendantur à dominis: & eos qui inopia laborant, † corpus torquendũ est. Doli mali autem ideo in verbis edicti fit mentio: quod si per imperitiam, vel rusticitatem, vel ab ipso prætore iussus, vel casu aliquis fecerit, non tenetur. Hoc verò edicto tenetur, & qui tollit, quãuis nõ corruperit: item & qui suis manibus facit, & qui aliis mãdat. sed si alius sine dolo malo fecerit, alius dolo malo mandauerit: qui mandauit, tenebitur. si vterque dolo malo fecerit: ambò tenebuntur. nam & si plures fecerint, vel corruperint, vel mandauerint, omnes tenebuntur. E F

**Arist. li. 5. Hecatonom. idẽ Socratem censuisse refert.*

VIII. CAIVS *lib. I. ad edictum prouinciale.*

ADeo quidem, vt non sufficiat vnum eorum pœnam luere.

Plura facta vnius familiæ puniuntur vt plura, vbi de publica vindicta tractatur, aliàs vt vnum. Bar.

IX. PAVLVS *lib. III. ad edictum.*

SI familia alicuius album corruperit: non similiter hic edici-

A hîc edicitur, vt in furto, ne in reliquos actio detur, ſi tãtum dominus (cùm defenderet) vnius nomine præſtitit, quantum liber præſtaret. fortaſſe, quia hîc & contempta maieſtas prætoris vindicatur, & plura facta intelliguntur: quemadmodum & cùm plures ſerui iniuriam fecerunt, vel damnum dederunt, plura facta ſunt, non(vt in furto)vnum. Octauenus hic quoque domino ſuccurrendum ait. ſed hoc poteſt dici, ſi dolo malo curauerit, vt ab alio album corrumperetur: quando tũc vnum conſilium ſit, nec plura facta. idem Pomponius libro decimo notat.

X. VLPIANVS *lib.* III. *ad edictum.*

B QVi iuriſdictioni præeſt: neque ſibi ius dicere debet, neque vxori, vel liberis ſuis, neque libertis, vel cæteris, quos ſecum habet. *Idẽ Ariſt. li.3. Polit. c.6.& 12.*

Non debet fieri coaceruatio plurium ſummarum ex diuerſis actionibus debitarum ad iuriſdictionem impediendam. Bar.

XI. CAIVS *lib.* I. *ad edictum prouinciale.*

SI idem cum eodem pluribus actionibus agat: quarum ſingularum quantitas intra iuriſdictionem iudicantis ſit, coaceruatio verò omnium excedat modum iuriſdictionis eius: apud eum agi poſſe Sabino, Caſſio, Proculo placuit. quæ ſententia reſcripto Imperatoris Antonini confirmata eſt. Sed & ſi mutuæ ſint actiones, & alter minorem quantitatem, alter maiorem petat: C apud eundem iudicem agendum eſt ei, qui quantitatem minorem petit. ne in poteſtate calumnioſa aduerſarij mei ſit, an apud eundem litigare poſſit.

Ex pluralitate perſonarum nõ fit diuiſio rerum in actione conuentarum. Bartolus.

Si vna actio communis ſit plurium perſonarum: veluti familiæ Erciſcundæ, communi diuidundo, finium regundorum: vtrum ſingulæ partes ſpectandæ ſint circa iuriſdictionem eius, qui cognoſcit? quod Ofilio & Proculo placet, quia quiſque de parte ſua litigat. an potius tota res: quia tota res in iudicium venit, & vel vni adiudicari poteſt? quod Caſſio & Pegaſo placet. & ſanè eorum ſententia probabilior eſt.

XII. VLPIANVS *lib.* XVIII. *ad edictum.*

Magiſtra-

Magistratibus municipalibus supplicium à seruo sumere non licet: modica autem castigatio in eis non est deneganda. D

XIII. IDEM *lib. LI. ad Sabinum.*

Eum, qui iudicare iubet, magistratum esse oportet. Magistratus aũt ij sunt, qui in potestate aliqua sũt: vtputa procõsul, vel prętor, vel alij, qui ꝓuincias regũt: iudicare iubere eo die, quo priuati futuri sunt, nõ possunt.

Quid magistratus Arist. li. 3. Pol. ca. 15.

XIIII. IDEM *lib. XXXIX. ad edictum.*

Est receptum, eoque iure vtimur: vt si quis maior, vel æqualis subiiciat se iurisdictioni alterius: possit ei, & aduersus eum ius dici.

Iurisdictio sine consensu non prorogatur: & ille errat qui non consentit. ergo quia errat, iurisdictionem non prorogat. Bartolus. E

XV. IDEM *lib. II. de omnibus tribunalibus.*

Si per errorem alius pro alio prætor fuerit aditus: nihil valebit, quod actum est. Nec enim ferẽdus est, qui dicat cõsensisse eos in præsidẽ: cũ (vt Iulianus scribit) nõ consentiant, qui errant. quid enim tam contrariũ consensui, quàm error, qui imperitiam detegit?

XVI. IDEM *lib. de omnibus tribunalibus.*

Solet prætor iurisdictionem mandare: & aut omnem mandat, aut speciem vnam. & is cui mandata iurisdictio est: fungitur vice eius, qui mandauit, non sua.

XVII. IDEM *lib. I. Opinionum.*

Prætor, sicut vniuersam iurisdictionem mandare alij potest, ita & in personas certas, vel de vna specie potest: maximè cùm iustam caussam susceptæ ante magistratum aduocationis alterius partis habuerit. F

Pacto de litigando coram indice non suo quis stare non cogitur. h. d. Bartolus.

XVIII. AFRICANVS *lib. VI. Quæstionum.*

Si cõuenerit, vt alius prætor, quàm cuius iurisdictio esset, ius diceret: & priusquàm adiretur, mutata voluntas fuerit: proculdubio nemo cõpellitur huiusmodi conuentioni stare.

Mutatio fori post sententiam vel litis contestationem, prioris iudicis iurisdictionem non impedit.

XIX. VLPIANVS *lib. VI. Fidei commissorum.*

Cum

A CVm quædam puella apud cõpetẽtem iudicem litem ſuſceperat: deindeq; cõdẽnata, ad viri matrimoniũ, alij iuriſdictioni ſubiecti, peruenerat: quærebatur, an prioris iudicis ſentẽtia exſequi poſſet? dixi poſſe, quia antè fuerat dicta ſententia. ſed & ſi poſt ſuſceptam cognitionẽ, ante ſententiã hoc eueniret: idem putarem de ſententia, quæ à priore iudice rectè ferretur. Quod generaliter & in omnibus huiuſmodi caſib⁹ obſeruandum eſt. Quoties de quantitate ad iuriſdictionem pertinente quæritur: ſemper quantũ petatur, quęrendum eſt, non quantum debeatur.

XX. PAVLVS *lib. I. ad edictum.*

B Extra territorium ius dicenti impunè non paretur. Idem & ſi ſupra iuriſdictionẽ ſuã velit ius dicere.

QVOD QVISQVE IVRIS IN ALterum ſtatuit, uti ipſe eodem iure utatur. Tit. II.

Ad hũc titulũ pertinent inſignia exẽpla quæ refert Vale. lib. 8. cap. 6.

Magiſtratus qui ius iniquum contra aliquem ſtatuit, & etiam priuatus qui illud ad ſui utilitatem ſtatui fecit, cogũtur aduerſario poſtulante uti eodem iure. Bartolus.

I. VLPIANVS *lib. III. ad edictum.*

H Oc edictum ſummã habet æquitatem, & ſine cuiuſquam indignatione iuſta. quis enim adſpernabitur idẽ ius ſibi dici, quod ipſe aliis dixit, vel dici effecit? C QVI MAGISTRATVM POTESTATEMVE HABEBIT, SI QVID IN ALIQVEM NOVI IVRIS STATVERIT: IPSE QVANDOQVE ADVERSARIO† POSTVLANTE, EODEM IVRE VTI DEBET. SI QVIS APVD EVM QVI MAGISTRATVM POTESTATEMVE HABEBIT, ALIQVID NOVI IVRIS OBTINVERIT: QVANDOQVE POSTEA, ADVERSARIO EIVS POSTVLANTE, EODEM IVRE ADVERSVS EVM DECERNETVR: SCILICET VT QVOD IPSE IN ALTERIVS PERSONA AEQVVM ESSE CREDIDIT, ID IN IPSIVS QVOQVE PERSONA VALERE PATIATVR.

†Idẽ Cic. lib. I. epiſt. ad Q. Fratrẽ epiſt. I.

PATIATVR. Hæc aũt verba, QVOD STATVERIT: cum effectu accipimus, non verbotenus. & ideo ſi cùm vellet ſtatuere, prohibitus ſit, nec effectum decretum habuerit: ceſſat edictũ. nam verbũ STATVIT, ré perfectã ſignificat, & cõſummatam iniuriã, non cœptã. & ideo ſi inter eos quis dixerit ius, inter quos iuriſdictionem non habuit: quoniam pro nullo hęc habetur, nec eſt vlla ſententia: ceſſare edictũ putamus. quid enim obfuit conatus, cùm iniuria nullum habuerit effectum? D

II. PAVLVS *lib. III. ad edictum.*

HOc edicto dolus debet ius dicentis puniri. nam ſi adſeſſoris imprudentia ius aliter dictum ſit, quàm oportuit: nõ debet hoc magiſtratui officere, ſed ipſi adſeſſori. E

Contra impetrantem ius iniquum fit retorcutio, etiam ſi illo non ſit uſus: ſed contra eum qui non impetrauit, ſed proprio metu ſuperioris obtinuit, non fit retorcutio, etiam ſi illo ſit vſus. Bartolus.

III. VLPIANVS *lib. III. ad edictum.*

SI quis iniquũ ius aduerſus aliquem impetrauit: ipſe eo iure ita demum vtetur, ſi per poſtulationem eius hoc euenerit. cæterùm ſi ipſo non poſtulante: non coërcetur. Sed & ſiue impetrauit, & vſus eſt iure aliquo: ſiue impetrauit, vt vteretur, (licet vſus nõ ſit) hoc edicto punietur. Si procurator meus poſtulauit: quæritur quis eodem iure vtatur? & putat Pomponius, me ſolum vti, ſi hoc ei ſpecialiter mandaui, vel ratum habui. Si vero tutor vel curator furioſi vel adoleſcentis poſtulauit: ipſe hoc edicto coërcetur. Idem aduerſus procuratorem obſeruandum eſt, ſi in rem ſuam fuerit datus. Hæc pœna aduerſus omnẽ qui in edictum incidit, ſtatuitur: non ſolũ eo poſtulante, qui ab eo læſus eſt: ſed omni, qui quandoque experitur. Si is pro quo ſpopondiſti, impetrauit, ne aliquis debitor ipſius aduerſus eum exceptione vtatur: deĩde tu in negocio, in quo ſpopõdiſti, velis exceptione vti: nec te, nec ipſum oportet hoc impetrare: & ſi interdum patiatur iniuriã, ſi ſoluendo debitor non ſit. Sed ſi tu incidiſti in edictum: reus quidem vtetur exceptione, tu verò non vteris, nec pœna tua ad reum promittendi pertinebit. & ideo mandati actionem non F

habebis. Si filius meus in magistratu in hoc edictum
A incidit: an in iis actionibus, quas ex persona eius intento, huic edicto locus sit? & non puto, ne mea cōditio deterior fiat. Quod autem ait Prætor, VT IS EODEM IVRE VTATVR: an etiam ad hæredem hæc pœna transmittatur? & scribit Iulianus, non solum ipsi denegari actionem, sed etiam hæredi eius. Illud quoque non sine ratione scribit: non solum in his actionibus pati eum pœnam edicti, quas tunc habuit, cùm incidit in edictū: verùm & si quæ postea ei adquirentur. Ex hac caussa solutum repeti non posse, Iulianus putat: superesse enim naturalem caussam, quæ repetitionem inhiberet.

B IIII. CAIVS *lib. I. ad edictum prouinc.*

Illud eleganter prætor excipit: PRAETER QVA'M SI QVIS EORVM CONTRA EVM FECERIT, QVI IPSE EORVM QVID FECISSET. & rectè. ne scilicet vel magistratus, dum studet hoc edictum defendere: vel litigator, dum vult beneficio huius edicti vti, ipse in pœnam ipsius edicti committat.

SI QVIS IVS DICENTI NON obtemperauerit. Tit. III.

Omnes magistratus possunt inobedientes punire. Is qui rem mobilem vindicari, duci vel auferri à se passus non est, ius dicenti non
C *obtēperasse videtur, & pœnali iudicio, meráque pœna puniēdus est.*

VLPIANVS *lib. I. ad edictum.*

Omnibus magistratibus (nón tamen duūmuiris) secundum ius potestatis suæ, concessum est iurisdictionē suam defendere pœnali iudicio. Is videtur ius dicenti nòn obtemperasse, qui quod extremum est in iurisdictione: non fecit. veluti si quis rem mobilem vindicari à se passus non est, sed duci eam vel ferri passus est. cæterùm si & sequētia recusauit, tunc non obtemperasse videtur. Si procurator tuus, vel tutor, vel curator ius dicenti non obtemperauerit: ipse punitur, nō dominus vel pupillus. Non solum autem reum, qui non obtemperauerit, hoc edicto teneri Labeo ait: verumetiam petitorem.

De duūuiris Cice. in orat. 2. cōtra Rullū.

toré. Hoc iudicium non ad id quod intereſt,ſed quanti ea res eſt, concluditur: & cùm meram pœnam contineat,neque poſt annum,neque in hæredem datur. D

DE IN IVS VOCANDO. Tit. IIII.

In ius vocare quid. In ius vocare non oportet, magiſtratũ, parentes, ſacra facientes, patronos, impuberes. In eum qui aduerſus ea fecerit, quinquaginta aureorum iudicium datur.

I. PAVLVS *lib.* IIII. *ad edictum.*

IN ius vocare eſt, iuris experiundi cauſſa vocare.

II. VLPIANVS *lib.* V. *ad edictum.*

IN ius vocare non oportet,neque conſulẽ, neque* præfectum,neque prætorem,neq; proconſulem,neque cæteros magiſtratus,qui imperium habent,& qui coërcere aliquẽ poſſunt,& iubere in carcerem duci:neque pontificem,dum ſacra facit: nec eos, qui propter loci religionẽ inde ſe mouere non poſſunt: nec eum,qui equo publico in cauſſa publica tranſuehitur. Præterea in ius vocari non debet,qui vxorem ducit: aut quæ nubit. nec iudicem oportet, dum de re cognoſcit:nec dum quis apud prætorem cauſſam agit: neque funus familiare ducentẽ, iuſtáve mortuo faciẽtem. E

*In hunc locũ Gelli⁹ li.13.c.12. 13.&.14.

III. CALLISTRATVS *lib.* I. *Cognitionum.*

VEl qui cadauer proſequuntur,quod etiam videtur reſcripto diuorum fratrum comprobatum eſſe. F

IIII. VLPIANVS *lib.* V. *ad edictum.*

QVíque litigãdi cauſſa neceſſe habet in iure,vel certo loco ſiſti:nec furioſos,vel infãtes. Prætor ait: PARENTEM,†PATRONVM, PATRONAM, LIBEROS, PARENTES PATRONI PATRONAE'VE IN IVS SINE PERMISSV MEO, NE QVIS VOCET. Parentem hic vtriuſque ſexus accipe.ſed an in infinitum, quæritur? & quidam vſq; ad tritauum parentem appellari aiunt, ſuperiores maiores dici:hoc veteres exiſtimaſſe Põponius refert.ſed Caius Caſſius vſque in infinitum omnes parentes dicit: quod & honeſtius eſt, & meritò obtinuit. Parentes etiam eos accipi

†In hunc locũ vide Platonẽ in Eutyphrõe

accipi Labeo existimat, qui in seruitute susceperũt. nec A tantum (vt Seruius dicebat) ad solos liberos iustos pertinet: sed & si vulgo quæsitus sit filius, matrem in ius nõ vocabit.

V. PAVLVS *lib.* IIII. *ad edictum.*

QVia certa est, & si vulgo conceperit: pater verò is tantum, quem nuptiæ demonstrant.

VI. IDEM *lib.* I. *Sententiarum.*

PArẽtes naturales in ius vocare nemo potest. vna est enim omnibus parentibus seruanda reuerentia.

VII. IDEM *lib.* IIII. *ad edictum.*

PAtris adoptiui parentes impunè vocabit. quoniam B hi parentes eius non sunt: cum iis tantum cognatus fiat, quibus & adgnatus.

VIII. VLPIANVS *lib.* V. *ad edictum.*

ADoptiuum patrem, quamdiu in potestate est, in ius vocare nõ potest: iure magis potestatis, quàm præcepto prætoris: nisi sit filius, qui castrense habeat peculium. tunc enim caussa cognita permittitur. Sed naturalem parentem, nec quidem dum est in adoptiua familia, in ius vocari licet. PATRONVM, inquit, PATRONAM. Patroni accipiendi sunt, qui ex seruitute manumiserũt: vel qui collusiones detexerũt: vel si præiudicio pronuncietur esse libertus, cùm alioqui non fuerit: aut si iuraui eũ libertum meũ esse. quemadmodũ per C contrarium pro patrono non habebor, si contra me iudicatum est: aut si me deferente, iurauerit se libertum non esse. Sed si ad iusiurandum adegi, ne vxorem ducat, ne nubat: impunè in ius vocabor. & Celsus quidem ait, in tali liberto ius patronatus ad filium meum me viuo non transire: sed Iulianus contrà scribit, & plerique Iuliani sententiã probant. secundum quod eueniet, vt patronus quidé in ius vocetur, filius quasi innocens non vocetur.

IX. PAVLVS *lib.* IIII. *ad edictum.*

IS quoque, qui ex caussa fideicommissi manumittit, nõ debet in ius vocari: quàmuis, vt manumittat, in ius võcetur.

X. VLPIANVS *lib.* V. *ad edictum.*

SEd si hac lege emi, vt manumittam, & ex cõstitutione di-

ne diui Marci venit ad libertatem: cùm sim patronus, in ius vocari non potero. Sed si suis numis emi, & fidem fregi: pro patrono non habebor. Prostituta contra legem venditionis, venditorem habebit patronum: si hac lege venierat, vt si prostituta esset, fieret libera. At si venditor, qui manus iniectionem excepit, ipse prostituit: quoniam & hæc peruenit ad libertatẽ: sub illo quidem, qui vendidit, libertatem consequitur: sed honorem haberi ei æquum non esse, Marcellus libro sexto Digestorum existimat. Patronum autem accipimus, etiam si capite minutus sit: vel si libertus capite minutus sit, dum adrogaretur per obreptionem. cùm enim hoc ipso, quod adrogatur, cælat conditionem: non id actum videtur, vt fieret ingenuus. sed & si ius anulorum accepit: puto eum reuerentiam patrono exhibere debere, quamuis omnia ingenuitatis munia habeat. aliud est, si natalibus sit restitutus. nam princeps ingenuum facit. Qui manumittitur à corpore aliquo, vel collegio, vel ciuitate: singulos in ius vocabit. nam nõ est illorum libertus. sed reipublicæ honorem habere debet: & si aduersus rempublicam, vel vniuersitatem velit experiri, veniam edicti petere debet, quamuis actorem eorum constitutum in ius sit vocaturus. LIBEROS, PARENTES, PATRONI, PATRONAE'VE, vtriusque sexus accipere debemus. Si per pœnam deportationis ad peregrinitatem redactus sit patronus, putat Pomponius eum amisisse honorẽ: sed si restitutus fuerit, fore ei etiam huius edicti commodum saluum. Parentes etiam patroni adoptiui excipiuntur: sed tam diu, quàm diu adoptio durat. Si filius meus in adoptionem datus sit, vocari à liberto meo in ius non poterit: sed nec nepos in adoptiua familia susceptus. Sed si filius meus emancipatus adoptauerit filium: hic nepos in ius vocari poterit. nam mihi alienus est. Liberos autem secundum Cassium (vt in parẽtibus) & vltra trinepotem accipimus. Si liberta ex patrono fuerit enixa: mutuò se ipsa & filius eius in ius non vocabunt. Sin autem liberi patroni capitis accusauerunt libertum paternum, vel in seruitutem petierunt: nullus honor eis debetur. Prætor ait. IN IUS

SINE

SINE PERMISSV NEQ'VE QVIS VOCET. permissurus enim est, si famosa actio non sit, vel pudoré non
A suggillat, qua patronus côuenitur, vel parétes. & totum hoc caussa cognita debet facere. nam interdum etiam ex caussa famosa (vt Pedius putat) permittere debet, patronum in ius vocari à liberto: si eum grauissima iniuria affecit, flagellis fortè cecîdit. Semper autem hunc honorem patrono habendum: & si quasi tutor, vel curator, vel defensor, vel actor interueniat patronus. sed si patroni tutor, vel curator interueniat: impune posse eos in ius vocari, Pomponius scribit, & verius est.

Pœnitenti & actionem remittenti venia conceditur.

XI. PAVLVS *lib.* IIII. *ad edictum.*

B QVàuis non adiiciat prætor, caussa cognita, se pœnale iudicium daturū: tamen Labeo ait, moderandam iurisdictionem, si pœniteat libertum, & actioné remittat: vel si patronus vocatus non veniat, aut non inuitus vocatus sit: licet edicti verba nō patiantur.

Absente patre præsens filius potest agere pro sua iniuria. Bartolus.

XII. VLPIANVS *lib.* LVII. *ad edictum.*

SI libertus in ius vocauerit contra prætoris edictum filium patroni sui, qué ipse patronus in potestate habet: probandum est, absente patre, subueniendum esse filio, qui in potestate est: & ei pœnalem in factum actionem, id est, quinquaginta aureorum aduersus libertum
C competere.

XIII. MODESTINVS *lib.* X. πανδεκτῶν.

GEneraliter eas personas, quib' reuerétia præstãda est, sine iussu prætoris in ius vocare non possumus.

Qui se defendit in crimine, accusare non videtur, licet iudicem interpellet vt fine debito terminetur. Idem si accusatus recuset.

XIIII. PAPINIANVS *lib.* I. *Responsorum.*

LIbertus à patrono reus constitutus, qui se defendere paratus, pro tribunali præsidé prouinciæ frequéter interpellat: patronū accusatoré in ius vocare non videt.

Libellus vim citationis non habet. Bartolus.

XV. PAVLVS *lib.* I. *Quæstionum.*

LIbertus aduersus patronum dedit libellum, non dissimulato, se libertū eius esse. an si ad desideriū eius

f rescriba-

reſcribatur, etiã remiſſa edicti pœna eſſe videatur? Reſpondi, non puto ad hunc caſum edictum prætoris pertinere. neq; enim qui libellum principi vel præſidi dat, in ius vocare patronum videtur. D

Libertus alieno nomine poteſt in ius vocare patronum ſine venia. Bartolus.

XVI. IDEM *lib. II. Reſponſorum.*

QVæſitũ eſt, an tutor pupilli nomine patronã ſuam ſine permiſſu prętoris in ius vocare poſſit? Reſpondi eum de quo quęritur, pupilli nomine etiam patronã ſuam in ius vocare potuiſſe, ſine permiſſu prætoris.

Cogitur quis ad implendum quod apud acta promiſit. Bartolus.

XVII. IDEM *lib. I. Sententiarum.* E

EVm, pro quo quis apud officium cauit, exhibere cogitur. Item qui apud acta exhibiturum ſe eſſe quem promiſit: & ſi officio non caueat, ad exhibendum tamen cogitur.

Inuitus quis de domo non debet extrahi, ſed ibi exiſtẽs poteſt verbaliter citari, & contra cõtumacem fit miſſio in poſſeſſionem. Bart.

XVIII. CAIVS *lib. I. ad L. duodecim tabularum.*

PLerique putauerunt, nullum de domo ſua in ius vocari licere, quia domus tutiſſimum cuique refugium atque receptaculum ſit: eúmque qui inde in ius vocaret, vim inferre videri.

XIX. PAVLVS *lib. I. ad edictum.* F

SAtiſque pœnæ ſubire eum, ſi non defendatur & latitet. Certum enim eſt, quod mittitur aduerſarius in poſſeſſionem bonorum eius. Sed ſi aditum ad ſe præſtet, aut ex publico conſpiciatur: rectè in ius vocari eum Iulianus ait.

XX. CAIVS *lib. I. ad L. duodecim tabularum.*

SEd etiam à vinea, & balneo, & theatro nemo dubitat in ius vocare licere.

XXI. PAVLVS *lib. I. ad edictum.*

SEd & ſi is, qui domi eſt, interdũ vocari in ius poteſt: tamen de domo ſua nemo extrahi debet.

Impubes conſtitutus in patris poteſtate citari non poteſt verbaliter, nec etiam realiter, id eſt capiendo perſonam. Bartolus.

XXII. CAIVS *lib.* I. *ad L. duodecim tabularum.*

A NEque impuberes puellas, quæ alieno iuri subiectæ sunt, in ius vocare pmissum est. Qui in ius vocat' est, duobus casibus dimittendus est: si quis eius personā defendat: & si, dum in ius venitur, de ea re transactum fuerit.

XXIII. MARTIANVS. *lib.* III. *Institutionum.*

COmmunis libertus (licet plurium sit) debet à prætore petere: vt ei liceat vel quédā ex patronis suis vocare, ne in pœnam incidat ex edicto prætoris.

XXIIII. VLPIANVS *lib.* I. *ad edictum.*

IN eum, qui aduersus ea fecit, quinquaginta aureorum iudicium datur: quod neque hæredi, neque in hęredem, nec vltra annum datur.

B *Qui pœnam hic insertam non potest soluere, luat in corpore.* Bar.

XXV. MODESTINVS. *lib.* I. *de pœnis.*

SI sine venia edicti impetrata, libertus patronū in ius vocauerit: ex querela patroni vel quinquaginta aureorum pœnam dat: vel à præfecto vrbi quasi inofficiosus castigatur, si inopia† dignoscitur laborare.

†Idem aduersus furē constitutum est, Exod. 22.

SI QVIS IN IVS VOCATVS NON ierit: siue quis eum uocauerit, quem ex edicto non debuit. Tit. V.

C *Non videtur fideiussorem dedisse, qui dedit eum qui fori priuilegio tutus est: nisi ei renunciauerit.*

VLPIANVS *lib.* I. *ad edictum.*

SI quis in ius vocatus, fideiussorem dederit, iudicio sistendi caussa, non suppositum iurisdictioni illius, ad quem vocatus est: pro non dato fideiussor habetur, nisi suo priuilegio specialiter renunciauerit.

Citatus in termino debet cōparere: aliàs multabitur, nisi ex caussa excusetur, vel non interfuerit actoris ipsum in termino comparere. Bartolus.

II. PAVLVS *lib.* I. *ad edictum.*

EX quacūq; caussa ad prætorem vel alios, qui iurisdictiōi præsunt, in ius vocatus, venire debet: vt hoc ipsum sciat, an iurisdictio eius sit. Si quis in ius voca-

tus non ierit: ex cauſſa à competéte iudice multa pro iuriſdictione iudicis damnabitur. ruſticitati enim hominis parcendum erit. Itẽ ſi nihil interſit actoris, eo tempore in ius aduerſarium veniſſe, remittit prætor pœnã. puta quia dies feriatus fuit. D

In obligatione facti poſt moram ſuccedit obligatio & actio ad intereſſe. Bartolus.

III. VLPIANVS *lib.* XLVII. *ad Sabinum.*

CVm quis in iudicium ſiſti promiſit, neque adiecit pœnã, ſi ſtatum non eſſet: incerti cum eo agendum eſſe, in id quod intereſt, veriſſimum eſt. & ita quoque Celſus ſcribit.

IN IVS VOCATI VT EANT, AVT *ſatis uel cautum dent.* Tit. VI. E

Fideiuſſor de veniendo ad iudicem, debet dari idoneus: & cõiunctæ perſonæ habentur vt idoneæ, & recuſans eos recipere punitur.

PAVLVS *lib.* I. *ad edictum.*

EDicto cauetur, vt fideiuſſor iudicio ſiſtendi cauſſa dat⁹, pro rei qualitate locuples detur: exceptis neceſſariis perſonis. ibi enim qualemcunque accipi iubet. veluti pro parente, vel pro patrono.

II. CALLISTRATVS *lib.* I. *ad edictum monitorium.*

ITẽ pro patrona, liberíſve ſuis, vel vxore nurúve. tunc enim qualiſcunque fideiuſſor accipi iubetur: & in eũ, qui non accepit, cùm ſciret eam neceſſitudinem perſonarum, quinquaginta aureorũ iudicium competit. F

III. PAVLVS *lib.* IIII. *ad edictum.*

QVoniam pro locuplete accipitur fideiuſſor in neceſſariis perſonis.

IIII. VLPIANVS *lib.* V. *ad edictum.*

QVi duos hoĩes in iudiciũ ſiſti promiſit: ſi alterum exhibeat, alterũ nõ: ex promiſſione nõ videtur eos ſtitiſſe, cum alter eorum non ſit exhibitus.

NE QVIS EVM, QVI IN IVS VOcabitur, ui eximat. Titulus VII.

Qui eximit eũ qui non debebat trahi ad ius ratione perſonæ vel fori, hoc edicto non tenetur.

VLPIANVS *lib.* V. *ad edictum.*

A HOc edictũ prætor proposuit, vt metu pœnæ cōpesceret eos, qui in ius vocatos vi eripiũt. Denique Pomponius scribit, serui quoq; nomine noxale iudicium reddendũ: nisi sciẽte domino id fecerit. tunc enim sine noxæ deditione iudicium suscipiet. Ofilius putat, locum huic edicto non esse: si persona quæ in ius vocari non potuit, exempta est: veluti parens, patronus, cæteræque personæ. quę sententia mihi videtur verior. & sanè si deliquit, qui vocat: nõ deliquit, qui patronum vi exemit.

II. PAVLVS. *lib.* IIII. *ad edictum.*

NAm cùm vterq; contra edictum faciat: & libertus,
B qui patronũ vocat, & is qui patronũ vi eximit: deteriore tamẽ loco libertus est, qui in simili delicto petitoris partes sustinet. Eadẽ æquitas est in eo, qui alio, quàm quò debuerat, in ius vocabatur. Sed & fortius dicẽdum est, non videri eũ vi eximi, cui sit ius ibi non cõueniri.

III. VLPIANVS *lib.* V. *ad edictum.*

QVòd si quis seruum exemit in ius vocatum, Pedius putat cessare edictum: quoniam non fuerit persona, quę in ius vocari potuit. quid ergo? ad exhibẽdum erit agendum. Si quis ad pedaneum iudicẽ vocatũ eximat, pœna huius edicti cessabit. Quod prætor præcepit, VI EXIMAT: an & dolo malo? sufficit
C vi, quamuis dolus malus cesset.

IIII. PAVLVS *lib.* IIII. *ad edictum.*

SEd eximẽdi verbum generale est, vt Pomponius ait. Eripere enim est, de manibus auferre per raptũ: eximere quoquo modo auferre. vtputa si quis non rapuerit quem, sed morã fecerit, quo minus in ius veniret, vt actionis dies exiret, vel res tempore amitteretur: videbitur exemisse, quãuis corpus nõ exemerit. Sed & si eò loci detinuerit nec abduxerit, iis verbis tenetur. Item si quis eum, qui per calumniã vocabatur, exemerit: constat eũ hoc edicto teneri. Prætor ait: NE'VE DOLO MALO FACIAT, QVO MAGIS EXIMATVR. nam & sine dolo malo potest id fieri: veluti cùm iusta caussa est exemptionis.

V. VLPIANVS *lib. V. ad edictum.*

SI per alium quis exemerit, hac clausula tenetur, siue præsens fuit, siue absens. In eum autem, qui vi exemit, in factum iudicium datur: quo non id continetur, quod in veritate est: sed quanti ea res est ab actore æstimata, de qua controuersia est. hoc enim additum est, vt appareat: etiam si calumniator quis sit: tamē hanc pœnam eum persequi. Docere autem debet quis, per hanc exemptionem factum, quo minus in ius produceretur. Cæterùm si nihilominus productus est, cessat pœna: quoniam verba cum effectu sunt accipienda. Hoc iudicium in factum est: & si plures deliquerint, in singulos dabitur: & nihilominus manet, qui exēptus est, obligatus. Hæredibus autem ita dabitur, si eorum intersit: nec autem in hæredem, nec post annum dabitur. D E

VI. IDEM. *lib. XXV. ad edictum.*

IS qui debitorem vi exemit, si soluerit, reum non liberat. quia pœnam suam soluit.

QVI SATIS DARE COGANTVR, *uel iuratò promittant, uel suæ promißioni committantur.* Titu. VIII.

CAIVS *lib. V. ad edictum prouinciale.*

SAtisdatio eodem modo appellata est, quo satisfactio. nam vt satisfacere dicimur ei, cuius desiderium implemus: ita satisdare dicimur aduersario nostro, cū pro eo, quod à nobis petit, ita cauem⁹, vt eum hoc nomine securum faciamus, datis fideiussoribus. F

Fideiussor de iudicio sisti debet esse idoneus facultatibus & facilitate conueniendi. Bar. II. VLPIANVS *lib. V. ad edictū.*

FIdeiussor iudicio sistēdi caussa, locuples iubetur dari, non tantū in facultatibus, sed etiā ex conueniendi facilitate.

Satisdatio de iudicio sisti, præstita ei qui nō potest esse in iudicio, vel ab eo qui non potest esse in iudicio, vel ab eo qui nō potest se obligare, non valet. Bartolus.

Si quis iis personis, quæ agere non potuerunt, fideiussorē iudicio sistendi caussa dederit: frustra erit datio.

Si

Si conueniantur personæ hic enumeratæ, possunt dare fideiussores
A *etiam non idoneos facultatibus.*

Prętor ait: SI QVIS PARENTEM, PATRONVM, PATRONAM, LIBEROS, AVT PARENTES PATRONI, PATRONAE, LIBERO'SVE SVOS, EVM'VE QVEM IN POTESTATE HABEBIT, VEL VXOREM, VEL NVRVM IN IVDICIVM VOCABIT: QVALISCVMQVE FIDEIVSSOR IVDICIO SISTENDI CAVSSA ACCIPIATVR. Quod ait prætor, LIBERO'SVE SVOS: accipim' & ex fœmineo sexu descendentes liberos. Parenti quidem dabim' hoc beneficium, non solum si sui iuris, sed etiam si in po-
B testate sit alteri'. hoc enim Pomponius scribit. Et filius fideiussor pro patre fieri potest, etiam si in alterius potestate sit. NVRVM: & pronurum, & deinceps accipere debemus. Quod ait prætor: QVALISCVMQVE FIDEIVSSOR ACCIPIATVR: hoc quantum ad facultates, id est etiam non locuples.

Fideiussor de iudicio sisti tenetur ad verum interesse, nisi in certam quantitatem interesset: hoc etiam si actio sit pœnalis.

In fideiussorem, qui aliquem iudicio sisti promiserit: tanti, quanti ea res erit, actionem dat prætor. quod vtrũ veritatem contineat, an vero quantitatem videamus. & melius est, vt in veram quantitatem fideiussor teneatur:
C nisi pro certa quantitate accessit.

III. CAIVS *lib.* V. *ad edictum prouinciale.*

SIue in duplum est actio, siue tripli, siue quadrupli: tanti eundem fideiussorem omni modo teneri dicemus, quanti res esse intelligemus.

Si reus decesserit ciuiliter vel naturaliter, ante moram fideiussor de iudicio sisti liberatur: secus si post moram. Bartolus.

IIII. PAVLVS *lib.* IIII. *ad edictum.*

SI decesserit, qui fideiussorem dedit iudicio sistendi caussa: nõ debebit prætor iubere exhiberi eũ. Quòd si ignorans iusserit exhiberi, vel post decretum eius ante diem exhibitionis decesserit: deneganda erit actio. Si autem post diem exhibitionis decesserit, aut amiserit ciuitatem: vtiliter agi potest.

Fideiussor quantitatis non liberatur reo ciuiliter vel naturaliter mortuo. D

V. CAIVS *lib.* V. *ad edictum prouinciale.*

SI vero pro condemnato fideiusserit, & condemnatus decesserit, aut ciuitatem Romanã amiserit: rectè nihilo minus cum fideiussore eius agetur.

Qui recusat recipere fideiussorem idoneum, iniuriarum actione tenetur.

Qui pro rei qualitate euidentissime locupletem, vel (si dubitetur) adprobatum fideiussorem iudicio sistendi caussa non accepit: aduersus eum iniuriarum actio esse potest. quia sanè non quælibet *iniuria est, duci in ius eum, qui satis idoneum fideiussorem det. Sed & ipse fideiussor, qui non sit acceptus, tanquam de iniuria sibi facta queri poterit. E

·i· ἀτυχῦσα

VI. PAVLVS *lib.* L V. *ad edictum.*

QVoties viciosè cautum vel satisdatum est, non videtur cautum.

Qui habet præscriptionem fori, non est idoneus fideiussor de iudicio sisti, nisi in subsidium. Bar.

VII. VLPIANVS *lib.* XIII. *ad edictum.*

SI fideiussor non negetur idoneus, sed dicatur habere fori præscriptionem: & metuat petitor, ne iure fori vtatur: videndum, quid iuris sit. & diuus Pius (vt Pomponius libris epistolarũ refert, & Marcell⁹ libro tertio Digestorũ, & Papinianus libro tertio quęstionum) Cornelio Proculo rescripsit, merito petitorem recusare talé fideiussorem. sed si aliâs caueri non possit: prædicendũ ei, non vsurum eum priuilegio, si conueniatur. F

Fauetur ei qui est in necessitate, si ipse se in eam non posuit. Bar.

Si necessaria satisdatio fuerit, & non facilè possit reus eam ibi præstare, vbi conuenitur: potest audiri, si in alia eius prouinciæ ciuitate satisdationem præstare paratus sit. Si autem satisdatio voluntaria est, non in alium locũ remittitur. nec enim meretur, qui ipse sibi necessitatem satisdationis imposuit. Si satisdatum pro re mobili non sit, & persona suspecta sit, ex qua datio desideratur: apud officium deponi debebit (si hoc iudici sederit) donec vel satis detur, vel lis finem accipiat.

in iis

In iis quæ pertinent ad litis ordinationem, fauemus actori potius
A *quàm reo.Bart.*

VIII. PAVLVS *lib.* XLIII. *ad edictum.*

De die ponenda in stipulationem, solet inter litigatores conuenire. si non conueniat: Pedius putat, in potestate stipulatoris esse, moderato spacio de hoc à iudice statuendo.

Mulier & miles non sunt idonei fideiussores, nisi in rem suam.

Qui mulierem adhibet ad satisdandum, non videtur cauere. Sed nec miles, nec minor vigintiquinque annis probandi sunt: nisi hæ personæ in rem suam fideiubeãt, vt pro suo procuratore. Quidam etiam aiunt, si à marito fundus dotalis petatur, in rem suam fideiussuram mu-
B lierem.

Seruus non est idoneus fideiussor: ideo debet de nouo caueri. Idem in minore & muliere. Bart.

Si seruus inueniatur, qui antequàm iudicium acciperetur, fideiussit iudicatum solui: succurrẽdum est actori, vt ex integro caueatur. Minori quoque vigintiquinque annis succurrendum est: fortasse & mulieri, propter imperitiam. Si fideiussor iudicatum solui, stipulatori hæres exstitit, aut stipulator fideiussori: ex integro cauendum erit. Tutor & curator, vt rem saluam fore pupillo caueant, mittendi sunt in municipium: quia necessaria est satisdatio. Item de restituenda domino pro-
C prietate, is cui vsusfructus datus est. Item legatarius, vt caueat euicta hæreditate legata reddi, & quod amplius quàm per legem Falcidiam cepit. Hæres quoque, vt legatorum satisdet, audiendus est, vt in municipium remittatur. Planè si misso iam legatario in possessioné, cum per hæredem stetisset, quo minus caueret; hæres postulet, vt possessione decedat, paratumq́ue se dicat in municipio cauere: impetrare non debebit. Diuersum, si sine culpa aut dolo hæredis missus sit in possessionem.

Qui petit remißionem in municipium, debet iurare de calũnia, ea forma quæ hic ponitur. quod iuramentum parentibus & patronis remittitur. Bart.

Iubetur iurari de calumnia, ne quis vexandi magis aduersarij

aduersarij caussa forsitan, cùm possit Romæ satisdare, in municipium euocet. Sed quibusdam hoc iusiurandum de calumnia remittitur: veluti parentibus, & patronis. Sic autem iurare debet, qui in municipium remittitur: Romæ se satisdare non posse, & ibi posse, quò postulat remitti: idque se non calumniæ caussa facere. Nam sic non est compellendus iurare: alibi se, quàm eo loco, satisdare non posse. quia si Romæ non posset, pluribus autem locis posset: cogeretur peierare. Hoc autem impetrabitur, cùm iusta caussa esse videbitur. quid enim, si, cùm erat in municipio, noluit cauere? hoc casu non debet impetrare: cùm per eum steterit, quo minus ibi, vbi desiderat, satisdaret. D

IX. CAIVS *lib.* V. *ad edictum prouinciale.* E

ARbitro ad fideiussores probandos constituto, si in alterutram partem iniquum arbitrium videatur, perinde ab eo, atque à iudicibus, appellare licet.

Fideiussor videtur idoneus, si ab arbitro sit approbatus, neque est reclamatum. Idem *si sponte à parte fuerit acceptus, nisi inopia superuenerit.*

X. PAVLVS *lib.* LXXV. *ad edictum.*

SI arbitro probati sunt fideiussores, pro locupletibus habendi sunt: cùm potuerit querela apud competentem iudicem deferri. Qui ex caussa improbat ab arbitro probatos, aliâs improbatos probat. Multoque magis, si sua voluntate accipit fideiussores, contentus iis esse debet. Quòd si medio tempore calamitas fideiussoribus insignis, vel magna inopia acciderit, caussa cognita, ex integro satisdandum erit. F

Mutatio contingens ex parte actoris satisdationē non perimit.

XI. VLPIANVS *lib.* LXXVIII. *ad edictum.*

IVlianus ait: si antequàm mandarem tibi, vt fundum peteres, satis acceperis, petiturus fundum: & postea mandatu meo agere institueris: fideiussores teneri.

Pro debito sub conditione ex vltima voluntate indistinctè cauetur: aliàs non nisi caussa cognita.

XII. IDEM *lib.* LXXXVII. *ad edictum.*

INter omnes conuenit, hæredem sub conditione possidentem hæreditatem, substituto cauere debere de hæredi-

hæreditate: & si defecerit conditio, hæreditatem adeuntem substitutum & petere hæreditatem posse, & si
A obtinuerit, committi stipulationem. Et plerunque ipse prætor, & ante conditionem existentem, & ante diem petitionis venientem, ex caussa iubere solet stipulationem interponi.

XIII. PAVLVS *lib.* LXXV. *ad edictum.*

Sed & si plures substituti sint, singulis cauendum est.

Pater pro filio, vel contra, non est idoneus defensor sine satisdatione. Bartolus.

XIIII. IDEM *lib.* II. *Responsorum.*

Filiusfamiliâs defendit absentem patrem. quæro, an
B iudicatum solui satisdare debeat? PAVLVS respondit, eum qui absentem personam defendit: etiam si filius, vel pater sit; satisdare petitori ex forma edicti debere.

Possidens immobilia, non tenetur satisdare de iudicio sisti. secus si non possideat. Bart.

XV. MACER *lib.* I. *de appellationibus.*

Sciédum est possessores immobilium rerum satisdare non compelli. Possessor autem is accipiendus est, qui in agro vel ciuitate rem soli possidet, aut ex asse, aut pro parte. Sed & qui vectigalem, vel emphyteuticũ agrum possidet, possessor intelligitur. Item qui solam
C proprietatem habet, possessor intelligendus est. Eũ verò, qui tantum vsum fructum habet, possessorem nõ esse Vlpianus scripsit. Creditor, qui pignus accepit, possessor non est: tam & si possessionem habeat, aut sibi traditam, aut precariò debitori concessam. Si fundus in dotem datus sit: tam vxor, quàm marit⁹ propter possessionem eius fundi, possessores intelliguntur. Diuersa est caussa eius, qui fundi petitioné personalem habet. Tutores: siue pupilli eorum, siue ipsi possideant: possessorum loco habentur. Sed & si vnus ex tutoribus possessor fuerit, idem dicendum erit.

Etiã possessio rei quæ est in cõtrouersia, releuat possessorem ab onere satisdãdi quantũ ad aliũ qui de illa re cõtrouersiã nõ facit. B.

Si fundum, quem possidebam, à me pecieris: deinde cùm

cùm ſecundum te eſſet iudicatum, appellauerim: an poſſeſſor eiuſdem fundi ſim? & rectè dicetur, me poſſeſſorem eſſe, quia nihilominus poſſideo. nec enim ad rem pertinet, quòd euinci ea poſſeſſio poſſit. D

Tempus cautionis præſtandæ inſpicitur, vt quis poſſideat immobilia: non autem tempus præcedens vel ſequens.

Poſſeſſor autem quis, nec ne ſit: tẽpus cautionis ſpectandum eſt. nam ſicut ei, qui poſt cautionem vendidit, nihil obeſt: ita nec prodeſt ei, qui poſt cautionem poſſidere cœpit.

In iuramento videtur excepta authoritas legis vel ſuperioris.

XVI. PAVLVS *lib.* VI. *ad edictum.*

QVi iuratò promiſit iudicio ſiſti: non videtur peieraſſe, ſi ex conceſſa cauſſa hoc deſeruerit. E

SI EX NOXALI CAVSSA AGAtur, quemadmodum caueatur. Tit. IX.

VLPIANVS *lib.* VII. *ad edictum.*

SI quis eum, de quo noxalis actio eſt, iudicio ſiſti promiſerit: prætor ait, IN EADEM CAVSSA EVM EXHIBETO, IN QVA TVNC EST, DONEC IVDICIVM ACCIPIATVR. IN EADEM CAVSSA quid ſit, videamus. & puto eum verius in eadem cauſſa ſiſtere, qui ad experiundum non facit ius actoris deterius. Si deſinat ſeruus eſſe promiſſoris, vel actio amiſſa ſit: non videri in eadem cauſſa ſtatũ, Labeo ait. veluti nec ſi quì pari loco erat in litigando, cœperit eſſe duriore: vel loco, vel perſona mutata. Itaque ſi ei, qui in foro promiſſoris conueniri nõn poteſt, venditus, aut potentiori datus ſit: magis eſſe putat, vt non videatur in eadem cauſſa ſiſti. Sed & ſi noxæ deditus ſit, Ofilius non putat in eadem cauſſa ſiſti: cum noxæ deditione, cæteris noxalem actionem perimi putet. F

II. PAVLVS *lib.* VI. *ad edictum.*

SEd alio iure vtimur. nam ex præcedentibus cauſſis non liberatur noxæ deditus. perinde enim noxa caput ſequitur, ac ſi veniſſet.

Si dominus ſit præſens, & noxaliter conuenitur ex delicto ſerui abſen-

ni absentis: si dominus illum seruum esse in sua potestate fatetur, A *alterum de tribus eligere debet, vel promittere iudicio sisti seruum: vel iudicium noxale suscipere: vel cauere de dando cùm pro noxa cùm ad manum eius peruenerit. Si verò domino absente præsens seruus non defenditur: iussu iudicis ex primo decreto: deinde ex secundo capitur pro noxa. domino autem reuertente ex caussa succurritur, & datio seu noxæ deditio rescinditur, & noxalis actio restituitur agenti.*

Si absens sit seruus, pro quo noxalis actio alicui cōpetit: si quidem dominus non negat, in sua potestate esse: compellendum putat Vindius, vel iudicio eum sisti promittere, vel iudicium accipere: aut si nolit defendere, cauturum, cùm primum poterit, se exhibiturum. Si B verò falso neget in sua potestate esse: suscepturum iudiciũ sine noxæ deditione. Idq; Iulianus scribit, & si dolo fecerit, quo minus in eius esset potestate. Sed si seruus præsens est, & dominus abest, nec quisquàm seruum defendit: ducendus erit iussu prætoris. sed caussa cognita, domino postea dabitur defensio (vt Pomponius & Vindius scribunt) ne ei absentia sua noceat. Ergo actori actio restituenda est, perempta eo, quod ductus seruus in bonis eius esse cœperit.

Forma decreti quod interponitur contra fructuarium, est vt ei vsusfructus persecutio denegetur. Bar.

III. VLPIANVS *lib.* VII. *ad edictum.*

C SI cum vsufructuario noxali iudicio agetur, isque seruum non defenderit: denegatur ei per prætorem vsusfructus persecutio.

Qui alium ex necessitate defendit, videtur suo nomine esse in iudicio.

IIII. CAIVS *lib.* VI. *ad edictum prouinciale.*

SI cum vno ex dominis noxali agetur: an pro parte socij satisdare debent? Sabinus ait, non debere. quia quodammodo totum suum hominẽ defendere debeat, cui insolidum defendendi necessitas est: nec audiatur, si pro parte paratus sit defendere.

Si seruus sistatur liber factus in caussis criminalibus, non videtur in eadem caussa sisti: nisi ei libertas fuit annexa: secus in ciuilibus noxaliter intentatis.

V. VL-

V. VLPIANVS *lib. XLVII. ad Sabinum.*

SI ſeruum in eadem cauſſa ſiſtere quis promiſerit, & liber factus ſiſtatur: ſi de ipſo controuerſia eſt, capitalium actionum iniuriarumque nomine, non rectè ſiſtitur. quia aliter de ſeruo ſupplicio & verberibus ſatiſfit: aliter de libero vindicta ſumitur, vel condemnatio pecuniaria. Quod autē ad cæteras noxales cauſſas pertinet: etiam in meliorem cauſſam videtur perueniſſe. D

VI. PAVLVS. *lib. XI. ad Sabinum.*

SEd ſi ſtatu liberum ſiſti promiſſum ſit: in eadē cauſſa ſiſti videtur, quāmuis liber ſiſtatur: quod implicitus ei caſus libertatis fuerit.

DE EO, PER QVEM FACTVM erit, quo minus quis in iudicio ſiſtat. Tit. X. E

In enim cuius dolo factum eſt, quò minus quis in iudicio ſiſtat, datur actio ad intereſſe. Bartolus.

I. VLPIANVS *lib. VII. ad edictum.*

AEquiſſimum putauit prætor, dolū eius coërcere, qui impedit aliquem iudicio ſiſti. Feciſſe autem dolo malo nō tantùm is putatur, qui ſuis manibus vel per ſuos retinuit: verū qui alios quoq; rogauit, vt eū detinerēt, vel abducerēt, ne iudicio ſiſteret: ſiue ſciētes, ſiue ignorātes, quid eſſet, quod comminiſceretur. Dolum autem malum ſic accipimus: vt ſi quis venienti ad iudiciū aliquid pronunciauerit triſte, propter quod is neceſſe habuerit ad iudicium non venire: teneatur ex hoc edicto. quāuis quidam putent, ſibi eum imputare, qui credulus fuerit. F

Non videtur intereſſe eius qui aduerſus obligationem tutus eſt exceptione. Bartolus.

Si reus dolo actoris non ſtiterit, non habebit aduerſus eum ex hoc edicto actionem: cùm cōtentus eſſe poſſit exceptione, ſi ex ſtipulatu cōueniatur de pœna, quod ad iudicium non venerit, aliter atque ſi ab alio ſit impeditus. nam actioné propoſitam aduerſus eum exercebit.

Quando plures tenentur ad intereſſe, vnius ſolutio liberat aliū. Bartolus.

Si plures

Si plures dolo fecerint, omnes tenentur: sed si vnus
A præstiterit pœnam, cæteri liberabuntur, cùm nihil interſit. Serui nomine ex hac cauſſa noxali iudicio agẽdum, omnes conſentiunt. Et hæredi datur, ſed non vltra annum: aduerſus autem hæredem, hactenus puto dandam, vt ex dolo defuncti hæres non lucretur.

Ex facto ſerui dominus tenetur ſciens inſolidum, aliàs noxaliter. Bartolus.

II. PAVLVS *lib. VI. ad edictum.*

SI actoris ſeruus domino ſciente, & (cùm poſſit) non prohibẽte, dolo fecerit, quò minus in iudicio ſiſtã: Ofilius dandam mihi exceptionem aduerſus dominum ait, ne ex dolo ſerui dominus lucretur. Si verò ſine vo-
B luntate domini ſeruus hoc fecerit: Sabinus ait noxale iudicium dandum, nec factum ſerui domino obeſſe debere: niſi hactenus, vt ipſo careat, quando ipſe nihil deliquit.

Si impeditus venire ad iudicium cum tempore liberetur, contra impedientem actio datur: & ſi non fuerit ſoluendo, in priſtinum debitorem actio reſtituitur.

III. IVLIANVS *lib. II. Digeſtorum.*

EX hoc edicto aduerſus eum, qui dolo fecit, quo minus quis in iudicium vocatus ſiſtat: in factum actio competit, quanti actoris interfuit eum ſiſti. In quo iudicio deducitur, ſi quid amiſerit actor ob eam rem: veluti
C ſi reus tempore dominium rei interim ſibi adquirat, aut actione liberatus ſit. Planè ſi is, qui dolo fecit, quò minus in iudicio ſiſtatur, ſoluendo non fuerit: æquum erit, aduerſus ipſum reum reſtitutoriam actionem competere: ne propter dolum alienum reus lucrum faciat, & actor damno adficiatur. & ſi ſtipulator dolo Titij, & promiſſor dolo Mæuij impeditus fuerit, quò minus iudicio ſiſtatur: vterque aduerſus eum, cuius dolo impeditus fuit, actione in factum experietur. Sed ſi ſtipulator dolo promiſſoris, & promiſſor dolo ſtipulatoris impeditus fuit, quò minus ad iudicium venirent: neutri eorum prætor ſuccurrere debebit, ab vtraq; parte dolum dolo compenſando.

Hæc actio contra impedientem datur ad intereſſe: licet promiſſio fide-

*ſio fideiuſſoris minorem quantitatem contineat.*Bartolus.

Si à fideiuſſore quinquaginta ſtipulatus fuero, ſi in iudicium reus non venerit, petiturus à reo centum: & dolo Sempronij factum fuerit, ne in iudicium reus veniat: centum à Sempronio conſequar. tanti enim mea interfuiſſe videtur. quia ſi veniſſet in iudicium, actio mihi centum aduerſus eum, vel hæredem eius competebat: licet fideiuſſor minorem mihi ſummã promiſerit. D

SI QVIS CAVTIONIBVS IN *iudicio ſiſtendi cauſſa factis, non obtemperauerit.* Tit. XI.

*Abſenti ad ueniendũ pro ſingulis viginti miliaribus vnus dies eſt ſtatuendus.*Bartolus. E

CAIVS *lib.* I. *ad edictum prouinciale.*

VIcena milia paſſuum in ſingulos dies dinumerari prętor iubet: præter eum diem, quo cautum promittitur, & in quem ſiſtere in iudicium oportet. nam ſanè talis itineris dinumeratio neutri litigatorum oneroſa eſt.

Per tranſactionem à cautione de iudicio ſiſti contingit liberatio: & ſi erat commiſſa, paratur exceptio.

II. VLPIANVS *lib.* LXXIIII. *ad edictum.*

NOn exigimus reum iudicio ſiſti: Si negocium, propter quod iudicio ſiſti promiſerit, fuerit tranſactum. Sed hoc ita, ſi non prius id negocium tranſactum fuit, quàm ſiſti oporteret. cæterùm ſi poſtea tranſactum eſt: exceptio doli opponi debet. Quis enĩ de pœna promiſſa laboret poſt negociũ tranſactum? cũ trãſacti negocij exceptionem putauerit quis nocere, quaſi etiam de pœna tranſactum ſit: niſi contrarium ſpecialiter partibus placuerit. F

*Impeditus impedimento publico & neceſſario, in pœnam nõ incidit cum effectu.*Bartolus.

Si quis municipalis muneris cauſſa, ſine dolo malo ſuo impeditus, in iudicio ſecũdum ſuã promiſſioné non ſtitit: æquiſſimum eſt, ei exceptioné tribui. Simili modo, & ſi

do,& si ad testimonium desideratus,ad iudicium occurrere non potuit: erit ei subueniendum.

A *Si iustum impedimentum superueniat in persona eius qui sistere debet,vel in itinere, vel in loco vbi debet sistere, absque culpa promissoris: ei exceptio conceditur.Bartolus.*

Si quis in iudicio se sisti promisit: & valetudine,vel tempestate,vel vi fluminis prohibitus, se sistere nõ potuit: exceptione adiuuatur, nec immeritò. cùm enim in tali promissione præsentia opus sit: quemadmodum potuit se sistere, qui aduersa valetudine impeditus erat? Et ideo etiam lex duodecim tabularum: si iudex, vel alteruter ex litigatoribus morbo† sontico impediatur: iubet diem iudicij esse diffissum. Si non propter B valetudinem mulier non steterit iudiciò, sed quod grauida erat, exceptionem ei dandam Labeo ait. Si tamen post partum decubuerit: probandum erit, quasi valetudine impeditam. Idem est & si quis furere cœperit. nam qui furore impeditus est, valetudine impeditur. Quod diximus, succurri etiam ei, qui tempestate aut vi fluminis prohibitus, non venit: tempestatem intelligere debemus, siue marina, siue terrestris sit. tẽpestatemq́ue intelligere debemus talem, quæ impedimento sit itineri, vel nauigationi. Vis fluminis etiam sine tempestate accipienda est. Vim fluminis intelligimus: & si magnitudo eius impedimento sit, siue pons C solutus sit, vel nauigium non stet. Si quis tamen cùm posset non incidere in tempestatem, vel in vim fluminis,si antè profectus esset,vel tempore opportuno nauigasset: ipse se artauerit: nunquid exceptio ei minimè prosit? quod quidem caussa cognita erit statuendum. Nam neque sic artandus est, vt possit ei dici: cur non multo antè profectus es, quàm dies promissionis veniret? Neque iterum ei permittẽdum: si quid sit,quod ei imputetur: caussari tempestaté, vel vim fluminis.Quid enim si cùm Romæ esset, ipso tempore promissionis sistendi, nulla necessitate vrgente, voluptatis caussa in municipium profectus sit? nónne indignus est, cui exceptio patrocinetur? Aut quid si tempestas quidem in mari fuit,terra autem iste potuit venire,vel flumen circumire?

† *Hnc cõferüt quæ Gell. li. 20 ca. 1. noct. Atti.*

cumire? æquè dicendum eſt, nõ ſemper ei exceptionem prodeſſe: niſi anguſtiæ non patiebantur, terra iter metiri, vel flumen circumire. Si tamen vel flumen ſic abũdaſſet, vt impleſſet omnem locum, in quo ſiſti oportuit: vel aliqua fortuita calamitas eundem locum euertiſſet: vel præſentiam venienti periculoſam feciſſet: ex bono & æquo etiam hic exceptio ei accommodanda eſt. D

Impedimentum ſuperueniens facto magiſtratus, dat exceptionem reo. ſecus ſi eſt impedimentum facto priuati contingens. Bar.

Simili modo exceptio datur ei, qui cùm ad iudicium venire volebat, à magiſtratu retentus eſt, & retentus ſine dolo malo ipſius. nam ſi ipſe hoc adfectauit, vel cauſ ſam præſtitit: non proderit ei exceptio: ac ipſius quidem dolus ei oberit: cæterorum non oberit, qui dolo malo fecerunt, vt retineretur. Sed ſi priuatus eum detinuerit: nullo modo proderit hæc exceptio. E

III. PAVLVS *lib.* LXXIIII. *ad edictum.*

SEd actio ei datur aduerſus eum, qui eum detinuit, in id quod eius intereſt.

Capitalis condẽnatio vel relegatio eſt iuſta cauſſa in iudicio non ſiſtendi. Bartolus.

IIII. VLPIANVS *lib.* LXXIIII. *ad edictum.*

SEd & ſi quis rei capitalis antè condemnatus, iudicio ſiſtere ſe non potuit: meritò & huic ignoſcitur. Rei capitalis condemnatum accipere debemus, qui morte, exilióve coërcitus eſt. Dixerit aliquis: quò ergo hæc exceptio damnato? Sed reſpõdebitur, fideiuſſoribus eius eſſe neceſſariam: aut ſi fortè in exilium ſalua ciuitate abiit, vbi defenſori eius exceptio iſta proderit. Illud ſciendum eſt: eum, qui idcirco non ſtitit, quia capitis reus factus eſt: in ea cauſſa eſſe, vt exceptione vti non poſſit. damnato enim datur. Planè ſi vinculis, vel cuſtodia militari impeditus, ideo non ſtitit: in ea erit cauſſa, vt exceptione vtatur. Præterea ſi quis funere domeſtico impeditus, non venit, debet ei exceptio dari. Item ſi quis in ſeruitute hoſtium fuit, ac per hoc in iudicium non ſtitit: debet exceptione adiuuari. F

Generalis renunciatio caſuum fortuitorum non valet in iudiciis: ſecus ſi ſpecialiter exprimantur. Bartolus.

Quæſitum

Quæſitum eſt,an poſſit conueniri: ne vlla exceptio in
A promiſſione deſerta,iudicio ſiſtendi cauſſa facta, obii-
ciatur? & ait Atilicinus. Sed & ego puto conuentionem
iſtam ita valere: ſi ſpecialiter cauſſæ exceptionum ex-
preſſæ ſint, quibus à promiſſore ſpõte renũciatum eſt.
Item quæritur: ſi quis cùm iudicio ſiſtendi cauſſa ſatiſ-
dare non deberet, ſatiſdatò promiſerit: an fideiuſſori-
bus eius exceptio detur? puto intereſſe: vtrum per er-
rorem ſatiſdatò promiſſum eſt, an ex conuentione. ſi per
errorem: dandam fideiuſſoribus exceptionem. ſi ex cõ-
uentione: minimè dandam. Nam & Iulianus ſcribit:
ſi iudicio ſiſtendi cauſſa pluris, quàm ſtatutum eſt, per
ignorantiam promiſſum fuerit: exceptionem dari de-
B bere. Si autem ex conuentione tantæ ſummæ promiſ-
ſio facta ſit: exceptionem pacti conuenti replicatione
infirmandam.

Culpa vnius ex reis credendi in adquirendo nocet alteri, ſi ſunt ſocii. Bartolus.

V. PAVLVS. *lib.* LXVIII. *ad edictum.*

SI duo rei ſtipulãdi ſint, & vni debitor iudicio ſe ſi-
ſti cum pœna promiſerit, alter autem impedierit:
ita demum exceptio aduerſus alterum danda eſt, ſi ſo-
cij ſint: ne proſit ei dolus propter ſocietatem.

Si ſunt duo rei, vt pater & filius, non poteſt ab vno peti res, & ab alio intereſſe. Bartolus.

C Item ſi duo rei promittendi ſint, & vnus ad iudici-
um non venerit, contempta ſua promiſſione iudicio ſi-
ſtendi cauſſa facta: actor autem ab altero rem petat: ab
altero pœnam deſertionis petendo, exceptione ſubmo-
uebitur. Aeque ſi à patre facta fuerit promiſſio, iudi-
cio ſiſtendi cauſſa, ex filij contractu: deinde de re a-
ctor egerit cum filio: exceptione ſubmouebitur, ſi cum
patre ex eius promiſſione agat. contrà idem erit, ſi filius
promiſerit, & actor egerit cum patre de peculio.

Exceptio ſuperueniens reo prodeſt fideiuſſori.

VI. CAIVS *lib.* I *ad* L. *duodecim tabularum.*

SI quis cùm fideiuſſorẽ dedit, ideo non ſteterit, quòd
reipublicæ cauſſa abfuerit: iniquum eſt, fideiuſſo-
rem ob alium ſiſtẽdi neceſſitate obligatum eſſe, cùm ip-

si liberum esset non sistere.

Qui fideiussit pro seruo, habet eas exceptiones quas habet si pro libero fideiussisset: saluo quod seruus Reipublicæ caussa abesse non potest. Bartolus. D

VII. PAVLVS. *lib.* LXIX. *ad edictum.*

SI quis seruum in iudicio sisti promiserit, vel alium, qui in aliena potestate est: iisdem exceptionibus vtitur, quibus si pro libero, vel patrefamiliâ: fideiussit: præterquàm si reipublicæ caussa abesse diceretur seruus. nam seruus reipublicæ caussa abesse non potest. Præter hanc autem exceptionem, cæteræ (quia communes sunt) tam in libero homine, quàm in seruo locum habent.

In stipulationibus iudicialibus vbi est dies & pœna, admittitur purgatio moræ intra modicum tempus, si ius actoris non est factum deterius. Bartolus. E

VIII. CAIVS *lib.* XXIX. *ad edictum prouinciale.*

ET si post tres aut quinque pluresve dies, quàm iudicio sisti se reus promisit, secum agendi potestatem fecerit: nec actoris ius ex mora deterius factum sit: consequens est dici, defendi eum debere per exceptionem.

Vbi obligatio rei principalis est nulla, similiter erit nulla obligatio fideiussoris. Bartolus.

IX. VLPIANVS *lib.* XX. *ad edictum.*

SI seruus se iudicio sisti promittat: non committitur stipulatio, neque in eum, neque in fideiussores eius. F

Si stipulatio facti diuidui in præparatoriis iudiciorũ pro parte nõ impletur, cõmittitur stipulatio pœnalis in solidũ mero iure: sed pro parte ꝑ qua fuit impleta, obstat de æquitate exceptio. Bartolus.

Si plurium seruorum nomine, iudicio sistendi caussa, vna stipulatione promittatur: pœnam quidem integram committi, licet vnus status non sit, Labeo ait: quia verum sit omnes statos non esse. verùm si pro rata vnius offeratur pœna: exceptione doli vsurum eum, qui ex hac stipulatione conuenitur.

Ratione dubitationis ꝑmittitur quod aliàs nõ permitteretur. B.

X. PAVLVS *lib.* I. *ad Plautium.*

SI eum iudicio sisti promisero, qui iam tempore liberatus

beratus esse dicatur: quamuis fortè iam actione non teneatur: actio in me danda est, vt vel exhibeam eum, vel defendam, vt veritas inquiratur.
A

Vbi est dies & conditio, expectatur dies: licet conditio euenerit.

Homo sisti promissus, ante dié dolo promissoris periit. certo iure vtimur, non ante pœnam peti posse, quàm dies promissionis veniat. tota enim stipulatio in diem collata esse videtur.

Stipulatio alteri accessoria assumit sibi naturam eius cui accidit. Bartolus.

Qui iniuriarũ acturus, stipulatus erat ante litem contestatã, vt aduersarius suus iudicio sistat: cõmissa stipulatione mortuus est. non cõpetere hæredi ei9 ex stipulatu actioné placuit: quia tales stipulationes propter rem ipsam dantur. iniuriarum autem actio hæredi non competit. quamuis enim hęc stipulatio, iudicio sistendi caussa facta, ad hæredem transeat: tamen in hac caussa danda non est. nam & defunctus, si vellet omissa iniuriarum actione, ex stipulatu agere non permitteretur. Idem dicendum est: si is, cum quo iniuriarum agere volebam, stipulatione tali commissa decesserit. nam non competit mihi, aduersus hæredem ex stipulatu actio: & hoc Iulianus scribit. secundum quod & si fideiussores dati erunt, minimè dabitur in eos actio, mortuo reo. Idem Pomponius, si non post longum tempus decesserit. quia si ad iudicium venisset: litem cum eo contestari actor potuisset.
B C

Hominem promissum debet quis sistere in eadem caussa quò ad forum, non quò ad facultatem. Bartolus.

XI. VLPIANVS *lib.* XLVII. *ad Sabinum.*

SI quis quempiam iudicio sisti promiserit: in eadem caussa eũ debet sistere. IN EADEM aũt CAVSSA SISTERE, hoc est, sistere, vt actori persecutio loco deteriore non sit: quamuis exactio rei possit esse difficilior. Licet enim difficilior exactio sit: tamen dicendum est, videri in eadem eum caussa stitisse. Nam & si nouum æs alienũ contraxisset, vel pecuniã perdidisset: videretur tamen in eadem caussa stitisse. ergo & qui alij iudicatus sistitur, in eadem caussa sisti videtur.

XII. PAVLVS *lib. XI. ad Sabinum.*

QVi autem nouo priuilegio vtitur, non videtur in eadem caussa sisti. Illud tenendũ est, æstimationem eius, quod intersit agentis, ad illud tempus referendam, quo sisti debuit: non ad id, quo agitur, quamuis desierit eius interesse. D

Qui promisit eum sistere qui non potest esse in iudicio, non tenetur. Bartolus.

XIII. IVLIANVS *lib. LV. Digestorum.*

QVoties seruus iudicio sistẽdi caussa, vt ipse litigaturus, vel ab alio stipulatur, vel ipse promittit: nec cõmittitur stipulatio, nec fideiussores tenentur: quia seruus cõueniri, vel conuenire nõ potest.

Stipulatio procuratoris super re domini in dubio intelligitur facta procuratoris nomine: & ad domini interesse refertur. Bar. E

XIIII. NERATIVS *lib. II. Membranarum.*

SI procurator ita stipulatus, vt sistat duntaxat eum, qué stipularetur: nõ etiam pœnã, si status nõ esset, stipuletur: propemodũ nullius momenti est ea stipulatio. quia procuratoris (quod ad ipsius vtilitatem pertinet) nihil interest sisti. Sed cùm alienum negocium in stipulando egerit: potest defendi non procuratoris, sed eius cuius negocium gessit, vtilitatem in ea re spectandam esse: vt quantum domini litis interfuit sisti, tantum ex ea stipulatione, non stato reo, procuratori debeatur. Eadem & fortius adhuc dici possunt, si procurator ita stipulatus esset, QVANTI EA RES ERIT: vt hanc conceptionem verborum nõ ad ipsius, sed ad domini vtilitatem relatam interpretemur. F

Si promittens de iudicio sisti, desiit posse conueniri, stipulatio euanescit. Bartolus.

XV. VLPIANVS *lib. III. de omnibus tribunalibus.*

SI tutor iudicio sisti promiserit, & stipulationi nõ obtéperauerit: & interea pupillus adoleuerit, aut mortem obierit, aut etiam abstentus sit hæreditate: denegabitur ex stipulatu actio. nã & ipsius rei, quę petebatur, si tutor iudicatus fuerit, aut eorum quid acciderit: non esse dandam in eum actionem iudicati probatum est.

DE FERIIS

A DE FERIIS,† ET DILATIONIBVS, *& diuersis tẽporibus, & quibus caußis feriæ non impediantur.* Tit. XII.

†De his Plato dia. 2. de legib. Macro. Satur. li. 1. c. 16. Gell. li. 3. cap. 17.

Tempore vindemiarum vel meßium nemo compellitur in ius venire si tamen sponte venerit, & litigauerit, lata sententia tenet. lata verò contra non comparentem, nulla erit.

VLPIANVS *lib.* IIII. *de omnibus tribunalibus.*

NE quis messium vindemiarúmque tempore aduersarium cogat ad iudicium venire, oratiōe diui Marci exprimitur: quia occupati circa rem rusticam, in forum compellendi non sunt. Sed si prætor aut per ignorantiam, B aut socordiam euocare eos perseuerauerit, hique sponte venerint: siquidem sententiam dixerit, pręsentibus illis, & sponte litigantibus: sententia valebit, tametsi non rectè fecerit, qui eos euocauerit. Sin verò cùm abesse perseuerauerint, sententiam protulerit, etiam absentibus illis: consequens erit dicere, sententiam nullius esse momenti. neque enim prætoris factum iuri derogare oportet. Citra igitur adpellationem sententia infirmabitur. Sed excipiuntur certæ caussæ, ex quibus cogi poterimus etiam per id temporis, cùm messis vindemiæ'que sunt, ad prætorem venire: scilicet si res tempore peritura sit, hoc est, si dilatio actionem sit peremptura. C Sanè quoties res vrget, cogendi quidem sumus ad prætorem venire: verùm ad hoc tantum cogi æquum est, vt lis cõtestetur: & ita verbis ipsius orationis exprimitur. denique alterutro recusante post litem cõtestatam litigare, dilationem oratio concessit.

II. IDEM *lib.* V. *ad edictum.*

EAdem oratione diuus Marcus in Senatu recitata effecit, de aliis etiam speciebus prætorem adiri diebus feriatis: vtputa vt tutores aut curatores dētur, vt officia admoneantur, cessantis excusationes allegētur, alimenta constituantur, ætates probentur, vētris nomine in possessionem mittatur, vel rei seruandę caussa, vel legatorum fideive commissorum, vel damni infecti: item de testamentis exhibendis: & vt curator detur bonorum

eius,cui an hęres exſtiturus ſit,incertum eſt:aut de alendis liberis,parentibus, patronis:aut de adeunda ſuſpecta hæreditate:aut vt adſpectu atrox iniuria æſtimetur: vel ſi cui fideicommiſſaria libertas pręſtanda eſt. D

III. IDEM. *lib. II. ad edictum.*

SOlet etiam meſſis vindemiarúmque tempore ius dici rebus,quæ tempore vel morte perituræ ſunt.morte:veluti furti,damni iniuriæ,iniuriarũ atrocium:quod de incẽdio,ruina,naufragio,rate,naue expugnata rapuiſſe dicẽtur:& ſi quę ſimiles ſunt.Item ſi res tempore perituræ ſunt, aut actionis dies exiturus. Liberalia quoque iudicia omni tempore finiuntur. Item in eum, qui quid nundinarum nomine aduerſus communem vtilitatem accepit,omni tempore ius dicitur. E

IIII. PAVLVS *libro. I. ad edictum.*

PRæſides prouinciarum ex conſuetudine cuiuſque loci ſolent meſſis vindemiarúmque cauſſa tempus ſtatuere.

V. VLPIANVS *lib. LXII. ad edictum.*

PRidie Kalendas Ianuarias magiſtratus neque ius dicere,ſed nec ſui poteſtatem facere conſuẽrunt.

VI. IDEM *lib. LXXVII. ad edictum.*

QVid ſi feriatis diebus fuerit iudicatũ?lege cautum eſt,ne iis diebus iudicium ſit,niſi ex volũtate partium:& ſi aliter aduerſus ea iudicium erit, ne quis iudicatũ facere, néue ſoluere debeat: neu quis, ad quem de ea re in ius aditum erit, iudicatũ facere cogat. F

Poſt primam dilationem alia dilatio non eſt danda, niſi cauſſa cognita. Bartolus.

VII. IDEM. *lib. I. de off. Proconſ.*

ORatiõe quidem diui Marci, amplius quàm ſemel, non eſſe dandam inſtrumentorum dilationem,expreſſum eſt: ſed vtilitatis litigantium gratia, cauſſa cognita iterũ dilatio tam ex eadẽ,quàm ex alia prouincia, ſecundum moderamen locorum impertiri ſolet: & maximè,ſi aliquid inopinatum emergat.Illud videndum:ſi defunctus aliquam dilationem acceperit propter inſtrumenta, an ſucceſſori quoque eius dari debeat: an verò, quia iam data eſt, amplius dari non poſſit? & magis eſt,

vt hic caussa cognita dari debeat.

A VIII. PAVLVS *lib.* XIII. *ad Sabinum.*

MOre Romano dies à media nocte incipit,& sequẽtis noctis media parte finitur. Itaq; quidquid in iis vigintiquatuor horis, id est, duabus dimidiatis noctibus,& luce media actum est: perinde est, quasi quauis hora lucis actum esset. *In hunc locū Macro. Saturn. 1. ca.3. Gel.3 cap.2.*

Negocia militaria possunt quolibet tempore expediri. Bartolus.

IX. VLPIANVS *lib.* VII. *de off. Procons.*

DIuus Traianus Minicio Natali rescripsit, ferias à forensibus tantum negociis dare vacationem: ea autem, quæ ad disciplinam militarem pertinerent, etiam feriatis diebus peragenda: intérque ea custodiarũ quoque cognitionem esse. B

X. PAVLVS *lib.* V. *Sententiarum.*

IN pecuniariis caussis omnibus dilatio singulis caussis plus semel tribui nõ potest: in capitalibus autem reo tres dilationes, accusatori duæ dari possunt: sed vtrumque caussa cognita.

DE EDENDO. Tit. XIII.

Petitio debet exhiberi reo, vt possit declarare an velit cedere vel contendere.

VLPIANVS *lib.* IIII. *ad edictum.*

C QVa quisque actione agere volet, eam prius edere debet. nam æquissimum videtur, eum qui acturus est, actionem edere: vt proinde sciat reus, vtrum cedere, an contendere vltrà debeat: & si contendendum putet, veniat instructus ad agendum, cognita actione, qua conueniatur. Edere est copiam describendi facere, vel in libello complecti & dare, vel dictare. Eum quoq; edere Labeo ait, qui producat aduersarium suum ad album, & demõstret, quid dictaturus sit, vel id dicendo, quo vti velit.

EDITIONES SINE DIE ET CONSVLE FIERI DEBENT. NE QVID EXCOGITETVR, AVT PROLATO DIE FIAT. Diem autem & consulem excepit prætor, quo instrumentũ conscriptum

ſcriptum eſt,non in quem ſolutio cōcepta eſt. Nam dies ſolutionis,ſicuti ſumma,pars eſt ſtipulationis. Rationes tamen cum die & conſule edi debent: quoniam accepta & data non aliâs poſſunt apparere,niſi dies & conſul fuerit editus. D

Ea ſola quibus quis uſurus eſt in iudicio,edere debet aduerſario: nec dicitur edidiſſe niſi totum contractum ediderit:& non edenti aliquando parcitur propter ætatem,ſexum,vel ruſticitatem.

Edenda autem ſunt omnia,quę quis apud iudicem editurus eſt: non tamen vt inſtrumenta, quibus quis vſurus non eſt,cōpellatur edere. Edere non videtur,qui totam ſtipulationem non edit. Eis qui ob ætatem, vel ruſticitatem,vel ob ſexum lapſi,non ediderunt, vel ex alia iuſta cauſſa:ſubuenietur. E

Legatarius petens legatum licet in libello faciat mentionem de teſtamento,non tenetur hæres dare illi copiam ad inſtructionem ipſius,cùm ſoleat penes ſe exemplum habere.

II. PAVLVS *lib.* III. *ad edictum.*

SI legatum petatur, non iubet prætor verba teſtamenti edere: ideo fortaſſe, quia hæredes ſolent habere exemplum teſtamenti.

Lex iſta legitur duobus modis. ſecundum vnam lecturā continet ius ſpeciale,ſcilicet quod fiſco editur ad ſuam intentionē fundandā. ſecundū aliam quod fiſco editur ad ſuam replicationem fundandā.

III. MODESTINVS *lib.* II. *de pœnis.*

SEnatus cenſuit,ne quiſquam eorum, à quibus quid à fiſco petitur, alia inſtrumenta delatori cogatur edere,quàm quæ ad eam cauſſam pertinerent, ex qua ſe deferre profeſſus eſſet. F

Argentarius rationes edere tenentur cum die & conſule iis ad quos pertinet, ſiue ſit argētarius ipſe ſui iuris:ſiue ſit filiusfamiliàs: quo caſu etiam pater eius tenetur edere, ſi filius quæſtum argentariæ ad patrem referebat:& ſic pater tacitè conſentiebat argentariæ. Item ſi ſeruus eſt argentarius,edere tenetur dominus ſuus, ſi ſeruus ipſo volente argentariam exercuit: vel dominus rationes penes ſe habeat:vel ſi argentaria peculiaris erat:aut quæſitus eius in rem domini verſus eſt.

IIII. VLPIANVS *lib.* IIII. *ad edictum.*

Prætor

A PRetor ait: ARGENTARIAE MENSAE EXERCITORES RATIONEM, QVAE AD SE PERTINET, EDANT ADIECTO DIE ET CONSVLE. Huius edicti ratio ęquissima est. nam cũ singulorum rationes argentarij conficiant: æquũ fuit, id quod mei caussa confecit, meum quodammodo instrumentum mihi edi. Sed & si filiusfamiliâs cõtinetur his verbis, vt vel ipse cogaĩ edere. an & pater, quæritur? Labeo scripsit, patrem non cogẽdum, nisi sciente eo argentaria exerceretur. Sed rectè Sabinus respondit, tunc id admittendum, cùm patri quæstum referret. Sed & si seruus argentariam faciat (potest enim) si quidem voluntate domini fecerit: compelli dominum edere, ac perinde B in eum dandũ esse iudicium, ac si ipse fecisset. sed si inscio domino: satis esse dominum iurare, eas se rationes non habere. Si seruus peculiarem faciat argẽtariam: dominus de peculio, vel de in rem verso tenetur. sed si dominus habet rationes, nec edat: in solidum tenetur. Is etiam, qui desiit argentariam facere, ad editionem compellitur. Sed ibi quis cõpellitur edere, vbi argentariam exercuit: & hoc est constitutum. Quod si instrumentum argentariæ in alia prouincia habeat, in alia administrauerit: ibi puto cogendum edere, vbi argentariam exercuit. hic enim primùm deliquit: quod aliò instrumẽtum transtulit. Quod si in alio loco argentariam exerceat, a-C libi autem ad editionem compellatur: minimè hoc facere cogitur: nisi descriptum velis, vbi de ea re agitur, ibi dari, tuis videlicet sumptibus.

V. PAVLVS *lib.* III. *ad edictum.*

SPaciúmque ad perferendas eas tribuendum est.

VI. VLPIANVS *lib.* IIII. *ad edictum.*

SI quis ex argentariis (vt plerique eorum) in villa habeat instrumẽta, vel in horreo: aut ad locum te perducet, aut descriptas rationes dabit.

Successor tenetur hoc edicto: sicut ille qui possidet, siue sit vnus, siue plures. idem in pluribus tutoribus.

Cogentur & successores argentarij edere rationes. quòd si plures sint hæredes, & vnus habeat: solus, ad editionem cõpelletur. Sed si omnes habent, & vnus edidit,

an

an omnes ad editionem compellendi ſunt?quid enim ſi humilis & deploratus vnus edidit, vt dubitare meritò quis de fide editionis poſſit? vt igitur comparari rationes poſſint, etiam cæteri edere debent, aut certè vnius editioni ſubſcribere. idem erit & ſi plures fuerint argentarij, à quibus editio deſideratur. Nam & ſi plures tutores tutelam ſimul adminiſtrauerint: aut omnes edere debent, aut vnius editioni ſubſcribere. D

Qui petit editionem, debet iurare de calumnia.

Exigitur autem ab aduerſario argentarij iuſiurandũ, non calumniæ cauſſa poſtulare edi ſibi: ne fortè vel ſuperuacuas rationes, vel quas habet, edi ſibi poſtulet, vexandi argentarij cauſſa.

Illa ratio eſt edenda quæ ad argentariã pertinet: ſecus in inſtrumentis ex alia cauſſa confectis. Bartolus. E

Rationem autem eſſe Labeo ait: vltro citro dãdi, accipiendi, credendi, obligandi, ſoluendi ſui cauſſa negociationem: nec vllam rationem nuda duntaxat ſolutione debiti incipere: nec ſi pignus acceperit, aut mandatum, compellendum edere. hoc enim extra rationem eſſe. Sed & quod ſolui conſtituit, argentarius edere debet. nam & hoc ex argentaria venit.

Contra non edentem datur actio in factum ad intereſſe: & rationes dicuntur ad aliquem pertinere quando eo mandante vel eius procuratore confecta ſunt. & ideo tam ſibi quàm procuratori ſunt edenda. F

Ex hoc edicto in id, quod interfuit, actio competit. vnde apparet ita demum teneri hoc edicto, ſi ad eũ pertineat. Pertinere autem videtur ad me ratio, ſi modò eã tractaueris, me mãdante. ſed ſi procurator meus, abſente me mandauerit: an mihi edenda ſit, quaſi ad me pertineat? & magis eſt vt edatur. Procuratori quoque meo edendam rationem, quam mecum habet, non dubito: quaſi ad eum pertineat, & cauturum de rato, ſi mandatum ei non ſit. Si initiũ tabularum habet diem & cõſulem, in quibus Titij ratio ſcripta eſt: poſtmodum mea ſine die & conſule: etiam mihi edendus eſt dies & conſul. communis enim omnis rationis eſt præpoſitio diei & conſulis. Edi autem eſt vel dictare, vel tradere libellum,

bellum, vel codicem proferre.

A *Argentario non fit editio rationum suarum nisi probet quod rationes quæ apud ipsum remāserunt, perdidit casu fortuito: vel nisi subsit alia iusta caussa. Bartolus.*

Prætor ait: ARGENTARIO, EIVE, QVI ITERVM POSTVLAVERIT, CAVSSA COGNITA, EDI IVBEBO. Prohibet argentario edi illa ratione, quod etiam ipse instructus esse potest instrumento suæ professionis: & quod absurdum est, cùm ipse in ea sit caussa, vt edere debeat: ipsum petere, vt edatur. An verò nec hæredi argentarij edi ratio debeat, videndum. & quidem si instrumentum argentariæ ad eũ peruenerit, nõ debet ei edi: si minus, edenda est ex caus-
B sa. Nam & ipsi argentario ex caussa edenda est: si naufragio, vel ruina, vel incendio, vel alia simili caussa rationes perdidisse se probet: aut in longinquo habere, veluti trans mare. Nec iterum postulanti, edi prætor iubet, nisi caussa cognita.

VII. PAVLVS *lib.* III. *ad edictum.*

VEluti si peregrè habere, quod primum editum est, vel minus plenè editum doceat: vel eas rationes casu maiore, non verò negligentia perdiderit. Nam si quo casu amisit, cui ignosci debeat: ex integro edi iubebit.

Rationes semel editæ non sunt iterum edendæ, nisi ex causa le-
C *gitima & probata: quo casu toties quoties causa suberit: facienda erit editio.*

Hæc vox ITERVM, duas res significat. altera est, qua demonstratur tempus secundum, quod Græci δεύτερον dicunt: altera, quæ ad sequentia quoque tempora pertinet, quæ græcè dicitur πάλιν: quod ita accipitur, quoties opus erit. nam potest fieri, vt bis editam sibi rationem quis perdiderit: vt verbũ ITERVM pro SAEPIVS accipiatur.

Argentarius vel dolo vel lata culpa non edens, damnatur in id quod interest petentis: cuius quantitas secundũ tempus decreti prætoris iubentis edi æstimatur, nõ inspecto si pòst desierit interesse, aut creuerit seu decreuerit. Bar.

VIII. VLPIANVS *lib.* IIII. *ad edictum.*

Vbi

VBi exigitur argentarius rationes edere: tunc punitur, cùm dolo malo non exhibet: sed culpam nõ præstabit, nisi dolo proximam. Dolo autem malo non edidit, & qui malitiosè edidit, & qui in totum nõ edidit. Is autem, qui in hoc edictum incidit: id non præstat, quod interfuit mea rationes edi, cùm decerneretur à prætore: non quod hodie interest. & ideo licet interesse desiit, vel minoris vel pluris interesse cœpit: locum hæc actio non habebit. neque ad augmentum, neque ad deminutionem. D

Vbi potest dari actio ordinaria ex contractu, vel quasi ad edi- dum, cessat officium iudicis, & actio in factum ex hoc edicto: quæ sunt remedia subsidiaria.

IX. PAVLVS *lib.* III. *ad edictum.* E

QVædam sunt personæ, quas rationes nobis edere oportet, nec tamen à prætore per hoc edictum cõpelluntur. veluti cùm procurator res rationésve nostras administrauit: non cogitur à prætore per metum actionis in factum rationes edere, scilicet quia id consequi possumus per mandati actionem. sed & cùm dolo malo socius negocia gessit, prætor per hanc clausulam non interuenit. est enim pro socio actio. sed nec tutorem cogit prætor pupillo edere rationes, sed iudicio tutelæ solet cogi edere.

Hoc edictum habet locum in successores vniuersales argentarii, licet eiusdem professionis non sint, tamen secus in successoribus singularibus: sed ad eos in subsidium recurretur vtili actione. F

Nihil interest, si successores aut pater aut dominus argentarij eiusdem fuerunt professionis: quia cùm in locum & in ius succedant argentarij, partibus eius fungi debebunt. Is autem, cui argentarius rationes suas legauit, non videtur contineri (quia iuris successor iis verbis significatur) non magis, quàm si ei viuus eas donasset. Sed nec hęres tenebitur: cùm nec possideat, nec dolo malo fecerit. Sed si ei antequam eas legatariis traderet, denunciatum fuerit, ne antè tradat: tenebitur, quasi dolo fecerit. quod si nihil dolo fecerit: caussa cognita legatarius cogendus est edere.

Numularii coguntur edere suas rationes sicut & argentarii eadem

dem ratione.Bart.

A Numularios quoque non esse iniquum cogi rationes edere, Pomponius scribit: quia & hi, sicut argentarij, rationes conficiunt. & quia accipiunt pecuniam, & erogant per partes, quarum probatio scriptura codicibusque eorum maximè continetur: ideo frequentissimè ad fidem eorum decurritur. Cæterùm omnibus postulātibus, & iurantibus non calumniæ caussa se petere: rationes, quę ad se pertineant, edi iubet. Ad nos auté pertinet non tantum, cùm ipsi contraximus, vel successimus ei, qui contraxit: sed etiam si is, qui in nostra potestate est, contraxit.

B *Argentarii & omnes qui gerunt officium publicum, coguntur suas rationes edere.Bartolus.*

X. CAIVS *lib.1.ad edictum prouinciale.*

ARgentarius rationes edere iubetur: nec interest, cū ipso argentario controuersia sit, an cum alio. Ideo autem argentarios tantum, neque alios vllos absimiles rationes edere cogit: quia officium eorum atque ministerium publicam habet caussam: & hæc principalis eorum opera est, vt actus sui rationé diligenter conficiāt.

Non debet edi totus liber sed tota ratio prout pertinet ad petentem.Bartolus.

Edi autem ratio ita intelligitur, si à capite edatur. nā ratio, nisi à capite inspiciatur, intelligi non potest: scilicet vt non totum cuique codicem rationum, totasque membranas inspiciendi, describendique potestas fiat: sed vt ea sola pars rationum, quæ ad instruendum aliquem pertineat, inspiciatur & describatur.

C

Ista actio datur ad interesse quod possibile est probari in secundo iudicio, licet in primo non potuerit.Bartolus.

Cùm autem in id actio competat, quanti agentis interfit, editas sibi rationes esse: euenit, vt siue quis condemnatus sit: siue quod petiit, non obtinuerit, eò quod non habuit rationes, ex quibus caussam suā tueri posset: idipsum, quod ita perdiderit, hac actione consequatur. Sed an hoc procedat, videamus. nam si apud hunc iudicé, qui inter eū & argentariū iudicat: potest probare se illo iudicio, quo victus est, vincere potuisse: poterat & tunc

tunc probare. & ſi non probauit, aut probantem iudex non curauit: de ſeipſo, aut de iudice queri debet. Sed non ita eſt. fieri enim poteſt, vt nunc rationes, vel ipſo edente, vel alio modo nactus: aut aliis inſtrumentis vel teſtibus, quibus illo tempore aliqua ex cauſſa vti nō potuit: poſſit probare, potuiſſe ſe vincere. Sic enim & de cautione ſubrepta aut corrupta, competit condictio & damni iniuriæ actio. quia quod antè non potuimus interceptа cautione probare, & ob id amiſimus: hoc nunc aliis inſtrumentis aut teſtibus, quibus tunc vti non potuimus, probare poſſumus. D

XI. MODESTINVS *lib.* IIII. *Regularum.*

EXempla inſtrumentorum etiam ſine ſubſcriptione edentis edi poſſe, receptum eſt. E

XII. CALLISTRATVS *lib.* I. *edicti monitorii.*

FOeminæ remotæ videntur ab officio argentarij, cùm ea opera virilis ſit.

XIII. VLPIANVS *lib.* IIII. *ad edictum.*

HAec actio neque poſt annum, neque in hæredem, niſi ex ſuo facto, dabitur: hæredi autem dabitur.

DE PACTIS. Tit. XIIII.

VLPIANVS. *lib.* IIII. *ad edictum.*

HVIVS edicti æquitas naturalis eſt, quid enim tam congruum * fidei humanę, quàm ea ſeruare, quę inter eos placuerunt? Pactum autem à pactione dicitur, vnde etiam pacis nomē appellatum eſt. Eſt autē pactio duorum pluriúmve in idem placitum & conſenſus. Conuentionis verbum generale eſt: ad omnia pertinens, de quibus negocij contrahendi tranſigendíque cauſſa cōſentiunt, qui inter ſe agunt. Nam ſicuti conuenire dicuntur, qui ex diuerſis locis in vnum colligūtur & veniunt: ita qui ex diuerſis animi motibus in vnum conſentiunt, id eſt, in vnam ſententiam decurrunt. Adeo autem conuentionis nomen generale eſt, vt eleganter dicat Pedius: nullum eſſe contractum, nullam obligationem, quæ non habeat in ſe conuentionem: ſiue re, ſiue verbis fiat. nam & ſtipulatio, quæ verbis fit, niſi habeat conſen- F

**Vnde Cice. li. 2. de inuen. Rheto. Pactū, inquit, eſt quod inter aliquos cōuenit, quod iā ita iuſtū putatur, vt iuri præſtare dicatur.*

consensum, nulla est. Sed conuentionum pleræque in
A aliud nomen transeunt: veluti in emptionem, in locationem, in pignus, in stipulationem.

Conuentionum aliæ tacitæ, aliæ expressæ: & hoc quandoque fit inter absentes per nũcium vel per epistolam: quandoque inter præsentes. Et si creditor debitori suo cautionem dederit, intelligitur tacitè pactus de non petendo: & debitori dabitur exceptio pacti: secus si pignus redditum sit, nisi contrarium sit actum.

II. PAVLVS *lib.* III *ad edictum.*

LAbeo ait, conuenire posse, vel re, vel per epistolam, vel per nuncium, inter absentes quoque. Sed etiam tacito consensu conuenire intelligetur. inde si debitori meo reddiderim cautionem, videtur inter nos conuenisse, ne peterem: profuturamque ei conuentionis exceptionem placuit.
B

III. MODESTINVS *lib.* III. *Regularum.*

POst pignus verò debitori redditum, si pecunia soluta non fuerit: debitum posse peti, dubium nõ est: nisi specialiter contrarium actum esse probetur.

Inuecta in domum conductam sunt tacitè obligata pro pensione. Bartolus.

IIII. PAVLVS *lib.* III. *ad edictum.*

ITem quia conuentiones tacitæ valent: placet in vrbanis habitationibus locandis inuecta illata pignori esse locatori, etiam si nihil nominatim conuenerit. Secundum hoc & mutus pacisci potest. Huius rei argumétum est & stipulatio dotis caussa facta. nam ante nuptias male petitur: quasi si hoc expressum sit, vt nuptiis non secutis, ipso iure euanescat stipulatio. Idem Iuliano placet ex facto etiam consulto: cùm conuenisset, vt donec vsuræ soluerentur, sors non peteretur: & stipulatio purè concepta fuisset: conditionem inesse stipulationi, atque si hoc expressum fuisset.
C

V. VLPIANVS *lib.* III. *ad edictum.*

COnuentionum autem tres sunt species. aut enim ex publica caussa sunt, aut priuata: priuata aut legitima, aut iuris gentium. Publica conuentio est, quæ fit per principem, aut quoties inter se duces belli quædam paciscuntur.

Illa dicitur esse legitima cõuentio quæ lege aliqua confirmatur: & tunc ex ea actio nascitur, si conuentio ordinabatur ad actionem producendam. Si verò ordinabatur ad tollendam actionẽ: tunc tollit actionem. D

VI. PAVLVS *lib.* III. *ad edictum.*

Legitima conuentio est, quæ aliqua lege confirmatur. & ideo interdum ex pacto actio nascitur, vel tollitur: quoties lege, vel senatusconsulto adiuuatur.

Cõuentio iuris gentium nominata parit actionem: secus si est innominata, nisi implemento iustæ caussæ vel cohærentia contractus vestiatur.

VII. VLPIANVS *lib.* IIII. *ad edictum.*

Iuris gentium cõuentiones quædam actiones pariunt, quædam exceptiones. quæ pariunt actiones in suo nomine non stant, sed transeunt in proprium nomen contractus: vt emptio, venditio, locatio, conductio, societas, commodatum, depositum; & cæteri similes contractus. Sed & si in alium contractum res non transeat, subsit tamen caussa: eleganter Aristo Celso respondit esse obligationem: vt puta dedi tibi rem, vt mihi aliam des: dedi, vt aliquid facias: καὶ συνάλλαγμα εἶναι, & hinc nasci ciuilem actionem. Et ideo puto rectè Iulianum à Martiano reprehensum in hoc. dedi tibi Stichum, vt Pamphilum manumittas. manumisisti. euictus est Stichus. Iulianus in factum actionem à prætore dandam: ille ait, ciuilem incerti actionem, id est præscriptis verbis sufficere. esse enim contractum (quod Aristo dicit) συνάλλαγμα, vnde hæc nascatur actio. Si ob maleficium ne fiat, promissum sit: nulla est obligatio ex hac conuentione. E F

Simplex conuentio innominata si non vestitur implemento iustæ caussæ, dicitur nuda: ideo non parit actionem. sed si fiat ad liberandum, bene parit exceptionem.

Sed cùm nulla subest caussa præter conuentionem: hic constat, non posse constitui obligationem. Igitur nuda pactio obligationem nõ parit, sed parit exceptionem.

Pacta incontinenti apposita nouam producunt actionem, & veterem informant: secus si ex interuallo. Bart.

Quinimò interdum format ipsam actionem, vt in bonæ fidei iudiciis. solemus enim dicere, pacta conuenta
A inesse bonæ fidei iudiciis. Sed hoc sic accipiendum est: vt siquidem ex continenti pacta subsecuta sunt, etiam ex parte actoris insint. si ex interuallo: non inerunt, nec valebunt, si agatur: ne ex pacto actio nascatur. vtputa post diuortium conuenit, ne tempore stato dilationis dos reddatur, sed statim. hoc non valebit, ne ex pacto actio nascatur. idem Marcellus scribit. Etiam si in tutelæ actione conueniat, vt maiores, quàm statutæ sunt, vsuræ præstentur: locum non habebit, ne ex pacto actio nascatur. Ea enim pacta insunt, quæ legem contractui dant, id est, quæ in ingressu contractus facta sunt.
B Item responsum scio à Papiniano, si post emptionem ex interuallo aliquid extra naturam contractus conueniat: ob hanc caussam agi ex empto non posse propter eandem regulam, ne ex pacto actio nascatur. quod & in omnibus bonæ fidei iudiciis erit dicendum. Sed ex parte rei locum habebit pactum: quia solent & ea pacta, quæ postea interponuntur, párere exceptiones.

Pacta circa substantialia contractus apposita re integra, & ex interuallo valent, & quo ad actionem siue in totum siue in partem: siue cum vno siue cum pluribus contrahatur. Bartolus.

Adeò autem in bonæ fidei iudiciis exceptiones postea factæ, quæ ex eodem sunt contractu, insunt: vt con-
C stet in emptione, cæterisque bonæ fidei iudiicis, re nõdum secuta, posse abiri ab emptione. Si igitur in totum potest: cur non & pars eius pactione mutari potest? Et hęc ita Pomponius libro VI. ad edictum scribit. Quod cum est: ex parte agentis pactio locũ habet, vt & ad actionem proficiat nondum re secuta, eadem ratione. Nam si potest tota res tolli: cur non & reformari, vt quodammodo quasi renouatus contractus videatur? quod non insubtiliter dici potest. Vnde illud æquè non reprobo, quod Pomponius libris lectionum probat: posse in partem recedi pacto ab emptione, quasi repetita partis emptione. Sed & cùm duo hæredes emptori exstiterint: si vẽditor cum altero pactus est, vt ab emptione recederetur: ait Iulianus valere pactionem, & dis-

ſolui pro parte emptionem: quoniam & ex alio contra-ctu paciſcendo alter ex hæredibus adquirere ſibi exce-ptionem potuiſſet. Vtrúque itaque placet, & quod Iu-lianus,& quod Pomponius ait. Prætor ait: PACTA CONVENTA, QVAE NEQVE DOLO MALO, NEQVE ADVERSVS LEGES, PLEBISCI-TA, SENATVSCONSVLTA, EDICTA, DE-CRETA PRINCIPVM: NEQVE QVO FRAVS CVIQVE EORVM FIAT, FACTA ERVNT: SERVABO. D

Huc pertinent quæ de Ageſilao Plutarchus notat in Apophtheg. Lacon.

Pactum de non petendo,aliquando eſt in rem,aliquando in perſonam.Et ſi dubitatur,intelligitur eſſe in rẽ: licet perſona pacto cõprehenſa ſit:& pactum dolo initum non ſeruatur,qui dolus committitur pluribus modis hic in textu expreſſis.Bartolus. E

Pactorum autem quædam in rem ſunt, quædã in perſonam.in rem ſunt,quoties generaliter paciſcor,ne petam.in perſonam,quoties ne à perſona,id eſt,ne à L.Titio petam. Vtrum autem in rem, an in perſonam pactum factum ſit:nõ nimis ex verbis, quàm ex mente cõuenientium æſtimandum eſt.Plerunque enim (vt Pedius ait)perſona pacto inſeritur,non vt perſonale pactũ fiat: ſed vt demonſtretur,cum quo pactum factum eſt. DOLO MALO ait prætor pactum ſe non ſeruaturũ. Dolus malus fit calliditate & fallacia:&(vt ait Pedius)dolo malo pactum fit,quoties circũſcribendi alterius cauſſa aliud agitur,atq; agi ſimulatur.Sed ſi fraudandi cauſſa pactum factum eſſe dicatur,nihil prætor adiicit. Sed eleganter Labeo ait,hoc aut iniquum eſſe,aut ſuperuacuum.iniquum:ſi quod ſemel remiſit creditor debitori ſuo bona fide, iterum hoc conetur deſtruere. ſuperuacuum, ſi ipſe deceptus hoc fecerit. ineſt enim dolo & fraus.Siue igitur ab initio dolo malo pactum factũ eſt, ſiue poſt pactum dolo malo aliquid factum eſt: nocebit exceptio propter hæc verba edicti, NEQVE FIAT. F

Si præcedit interrogatio, & ſequatur reſponſio: præſumitur ſtipulatio niſi probetur contrarium.Bart.

Quod ferè nouiſſima parte pactorum ita ſolet inſeri, ROGAVIT TITIVS, SPOPONDIT MAEVIVS: hæc verba nõ tantũ pactionis loco accipiũtur, ſed etiã

sed etiam stipulationis . ideoque ex stipulatu nascitur
A actio:nisi specialiter contrarium adprobetur,quod non animo stipulantium hoc factum est,sed tantum paciscẽtium.

Pactũ per quod tollitur ius priuati, sibi publica authoritate cõcessũ valet: secus si tolleretur ius publicum, quia tunc non valet etiam si fuerit iuramento vel stipulatione firmatum. Bartolus.

Si paciscar , ne iudicati vel incensarum ædium agatur: hoc pactum valet.Si paciscar , ne operis noui nunciationem exsequar:quidam putant,non valere pactionem, quasi in ea re prætoris imperium versetur . Labeo autem distinguit : vt si ex re familiari operis noui nunciatio sit facta,liceat pacisci:si de republica, non liceat.
B quæ distinctio vera est.Et in cæteris igitur omnibus ad edictum prætoris pertinentibus: quæ non ad publicam læsionem,sed ad rem familiarem respiciunt: pacisci licet.nam & de furto pacisci lex permittit. Sed & si quis paciscatur,ne depositi agat:secundum Pomponium valet pactum.Item si quis pactus sit , vt ex caussa depositi omne periculum præstet:Pomponius ait pactionem valere,nec quasi contra iuris formam factam,non esse seruandam.Et generaliter,quoties pactum à iure communi remotum est , seruari hoc non oportet . nec legatum, nec iusiurandum de hoc adactum ,ne quis agat,seruandum,Marcellus libro secundo Digestorum scribit. & si
C stipulatio sit interposita de his, pro quibus pacisci non licet:seruanda non est,sed omni modo rescindenda.* **An & quãdo pacta & pmissa non seruare in re liceat, pulchrè Cic. lib.3. offic.*

Pactum factum ei qui est vel futurus est hæres: statu non mutato valet quo ad pacti exceptionem , sed statu mutato valebit quo ad exceptionem doli vel vtilis pacti.

Si ante aditam hæreditatem paciscatur quis cum creditoribus,vt minus soluatur,pactum valiturum est. Sed si seruus sit,qui paciscatur priusquam libertatem & hæreditatẽ adipiscatur(quia sub conditione scriptus fuerat hæres)non profuturũ pactum Vindius scribit.Marcellus autem libro decimooctauo Digestorum, & suum hæredem & seruum necessarium purè scriptos,paciscẽtes priusquam se immisceant,putat rectè pacisci : quod & verum est.Idem & in extraneo hærede.qui si manda-

tu creditorum adierit:etiam mandati putat eum habere actionem.Sed & si quis(vt suprà retulimus)in seruitute pactus est, negat Marcellus. quoniam non solet ei proficere,si quid in seruitute egit,post libertatem.quod in pacti exceptione admittendũ est.Sed an doli ei prosit exceptio,quæritur.Marcellus in similibus specieb⁹, licet antea dubitauit, tamen admittit. vtputa filiusfamiliâs hæres institutus,pactus est cũ creditoribus:& emancipatus adiit hæreditatem. & dicit doli eum exceptione vti posse. Idem probat, & si filius viuo patre cũ creditoribus paternis pactus sit. nam & huic doli exceptionem profuturam.Imò & in seruo doli exceptio non est respuenda. Hodie tamen ita demum pactio huiusmodi creditoribus obest:si conuenerint in vnum,& cõmuni consensu declarauerint,quota parte debiti contẽti sint.Si verò dissentiãt:tũc prætori s partes necessariæ sunt,qui decreto suo sequetur maioris partis volũtatẽ. B E

*Maior pars intelligitur pro cumulo debiti, non pro cumulo personarum,nisi quando in cumulo debiti esset æqualitas.*Bart.

VIII. PAPINIANVS *lib.* X. R*esponsorum.*

MAiorem esse partem pro modo debiti,non pro numero personarum placuit.Quod si æquales sint in cumulo debiti:tunc plurium creditorum numerus præferendus est.In numero autem pari creditorum, authoritaté eius sequetur prætor,qui dignitate inter eos præcellit. Sin autem omnia vndique in vnam æqualitatem concurrant:humanior est sententia à prætore eligenda. hoc enim ex diui Marci rescripto colligi potest. F

*Prætendentes vnum debitum vel plura debita, si competant vni, semper loco vnius habentur.*Bart.

IX. PAVLVS *lib.* LXII. *ad edictum.*

SI plures sint,qui eandem habent actionem, vnius loco habentur.vt puta si plures sint rei stipulandi, vel plures argentarij,quorum nomina simul facta sunt:vni⁹ loco numerabũtur,quia vnum debitũ est. Et cùm tutores pupilli creditoris plures conueniunt:vnius loco numerantur,quia vnius pupilli nomine conueniunt. Necnon & vnus tutor plurium pupillorum nomine, vnum debitum prætendentium, si conuenerit, placuit vnius

loco

loco esse. Nam difficile est, vt vnus homo duorum vicem † sustineat. Nam nec is, qui plures actiones habet aduersus eum, qui vnam habet: plurium personarum loco accipitur. Cumulum debiti & ad plures summas referemus: si vni fortè multæ summæ centum aureorũ debeantur, alij verò vna summa aureorum quinquaginta. Nã in hunc casum spectabimus summas plures: quia illæ excedunt in vnam summam coadunatæ. Summæ autem adplicare debemus etiam vsuras.

A

† In hanc sententiam Arist. li. 2. Pol. ca. 9.

Pactum maioris partis creditorum præsentium nocet absentibus & priuilegiatis, hypothecam tamen non habentibus. Bar.

X. VLPIANVS *lib.* IIII. *ad edictum.*

B Rescriptum diui Marci sic loquitur, quasi omnes creditores debeant cõuenire. Quid ergo si quidã absentes sint? num exemplum præsentium absentes sequi debeant? Sed & an priuilegiariis absentibus hæc pactio noceat, eleganter tractatur: si modò valet pactio & contra absentes. Et repeto ante formam à diuo Marco datam, diuum Pium rescripsisse: fiscum quoque in iis casibus, in quibus hypothecas non habeat, & cæteros priuilegiarios exemplum creditorum sequi oportere. Hæc enim omnia in his creditoribus, qui hypothecas non habent, conseruanda sunt.

Conuentio liberatoria non nouatur per stipulationem pœnalem sequentem: sed aut pœna petetur, aut exceptio opponetur. Bar.

C Si pacto subiecta sit pœnæ stipulatio: quæritur, vtrũ pacti exceptio locum habeat, an ex stipulatu actio? Sabinus putat (quod est verius) vtraque via vti posse, prout elegerit, qui stipulatus est. Si tamen ex caussa pacti exceptione vtatur: æquum esse acceptò eum stipulationem ferre.

Pactum procuratoris prodest domino & nocet domino si habet speciale mandatum, vel generale cum libera. secus si ad agendum tantum sit datus. Bartolus.

Plerunque solemus dicere, doli exceptionem subsidium esse pacti exceptionis. quosdam denique, qui pacti exceptione vti non possint, doli exceptione vsuros: & Iulianus scribit, & alij plerique consentiunt. vtputa si procurator meus paciscatur, exceptio doli mihi pro-

 derit,

derit, vt Trebatio videtur: qui putat, ſicut pactum procuratoris mihi nocet, ita etiam prodeſſe. D

XI. PAVLVS *lib.* III. *ad edictum.*

QVia & ſolui ei poteſt.

XII. VLPIANVS *lib.* IIII. *ad edictum.*

NAm & nocere conſtat: ſiue ei mandaui, vt paciſceretur: ſiue omnium rerũ mearum procurator fuit, vt Puteolanus libro primo adſeſſorum ſcribit: cùm placuerit eum etiam rem in iudicium deducere.

XIII. PAVLVS *lib.* III. *ad edictum.*

SEd ſi tantum ad actionem procurator factus ſit: cõuentio facta domino non nocet, quia nec ſolui ei poteſt. Sed ſi in rem ſuam datus ſit procurator: loco domini habetur, & ideo ſeruandum erit pactum conuentum. E

XIIII. VLPIANVS *lib.* IIII. *ad edictum.*

ITem magiſtri ſocietatum pactum & prodeſſe conſtat & obeſſe.

XV. PAVLVS *lib.* III. *ad edictum.*

TVtoris quoque, vt ſcribit Iulianus, pactum pupillo prodeſt.

Pactum factum ab eo cui competunt vtiles, præiudicat ei cui cõpetunt directa. Bartolus.

XVI. VLPIANVS *lib.* IIII. *ad edictum.*

SI cùm emptore hæreditatis pactum ſit factũ, & venditor hæreditatis petat: doli exceptio nocet. Nam ex quo reſcriptũ eſt à diuo Pio, vtiles actiones emptori hæreditatis dandas: meritò aduerſus venditorem hæreditatis exceptione doli mali debitor hæreditarius vti poteſt. Sed ſi inter dominum rei venditæ & emptorem conueniſſet: vt homo, qui emptus erat, redderetur ei, qui pro domino rem vendidit: petenti ei precium, doli exceptio nocebit. F

Obligatio quæ re contrahitur, non poteſt trahi vltra quàm peruenit. Bartolus.

XVII. PAVLVS *lib.* III. *ad edictum.*

SI tibi decem mutua dem, & paciſcar, vt mihi viginti debeantur: non naſcitur obligatio vltra decem. Re enim non poteſt obligatio contrahi, niſi quatenus datum eſt. Quædam actiones per pactum ipſo iure tolluntur:

luntur: vt iniuriarum, item furti. De pignore iure honorario nascitur ex pacto actio: tollitur autem per exceptionem, quoties paciscar, ne petam.

Pactum personale non porrigitur ad hæredem.

SI quis paciscatur, ne à se petatur: hæredi exceptio non proderit. Si pactus sim, ne à me, néve à Titio petatur: non proderit Titio, etiam si mihi hæres extiterit, quia ex post facto id confirmari non potest. Et hoc Iulianus scribit in patre, qui pactus erat, ne à se, néve à filia sua peteretur: cùm filia patris hæres exstitisset.

Pactum personale viuo paciscente porrigitur ad successorem in rem etiam titulo singulari. Bar.

A Pactum conuentum cum venditore factum, si in rem constituatur: secundum plurium sententiam & emptori prodest, & hoc iure vti nos Pomponius scribit. secundum autem Sabini sententiam, etiam si in personam cóceptũ est, in emptore valet. Idem existimat, & si per donationem successio facta sit. Cùm possessor alienæ hæreditatis pactus est: hæredi (si euicerit) neque nocere, neque prodesse, plerique putant.

B *Quandoque filius paciscitur directo patri, & hoc primo. quandoque filius paciscitur directo sibi.* Bar.

SI filius seruúsve paciscantur, ne à patre dominóve petatur:

XVIII. CAIVS *lib. I. ad edictum prouinciale.*

C SIue de eo paciscantur, quod cum ipsis: siue de eo, quod cum patre dominóve contractum est:

XIX. PAVLVS *lib. III. ad edictum.*

ADquirent exceptionem. Idem est & in his, qui bona fide seruiunt.

Pactum personale filii transit ad patrem & ad hæredem eius uiuo filio. Bar.

Item si filiusfamiliâs pactus fuerit, ne à se petatur: proderit ei, & patri quoque, si de peculio,

XX. CAIVS *lib. I. ad edictum prouinciale.*

VEl de in rem verso, vel quasi defensor filij (si hoc maluerit) conueniatur:

XXI. PAVLVS *lib. III. ad edictum.*

Et hæredi

ET hæredi patris viuo filio. poſt mortem verò filij: nec patri, nec hæredi eius, quia perſonale pactum eſt. Quòd ſi ſeruus, ne à ſe petatur, pactus fuerit: nihil valebit pactum. de doli exceptione videamus. Et quidē ſi in rem paciſcatur, proderit domino, & hæredi eius pacti conuenti exceptio. Quòd ſi in perſonam pactum cōceptum eſt: tunc domino doli ſupereſt exceptio. D

Si pater paciſcatur pro filio vt extraneo, non prodeſt filio: ſecus ſi filio ut filio. patri tamen proderit, ſi eſt actum. Bar.

Nos autem iis, qui in noſtra poteſtate ſunt, paciſcendo prodeſſe non poſſumus: ſed nobis id profuturum, ſi nomine eorum conueniamur, Proculus ait. quod ita rectè dicitur, ſi in paciſcendo id actum ſit. cæterùm ſi paciſcar, ne à Titio petas: deinde actionem aduerſum me nomine eius inſtituas: non eſt danda pacti conuenti exceptio. nam quod ipſi inutile eſt, nec defenſori competit. Iulianus quoque ſcribit, ſi pater pactus ſit, ne à ſe, néve à filio ſuo petatur: magis eſſe, vt pacti exceptio filiofamiliâs danda non ſit, ſed doli proſit. Filiafamiliâs paciſci poteſt, ne de dote agat, cùm ſui iuris eſſe cœperit. Item filiusfamiliâs, de eo, quod ſub conditione ſibi legatum eſt, rectè paciſcitur. E

Pactum in rem porrigitur ad omnes quorum pecuniariter intereſt, & ad quos porrigi intereſt pecuniariter paciſcentis: & pactum perſonale perſonam non egreditur. Bar.

In his, qui eiuſdem pecuniæ exactionem habent inſolidum, vel qui eiuſdem pecuniæ debitores ſunt: quatenus alij quoque proſit vel noceat pacti exceptio, quæritur. Et in rem pacta omnibus proſunt, quorum obligationem diſſolutam eſſe eius, qui paciſcebatur, interfuit. itaque debitoris conuentio fidedeiuſſoribus proficiet: F

XXII. VLPIANVS. *lib.* LIII. *ad edictum.*

NIſi hoc actū eſt, vt duntaxat à reo non petatur: tunc enim fideiuſſor exceptione non vtetur.

XXIII. PAVLVS *lib.* III. *ad edictum.*

FIdeiuſſoris autem conuentio non proderit reo: quia nihil intereſt eius à debitore pecuniam non peti. imò nec confideiuſſoribus proderit. neq; enim quoquo modo

modo cuiusque interest. Cum alio conuentio facta
A prodest, sed tunc demũ: cùm per eum, cui exceptio datur, principaliter ei, qui pactus est, proficiat: sicut in reo promittendi, & iis, qui pro eo obligati sunt:

XXIIII. IDEM *lib. IIII. ad Plautium.*

ET si fideiussor in rem suam spoponderit. hoc enim casu fideiussor pro reo accipiendus est: & pactum cum eo factum, cum reo factum esse videtur.

Pactum de non petendo factum vni ex duobus reis, prodest alteri si sua interest, non quod prosit alteri: & pactum personale non egreditur personam: & pactum fideiussoris ne petatur à reo, prodest reo quantum ad exceptionem doli: licet paciscentis non intersit pecuniariter: & hoc est propter connexitatem quam habet obligatio
B *fideiussoris cum obligatione rei.* Alex. de Imo.

XXV. IDEM *lib. III. ad edictum.*

IDem in duobus reis promittendi, & duobus argentariis sociis. Personale pactum ad alium non pertinere, quemadmodum nec ad hæredem, Labeo ait. Sed quamuis fideiussoris pactum reo non profit: plerunque tamen doli exceptionem reo profuturam, Iulianus scripsit:

XXVI. VLPIANVS *lib. IIII. ad edictum.*

VIdelicet si hoc actum est, ne à reo quoque petatur. idem & in confideiussoribus est.

Per pactum vel nouationem vnius ex duobus reis credendi so-
C *ciis, alteri praiudicari non potest. secus per solutionis receptionem, vel litis contestationem.* Bar.

XXVII. PAVLVS *lib. III. ad edictum.*

SI vnus ex argentariis sociis cum debitore pactus sit: an etiam alteri noceat exceptio? Neratius, Atilicinus, Proculus aiunt, nec si in rem pactus sit, alteri nocere. tantum enim constitutum, vt solidum alter petere possit. Idem Labeo. Nam nec nouare alium posse, quamuis ei rectè soluatur. sic enim & his, qui in nostra potestate sunt, rectè solui quod crediderint, licet nouare non possint: quod est verum. Idemque in duobus reis stipulandi dicendum est.

Exceptio pacti porrigitur ad fideiussores eatenus, quatenus competit principali. Item principalis potest pacisci fideiussori. Bar.

Si cum

Si cum reo ad certum tēpus pactio facta sit: vltrà neque reo, neque fideiussori proderit. Quòd si sine persona reus pepigerit, ne à fideiussore petatur: nihil id prodesse fideiussori quidam putant, quanquam id rei intersit: quod ea demum ei debeat competere exceptio, quæ & reo. Ego didici prodesse fideiussori exceptioné, non sic enim illi per liberam personā adquiri: quàm ipsi, qui pactus sit, consuli videtur. quo iure vtimur. D

Licet stipulatio per stipulationem tollatur ipso iure: tamē pactum liberatorium per secundum ope replicationis eliditur, si prima actio durat. sed si est extincta, per pactū non restituitur, sed in obligationibus quæ consensu contrahuntur, noua actio nascitur: & res de facili ad suam naturam reuertitur. Bartolus.

Pactus, ne peteret: postea conuênit, vt peteret. prius pactum per posterius elidetur: non quidem ipso iure, sicut tollitur stipulatio per stipulationé, si hoc actum est: quia in stipulationibus ius continetur, in pactis factum versatur. & ideo replicatione elidetur exceptio. Eadem ratione cōtingit, ne & fideiussoribus prius pactum prosit. Sed si pactum conuentum tale fuit, quod actionem quoque tolleret (veluti iniuriarum) non poterit postea paciscédo efficere, vt agi possit. quia & prima actio sublata est, & posterius pactum ad actionem reparandā inefficax est. non enim ex pacto iniuriarum actio nascitur, sed ex contumelia. Idem dicimus & in bonæ fidei contractibus, si pactum conuentum totam obligationem sustulerit, veluti empti. non enim ex nouo pacto prior obligatio resuscitatur: sed proficit pactum ad nouum contractum. Quod si non, vt tolleret totum contractum, pactum conuentum intercessit, sed vt minueret: posterius pactum potest renouare primum contractum. Quod & in specie dotis actionis procedere potest. puta pactam mulierem, vt præsente die dos redderetur: deinde pacisci, vt tempore ei legib9 dato dos reddatur. incipiet dos redire ad ius suum. Nec dicendum est, deteriorem conditioné dotis fieri per pactū. quoties enim ad ius, quod lex naturæ eius tribuit, de dote actio redit: nō fit caussa dotis deterior, sed formæ suæ redditur. hæc & Scæuolæ nostro placuerunt. E F

Dolus

Dolus futurus non potest remitti, secus in præterito. Bartolus.

A Illud nulla pactiōe effici potest, ne dolus malus præstetur: quāuis si quis paciscatur, ne depositi agat, vi ipsa id pactus videatur, ne de dolo agat: quod pactum proderit.

Pacta, quæ continent turpem caussam vel publicam vtilitatem, non sunt obseruanda. Bartolus.

Pacta, quæ turpem caussam continent, non sunt obseruāda: veluti si paciscar, ne furti agam, vel iniuriarū, si feceris. expedit enim timeri furti vel iniuriarum pœnam. Sed post admissa hæc pacisci possumus. Item ne experiar interdicto VNDE VI: quatenus publicam caussam contingit, pacisci non possumus. Et in summa: si pactum

B conuentum à re priuata remotum sit, non est seruandum. Ante omnia animaduertendum est: ne conuentio in alia re facta, aut cum alia persona, in alia re aliáve persona noceat. Si cùm mihi decem deberes, pepigero, ne à te viginti petam: in decem tibi prodesse pacti conuenti vel doli exceptionem placet. Item si cum viginti deberes, pepigerim, ne decem petā: efficere exceptionem mihi opponēdam, vt tantum reliqua decem exigere debeam. Sed si stipulatus decem aut Stichum, decem pactus sim, & petam Stichum aut decem: exceptionem pacti conuenti in totum obstaturam. Nam vt solutione, petitione, & acceptilatione vnius rei tota obligatio soluetur: ita quoque pacto conuento de vna re non petēdâ

C interpoſito, totam obligationem submoueri. Sed si id actum inter nos sit, ne decem mihi, sed Stichus præstetur: posse efficaciter de Sticho agi, nulla exceptione opponenda. idē est, & si de Sticho non petendo conuenerit. Sed si generaliter mihi hominem debeas, & paciscar, ne Stichū petam: Stichū quidem petēti pacti exceptio oppōnetur: alium autem hominem si petam, rectè agam.

Qui promisit non petere totum, remouetur à petitione cuiuslibet partis eius. Bartolus.

Item si pactus, ne hæreditatem peterem, singulas res vt hæres petam: ex eo, quod pactum erit, pacti conuenti exceptio aptanda erit. Quemadmodum si conuenerit, ne fundum peterem, & vsumfructum petam: aut ne na-

nim

uim ædificiúmve peterem, & dissolutis iis, singulas res petam. nisi specialiter aliud actum est. D

In pactis liberatoriis si non valet quod ago vt ago, valet vt valere potest. Bartolus.

Si acceptilatio inutilis fuit: tacita pactione id actum videtur, ne peteretur. Seruus hæredi pòst adituro nominatim pacisci non potest, quòd nondũ dominus is sit: sed si in rem pactum conuentum factum sit, hæredi adquiri potest.

Pupillus paciscendo non potest suam conditionem deteriorem facere, sed meliorem. Bartolus.

XXVIII. CAIVS *lib. I. ad edictum prouinciale.*

Contra iuris ciuilis regulas pacta cõuenta rata non habentur: veluti si pupillus sine tutoris authoritate pactus sit, ne à debitore suo peteret, aut ne intra certum tempus (veluti quinquẽnium) peteret. nam nec solui ei sine tutoris authoritate potest. Ex diuerso autem si pupillus paciscatur, ne quod debet, à se petatur: ratum habetur pactum conuentum. quia meliorem conditionem suam facere ei, etiam sine tutoris authoritate concessum est. Si curator furiosi aut prodigi pactus sit, ne à furioso aut prodigo peteretur: longè vtile est, curatoris pactionem recipi, sed non contrà. Si filius aut seruus pactus sit, ne ipse peteret: inutile est pactum. Si verò in rem pacti sunt, id est ne ea pecunia peteretur: ita pactio eorum rata habẽda erit aduersus patrem dominúmve, si liberam peculij administrationem habeãt: & si ea res, de qua pacti sunt, peculiaris sit. Quod & ipsum non est expeditum. Nam cùm verum est, quod & Iuliano placet: etiam si maximè quis administrationem peculij habeat concessam, donandi ius eum non habere: sequitur, vt si donandi caussa de non petenda pecunia pactus sit, non debeat ratum haberi pactum conuentum. Quod si pro eo, vt ita pacisceretur: aliquid, in quo nó minus, vel etiam amplius esset, consecutus fuerit: rata habenda est pactio. E F

XXIX. VLPIANVS *lib. IIII. ad edictum.*

Sin autem dominicam pecuniam crediderit: quod credendi tempore pactus est, valere Celsus ait.

XXX.

XXX. CAIVS *lib. 1. ad edictum prouinciale.*

A IN persona tamen filiifamiliâs videndum est : ne aliquãdo, & si pactus sit, ne ageret; valeat pactio: quia aliquando filiusfamiliâs habet actionem, veluti iniuriarum. Sed cùm per iniuriam filio factam, habeat & pater actionem: quin pactio filij nocitura nõ sit patri agere volenti, dubitare non oportet.

Per stipulationem nouãdi animo interpositam prima tollitur vel eliditur, si sequens committitur, vel committi posse speratur. aliàs secus. Bartolus.

Qui pecuniam à seruo stipulatus est, quam sibi Titius debebat, si à Titio petat: an exceptione pacti conuenti submoueri & possit & debeat: quia pactus videtur, ne à

B Titio petat: quæsitum est? Iulianus ita submouẽdum putat, si stipulatori in dominum istius serui de peculio actio danda est: id est, si iustam caussam intercedendi seruus habuit, quia fortè tantandẽ pecuniam Titio debuit.

Quod si quasi fideiussor interuenit ex caussa, qua in peculium actio non daretur : non esse inhibendum creditorem, quominus à Titio petat. Aequè nullo modo prohiberi eum debere, si eum seruum liberum esse credidisset. Si sub conditione stipulatus fuerim à te, quod mihi Titius purè debebat: an deficiente conditione, si à Titio petam, exceptione pacti conuenti & possim & debeam submoueri? & magis est, exceptionem non esse opponendam.

C

Contra tenorem legis priuatam vtilitatem continentis pacisci licet. Bartolus.

XXXI. VLPIANVS *lib. 1. ad edict. Aediliũ Curulium.*

PAcisci contra edictũ ædilium curulium omnimodo licet: siue in ipso negocio venditionis gerendo conuenisset, siue postea.

Cessante ratione legis, cessat ipsa lex.

XXXII. PAVLVS *lib. III. ad Plautium.*

QVod dictum est: si cum reo pactum sit, vt non petatur; fideiussori quoque competere exceptionem: propter rei personã placuit, ne mãdati iudicio cõueniatur. Igitur si mãdati actio nulla sit (fortè si donãdi animo fideiusserit) dicendum est, non prodesse exceptionem

ptionem fideiussori.

Per pactum liberatorum potest quis uni ex haredibus prouidere. Bartolus. D

XXXIII. CELSVS *lib.* I. *Digestorum.*

Ca.10. de pact.dota. AVus neptis nomine, quam ex filio habebat, dotem promisit: & pactus est, ne à se, néve à filio suo dos peteretur. si à cohærede filij dos peteretur: ipse quidem exceptione conuentionis tuendus non erit: filius verò exceptione conuentionis rectè vtetur. quippe hæredi consuli concessum est. nec quicquam obstat: vni tantum ex hæredibus prouidere, si hæres factus sit: cæteris autem non consuli.

XXXIIII. MODESTINVS *lib.* V. *Regularum.*

IVs auté adgnationis non posse pacto repudiari: nõ magis, q̃ vt dicat, quis nolle suũ esse: Iuliani sentétia est. E

Ad species de nouo repertas, dolo contrahentium in diuisione non comprehensas, generalis quietatio nõ porrigitur in effectu. Bartolus.

XXXV. IDEM *lib.* II. *Responsorum.*

TRes fratres Titius, Mæuius, & Seia cõmunem hæreditatem inter se diuiserunt: instrumentis interpositis, quibus diuisisse maternam hæreditatẽ dixerunt, nihilque sibi commune remansisse cauerunt. Sed postea duo de fratribus, id est, Mæuius, & Seia, qui absentes erant tempore mortis matris suæ: cognouerunt pecuniam auream à fratre suo esse subtractã, cuius nulla mentio in instruméto diuisionis cõtinebatur. Quæro an post pactũ diuisionis, de subtracta pecunia, fratrib⁹ aduersus fratrẽ competat actio? MODESTINVS respondit, si agentibus ob portionem eius, quod subreptum à Titio dicitur: generalis pacti conuenti exceptio iis, qui fraudem à Titio commissam ignorantes transegerunt, obiiciatur: de dolo vtiliter replicari posse. F

Pactum de soluendo alteri, inducit exceptionem solutione secuta: vel si per eum non stat cuius gratia pactum fuit appositum. Bar.

XXXVI. PROCVLVS *lib.* V. *ἐπιστολῶν.*

SI cùm fundũ meum possideres, conuenisset mihi tecum, vt eius possessionem Titio traderes: vindicantem eum fundum à te, non aliter me conuentionis exceptione excludi debere: quàm si aut iam antè tradidisses: aut si

aut si tua caussa, id inter nos cōuenisset, & per te nō sta-
A ret, quò minus iam traderes.

Administratores Reip. nō possunt quem liberare pacto gratuito. B.

XXXVII. PAPYRIVS IVSTVS *lib.* II. *Constitutionum.*

IMperatores Antoninus & Verus rescripserunt: debitori reipublicæ à curatore remitti pecunias nō posse: & cum Philippensibus remissæ essent, reuocandas.

XXXVIII. PAPINIANVS *lib.* II. *Quæstionum.*

IVs publicum priuatorum pactis mutari non potest.

Ambigua conuentio interpretatur contra eum pro quo profertur. Bartolus.

XXXIX. IDEM. *lib.* V. *Quæstionum.*

B VEteribus placet: pactionem obscuram, vel ambiguam venditori, & qui locauit, nocere: in quorum fuit potestate, legem apertius conscribere.

Confessio sine caussa etiam extra iudicium, ad liberandum dispositionem inducit. Bartolus.

XL. IDEM *lib.* V. *Responsorum.*

TAle pactum PROFITEOR TE NON TENERI, non in personam dirigitur: sed cùm generale sit, locum inter hæredes quoque litigantes habebit.

Qui prouocauit, pactus est: intra diem certum pecunia, qua transegerat, non soluta: iudicatis se satisfacturum, iudex appellationis, nullo alio de principali caus-
C sa discusso, iustā conuentionē, veluti confessi, sequetur.

Perceptio vsurarum ab vno non perimit actionem aduersus alios competentem insolidum. Bartolus.

Post diuisionem bonorum & æris alieni, singuli creditores à singulis hæredibus, non interpositis delegationibus, insolidum (vt conuenerat) vsuras acceptauerunt. actiones, quas aduersus omnes pro partibus habent, impediendæ non erunt: si non singuli pro fide rei gestæ, totum debitum singulis offerant.

Pactum factum vni qui solus recessurus sperabatur, prodest aliis præter ipsum succedentibus. Bartolus.

Pater, qui dotem promisit: pactus est, vt post mortem suā in matrimonio sine liberis defuncta filia, portio dotis apud hæredem suum fratrem maneret. ea conuentio

liberis à socero postea susceptis,& hæredibus testamen to relictis,per exceptioné doli proderit: cùm inter cótrahentes,id actum sit, vt hæredibus consulatur: & illo tempore, quo pater alios nõ habuit: in fratrem suum iudicium supremum contulisse videatur. D

Ex pacto de liberando impleta conditione,non competit actio.sed exceptio.Bartolus.

XLI. IDEM *lib.* XI. *Responsorum.*

SI intra illum diem debiti partem mihi solueris, accéptum tibi residuum feram,& te liberabo.licet actionem non habeat,pacti tamen exceptionem cópetere debitori constat.

Pactum priuatorum iuri publico non praiudicat.Bartolus.

XLII. IDEM *lib.* XVII. *Responsorum.* E

INter debitorem & creditorem conuenerat: vt creditor onus tributi prædij pignorati non agnosceret,sed eius soluendi necessitas debitoré spectaret. Talem conuentionem,quantum ad fisci rationem, non esse seruandam respódi. pactis etenim priuatorum formam iuris fiscalis conuelli non placuit.

Contrahentes tenentur ad naturalia cótractus,nisi aliud actum sit.Bartolus.

XLIII. PAVLVS *lib.* V. *Quaestionum.*

IN emptionibus scimus,quid prę̃stare véditor debeat, quidq́ue ex cõtrario emptor. quòd si in contrahendo aliquid exceptum fuerit,id seruari debebit. F

Tutor idémque creditor debet esse contentus ea parte, ad quam creditores alios reuocauit.Bartolus.

XLIIII. SCAEVOLA *lib.* II. *Responsorum.*

CVm in eo esset pupillus, vt ab hæreditate patris abstineretur: tutor cum plerisq; creditoribus decîdit,vt certam portionem acciperent. Quæro,an & tutor idémque creditor patris,eandem portionem retinere debeat? Respondi.eum tutorem, qui cæteros ad portionem vocaret,eadem parte contentum esse debere.

Conuentio nuda non sufficit ad agendum nisi vestiatur traditione vel stipulatione.Paulus de cast.

XLV. HERMOGENIANVS *li.* II. *Iuris* ἐπιτομῶν.

DIuisionis placitum, nisi traditione, vel stipulatione su-

ne sumat effectum: ad actionem, tãquam nudum pactum, nulli prodesse poterit.

A *Potest testator & possunt contrahentes renunciare iuribus pro se introductis.*

XLVI. TRIPHONINVS. *lib.* 11. *Disputationum.*

PActum inter hæredem & legatarium factum, ne ab eo satis accipiatur (cũ in Semestribus relata est constitutio diui Marci, seruari in hoc quoque defuncti voluntatem) validum esse constat: nec à legatario remissa hæredi satisdatio per pactionem, ex pœnitentia reuocari debet: cùm liceat sui iuris persecutioné, aut spem futuræ perceptionis deteriorem constituere.

Si emptio fuerit stipulatione vallata, ab ea nudo consensu non receditur: & pacta vltima sunt seruanda. Bartolus. B

XLVII. SCAEVOLA *lib.* I. *Digestorum.*

EMptor prædij viginti cauerat se soluturum, & stipulanti spoponderat. postea venditor cauerat sibi conuenisse, vt contentus esset tredecim, & vt ea intra præfinita tempora acciperet. debitor ad eorum solutionem conuentus, pactus est: si ea soluta intra præfinitum tempus non essent, vt ex prima cautione ab eo petitio esset. Quæsitum est, an cùm posteriori pacto satisfactum non sit: omne debitum ex prima cautione peti possit? Respondi secundum ea, quæ proponerentur posse.

Liberatio generalis restringitur ad ea de quibus est actum. Bar.

C L. Titius C. Seium numulariũ, cũ quo rationé implicitam habebat: propter accepta & data debitorem sibi constituit, & ab eo epistolam accepit in hæc verba. EX RATIONE MENSAE, QVAM MECVM HABVISTI VSQVE IN HVNC DIEM EX CONTRACTIBVS PLVRIMIS, REMANSERVNT APVD ME AD MENSAM MEAM TRECENTA ET OCTOGINTA SEX, ET VSVRAE, QVAE COMPETIERVNT. SVMMAM AVREORVM, QVAM APVD ME TACITAM HABES, REFVNDAM TIBI. SI QVOD INSTRVMENTVM À TE EMISSVM, CVIVSCVNQVE SVMMAE EX QVACVNQVE CAVSSA APVD ME REMANSIT: VANVM ET PRO

CANCELLATO HABEBITVR. Quæsitum est, cùm L. Titius ante hoc chirographum C. Seio numulario mandauerat, vt patrono eius trecenta redderet: an propter illa verba epistolæ, quibus omnes cautiones ex quocunque contractu vanæ & pro cancellatis vt haberentur, cautum est: neque ipse, neque filius eius eo nomine conueniri possit? Respondi. si tantum ratio accepti atque expensi esset computata: cæteras obligationes manere in sua caussa. D

XLVIII. CAIVS *lib.* III. *ad* L. XII. *tabularum.*

IN traditionibus rerum quodcunque pactum sit, id valere manifestissimum est.

Valet pactum ne quis conueniatur vltra quàm facere possit. B.

XLIX. VLPIANVS *lib.* XXXVI. *ad Sabinum.* E

SIquis crediderit pecuniam, & pactus sit, vt quatenus facere possit debitor, eatenus agat: an pactū valeat? & magis est, hoc pactum valere. nec enim improbum, & si quis hactenus desideret conueniri, quatenus facultates patiuntur.

Quod fit per legem, potest fieri per pactum. Bartolus.

L. IDEM *lib.* XLII. *ad Sabinum.*

NOn impossibile puto in contractibus depositi, commodati, locati, & cæteris similibus hoc pactū: NE FACIAS FVREM, VEL FVGITIVVM SERVVM MEVM: hoc est, ne sollicites, vt fur fiat, vel fugitiuus fiat: ne ita negligas seruū, vt fur efficiatur. Sicut enim serui corrupti actio locum habet: ita potest etiam hæc pactio locum habere, quæ ad non corrūpendos seruos pertinet. F

Pactū factū per errorē caussæ, actionem in effectu non perimit. B.

LI. IDEM *lib.* XXVI. *ad edictum.*

SI cū te ex caussa legati debere debitori tuo existimares, pactus sis, ne ab eo peteres: neq; iure ipso liberabitur debitor, neq; petentē submouebit exceptione conuentionis, vt Celsus libro vicesimo scribit. Idem eodem loco scribit: si debitorē tuum iussisti soluere Titio, cui legatū falso debere existimabas, & debitor pactus sit cū Titio suo debitore cōstituto: neque tibi aduersus tuum debitorē, neq; ipsi aduersus suum actionē peremptam.

Verba

Verba enunciatiua emissa propter aliud, dispositionem non inducunt. Bartolus.

A LII. IDEM *lib. III. Opinionum.*

EPistola, qua quis cohæredem sibi aliquem cauit: petitionem nullam aduersus possessorem rerum hæreditariarum dabit. Si inter debitorem & eum, qui fundum pignoratum à creditore, quasi debitoris negocium gerens, emit: placuerit, vt habita cõpensatione fructuum, solutóq; eo, quod reliquũ deberetur, fundus debitori restitueretur: etiam hæres pacto, quod defunctus fecit, fidem præstare debet.

Pactum circa solutionem tributorum valet inter priuatos quò ad ipsos tantum.

B Pactũ, vt si quas summas propter tributiones prædij pignori nexi factas creditor soluisset, à debitore reciperet: & vt tributa eiusdem prædij debitor penderet: iustum est, & ideo seruandum.

Pactum personale non extenditur ad hæredes. Bartolus.

De inofficioso patris testamento acturus: vt ei certa quantitas, quoad viueret hæres, præstaretur: pactus est. produci ad perpetuam præstationẽ id pactum postulabatur. rescriptum est: neque iure vllo, neque æquitate tale desiderium admitti.

Pactum de reddendis sumptibus valet, secus in pacto facto de quota litis. Bartolus.

C LIII. IDEM. *lib. IIII. Opinionum.*

SVmptus quidem prorogare litigãti, honestum est: paciscі autem, vt non quantitas eo nomine expẽsa cum vsuris licitis restituatur, sed pars dimidia eius, quod ex ea lite datum erit: non licet.

Non est in mora qui potest exceptione legitima se tueri. Bart.

LIIII. SCAEVOLA *apud* Iulianum *lib. vicensimo-secundo notat.*

SI pactus sim, ne Stichũ, qui mihi debebatur, petam: non intelligi moram fieri: mortuóque Sticho, nõ teneri reum, qui ante pactum moram non fecerat.

Per seruum in quo habemus vsumfructum, acquiritur nobis exceptio & replicatio. Bartolus.

LV. IVLIANVS *lib. XXXV. Digestorum.*

i iij Si de-

SI debitor sit fructuarius: & paciscatur seruus, in quo vsumfructum habet, ne ab eo petatur: pacifcẽdo meliorẽ cõditionem eius facit. Ita & si creditor esset fructuarius, & pactus esset, ne peteret: seruus autẽ fructuarius pacisceretur, vt peteret: beneficio pacti, quod seruus interposuisset, vtiliter ad petitionem admitteretur. D

Ex caussa potest vna pars contractus tolli alia remanente. Bar.

LVI. IDEM *lib.* VI. *ad Minicium.*

SI conuenerit, ne dominus à colono quid petat, & iusta caussa conuentionis fuerit: nihilominus colonus à domino petere potest.

Pro tempore pro quo vsura soluitur, tacitum pactum de non petendo inducitur. Bartolus.

LVII. FLORENTINVS *lib.* VIII. *Institutionũ.* E

QVi in futurũ vsuras à debitore acceperit: tacitè pactus videtur, ne intra id tẽpus sorte petat.

Ex ea parte qua pactũ est in personã, nõ porrigitur ad hæredẽ. B.

Si ex altera parte in rem, ex altera in personam pactũ conceptum fuerit: veluti ne ego petam, vel ne à te petatur: & hæres meus ab omnibus vobis petitionẽ habebit, & ab hærede tuo omnes petere poterimus.

Contractus qui consensu celebrantur, solo consensu dissoluuntur re integra. aliàs non nisi actus retro similis intercesserit.

LVIII. NERATIVS *lib.* III. *Membranarum.*

AB emptione, venditione, locatione, cõductione, cæterísq; similibus obligationibus: quin integris omnibus, consensu eorum, qui inter se obligati sunt, recedi possit: dubium non est. Aristoni hoc amplius videbatur. si ea, quæ me ex empto præstare tibi oporteret, præstitissem: & cùm tu mihi precium deberes, conuenisset mihi tecum, vt rursum præstitis à te in rem venditam omnibus, quæ ego tibi præstitissem, precium mihi nõ dares: túq; mihi præstitisses: precium te debere desinere. quia bonæ fidei, ad quam omnia hæc rediguntur, interpretatio hanc quoq; conuentionẽ admitteret. Nec quicquam interesse: vtrũ integris omnib⁹ in quibus obligati essemus, cõueniret, vt ab eo negocio discederetur: an in integrũ restitutis iis, quæ ego tibi præstitissem, cõsentiremus: F

remus: ne quid tu mihi eo nomine præſtares. Illud plane
A nè conuentione, quæ pertinet ad reſoluendum id, quod actum eſt, perfici non poteſt: vt tu, quod iam ego tibi præſtiti, contrà præſtare mihi cogaris. quia eo modo nō tam hoc agitur, vt à priſtino negocio diſcedamus: quàm vt nouæ quædam obligationes inter nos conſtituantur.

Quorum ſtipulatione nobis adquiritur, & pacto. Bart.

LIX. PAVLVS *lib.* VI. *Regularum.*

PEr quos adquiri nobis ſtipulationibus poteſt: per eoſdem pactis conuentis meliorem conditionem noſtram fieri poſſe placet.

LX. PAPYRIVS IVSTVS *lib.* VIII. *Conſtitutionum.*

B IMperator Antoninus Auidio Caſſio reſcripſit. Si creditores parati ſint, partē ex bonis (licet ab extraneo) conſequi: rationem habendam prius neceſſariarum perſonarum, ſi idoneæ ſint.

Pactum de non alienando rem propriam non valet. Bart.

LXI. POMPONIVS *lib.* IIII. *ad Sabinum.*

NEmo paciſcendo efficere poteſt, ne ſibi locum ſuū dedicare liceat: aut ne ſibi in ſuo ſepelire mortuū liceat: aut ne vicino inuito prædium alienet.

Pactū principale nō præiudicat defenſioni iā fideiuſſori quæſitæ.

LXII. FVRIVS ANTHINVS *lib.* I. *ad edictum.*

SI reus, poſtquàm pactus eſt à ſe non peti pecuniam,
C ideoque cœpit id pactum fideiuſſori quoque prodeſſe: pactus ſit, vt à ſe peti liceat: an vtilitas prioris pacti ſublata ſit fideiuſſori, quæſitum eſt? Sed verius eſt, ſemel adquiſitam fideiuſſori exceptionem pacti vlteri' inuito extorqueri non poſſe.

DE TRANSACTIONIBVS. Tit. XV.

VLPIANVS *lib.* L. *ad edictum.*

QVI trāſigit, quaſi de re dubia, & lite incerta, neque finita trāſigit: qui verò paciſcitur, donationis cauſſa rem certam, & indubitatam liberalitate remittit.

Tranſactio fit per pactum ſimplex, & per acceptilationem.

II. IDEM *lib. LXX. ad edictum.*

TRansactum accipere quis potest, non solum si Aquiliana stipulatio fuerit subiecta, sed & si pactũ conuentum fuerit factum. D

Transactio inter scriptum hæredem & venientem ab intestato, legatariis non praeiudicat. Bart.

III. SCAEVOLA *lib. I. Digestorum.*

IMperatores Antoninus & Verus ita rescripserunt. Priuatis pactionibus non dubium est, non lædi ius cæterorum. quare transactione, quæ inter hæredem & matrem defuncti facta est: neque testamentum rescissum videri potest: neque manumissis, vel legatariis actiones suæ ademptæ sunt. Quare quidquid ex testamento petunt, scriptum hæredem conuenire debent: qui in transactione hæreditatis, aut cauit sibi pro oneribus hæreditariis: aut si non cauit, non debet negligentiam suam ad alienam iniuriam referre. E

Transactio non porrigitur ad codicillos postea repertos.

Cùm transactio propter fideicommissum facta esset, postea codicilli reperti sunt. quæro: an quãto minùs ex transactione consecuta mater defuncti fuerit, quàm pro parte sua est: id ex fideicommissi caussa consequi debeat? respondi debere.

Transactio facta cum putatiuo hærede, ad verum hæredem non porrigitur. Bart.

Debitor, cuius pignus creditor distraxerat: cum Mæuio, qui se legitimum creditoris hæredem esse iactabat, minimo transegit. postea testamento prolato, Septitium hæredem esse apparuit. quæsitum est: si agat pignoraticia debitor cũ Septitio, an is vti possit exceptione trãsactionis factæ cum Mæuio, qui hæres eo tempore non fuerit: possitq́ue Septitius pecuniam, quæ Mæuio vt hæredi à debitore numerata fuit, cõdictiõe repetere, quasi sub prætextu hæreditatis acceptam? Respondi secundũ ea, quæ proponerentur, nõ posse: quia neque cũ eo ipse transegit, neq; negociũ Septitij Mæuius gerẽs accepit. F

Per Aquilianam stipulationem omnes obligationes tolluntur, si hoc actum est: sed in dubio non tolluntur nisi illa de quibus est cogitatum. Bart.

IIII.

IIII. VLPIANVS *lib.* XLVI. *ad Sabinum*

A Aquiliana stipulatio omnino omnes præcedétes obligationes nouat, & perimit: ipsaque perimitur per acceptilationem, & hoc iure vtimur. ideoque & legata sub códitione relicta, in stipulationem Aquilianam deducuntur.

V. PAPINIANVS *lib.* I. *Definitionum.*

Cum Aquiliana stipulatio interponitur, quæ ex cõsensu redditur: lites, de quibus non est cogitatum, in suo statu retinentur. liberalitaté enim captiosam interpretatio prudentium fregit.

Super dependentibus ex vltima voluntate non potest transigi, nisi veritate reperta per inspectionem vel cognitionem vltima voluntatis. Paulus.

B

VI. CAIVS *lib.* XVII. *ad edictum prouinciale.*

De iis controuersiis, quę ex testamento proficiscũtur: neque transigi, neq; exquiri veritas aliter potest, quàm inspectis cognitisque verbis testamenti.

Si de iuribus sententia dubitetur, potest transigi. Bart.

VII. VLPIANVS *lib.* VII. *Disputationum.*

Et post rem iudicatam transactio valet: si vel appellatio intercesserit, vel appellari potuerit.

Transactio facta cum principali, prodest fideiussori etiam condẽnato. Item solutum ex caussa transactionis inualidæ, in debiti solutionem conuertitur.

C Si fideiussor conuentus & cõdénatus fuisset, & mox reus transegisset cum eo, cui erat fideiussor condemnatus: an transactio valeat, quæritur? puto valere: quasi omni caussa, & aduersus reum, & aduersus fideiussorem dissoluta. Si tamen ipse fideiussor condemnatus transegit: & si transactio nó perimit rem iudicatam: tamen eo, quod datum est, releuari rem iudicatam oportet. Vsque adeo autem quod datum est, etiam si nó proficit ad trãsactionem, extenuat tamen rem iudicatam: vt inde sit & edictum & rescriptum, circa alimentorum transactioné citra prætoris authoritatem factam, vt quod datum est, proficiat ad alimenta: ita vt si quid amplius ex caussa alimentorum deberi potest, id præstetur: quod autem datum est, imputetur.

Super

Super alimentis relictis non potest transigi nisi caussa cognita Pratore authorante. Bart.

VIII. IDEM *lib. V. de omnibus tribunalibus.* D

CVm hi, quibus alimenta relicta erant, facilè transigerent, contenti modico præsente: diuus Marcus oratione in senatu recitata effecit, ne aliter alimentorũ transactio rata esset, quàm authore prætore facta. Solet igitur prætor interuenire, & inter consentientes arbitrari: an transactio, vel quæ admitti debeat. Eiusdẽ prætoris notio ob trãsactionem erit: siue habitatio, siue vestiarium, siue de prædiis alimentum legabitur. Hæc oratio pertinet ad alimenta, quæ testamento vel codicillis fuerint relicta. Idem erit dicendum, & si mortis caussa donata sint: vel ab eo, cui mortis caussa donata sint, relicta. Sed & si conditionis implendæ gratia relicta sunt: adhuc idem dicemus. E Planè de alimentis, quæ non mortis caussa data sunt, licebit & sine prætore authore transigere. Siue igitur in mẽses, singulos, siue in dies, siue in annos fuerint relicta: oratio locum habet. Sed & si non fuerint perpetuò relicta, sed vsque ad annos certos: idem est. Si integra quantitas alicui fuerit legata, vt ex vsuris eius se alat, & mortis tempore pecunias restituat: non cessabit oratio, licet non in annos singulos videatur id relictum. Sed & si sit certa quantitas relicta Titio, vel res, ita vt inde alimenta Seio præstentur: magis est, vt transigere possit. nec enim transa- F ctione Titij minuuntur alimenta Seij. Idemque est, & si per fideicommissum alimenta ad hoc legatario fuerint relicta. Eam transactionem oratio improbat, quæ idcirco fit, vt quis repræsentatam pecuniam consumat.

Quid ergo si quis citra prætoris authoritatem trãsegerit, vt quod per singulos annos ei relictum erat, consequeretur per singulos menses: aut quod per singulos menses ei relictum erat, mox consequeretur per singulos dies? Quid deinde si ita quod cõsummato anno acciperet, vt initio anni consequeretur? & puto eam trãsactionem valere: quia meliorem conditionem suam tali transactione alimentarius facit, noluit enim oratio alimenta per transactionem intercipi. Nihil autem interest:

tereſt: vtrum libertini ſint, quibus aliméta relicta ſunt,
A an ingenui: ſatis locupletes, an minùs. Vult igitur oratio apud prætorem de iſtis queri: in primis de cauſſa transactionis, deinde de modo, tertio de perſonis transigentium. In cauſſa erit inquirendum, quæ cauſſa ſit transigendi. ſine cauſſa enim neminem tranſigentem audiet prætor. Cauſſæ huiuſmodi ferè ſolent allegari. ſi alibi domicilium hæres, alibi alimentarius habeat: aut ſi deſtinet domicilium transferre alteruter eorum: aut ſi cauſſa aliqua vrgeat præſentis pecuniæ: aut ſi à pluribus ei alimenta relicta ſint, & minutatim ſingulos conuenire difficile ei ſit: aut ſi alia qua cauſſa ſit (vt plures ſolent incidere:) quæ prætori ſuadeat trāſactionem admittere.
B Modus quoque pecuniæ, qui in transactionem venit, æſtimandus eſt: vtputa quantitas transactionis. nam etiam ex modo fides transactionis æſtimabitur. Modus autem pro ætate eius, qui tranſigit, arbitrandus eſt, & valetudine. nam aliter cum puero, aliter cum iuuene, aliter cum ſene tranſigi palam eſt. conſtat enim alimenta cum vita finiri. Sed & perſonarum contemplatio habenda eſt: hoc eſt cuius vitę ſint hi, quibus aliméta relicta ſunt: vtrum frugi vitę, & qui aliâs ſufficere ſibi poſſint: an ſequioris, qui de alimentis pendeant. In perſona autem eius, à quo alimenta relicta ſunt, hæc oportet ſpectanda: in quibus facultatibus ſit, cuius propo-
C ſiti, cuiuſque opinionis. tunc enim apparebit, nunquid circumuenire velit eum, cum quo tranſigit. Qui tranſigit de alimentis, non videbitur neque de habitatione, neque de veſtiario transegiſſe: cùm diuus Marcus etiā ſpecialiter de iſtis tranſigi voluerit. Sed & ſi quis de alimentis transegerit: non habebit neceſſe, etiam de habitatione, vel cæteris inuitus tranſigere. poterit igitur vel de omnibus ſimul, vel de quibuſdam facere transactioné. De calceario quoq; arbitrio prætoris tranſigendū eſt. Si vni pluribúsve fundus ad alimenta fuerit relictus, velintq; eū diſtrahere: neceſſe eſt prætoré de eius diſtractione & transactione arbitrari. Sed & ſi pluribus fundus ad aliméta fuerit relictus, & ij inter ſe trāſigant: ſine prætoris authoritate facta trāſactio rata eſſe nō debet. Idem

bet. Idē eſt, & ſi ager in alimēta fuerit obligatus. nā nec pignus ad hoc datum, inconſulto prætore poterit liberari. Arbitratu prætoris vel de vniuerſis alimentis, vel de parte eorum tranſigi oportere, pluſquam manifeſtū eſt. Si prætor aditus citra cauſſę cognitionem, tranſigi permiſerit: tranſactio nullius erit momenti. prætori enim ea res quærenda commiſſa eſt, non negligenda, nec donanda. Sed & ſi non de omnibus inquiſierit, quæ oratio mandat: hoc eſt de cauſſa, de modo, de perſonis tranſigentium: dicendum eſt, quamuis de quibuſdam quæſierit, tranſactionem eſſe irritam. D

Ea quæ ſunt miſti imperii, non delegantur. Bartolus.

Sed nec mādare ex hac cauſſa iuriſdictioné, vel pręſes prouinciæ, vel prætor poterit. E

Ad authorandum in tranſactione ille eſt iudex competens, coram quo cauſa agitur. Bartolus.

Tranſactiones alimentorum etiam apud procuratoré Cæſaris fieri poſſunt, ſi à fiſco petantur alimenta. ſecundum quæ apud præfectos ærarij trāſigi poteſt. Si cùm lis quidem eſſet de alimentis, tranſactum autem de lite fuiſſet: tranſactio valere inconſulto prætore non poteſt, ne circumueniatur oratio. fingi enim lites poterunt, vt tranſactio etiam citra prætoris fiat authoritatem.

Solutum ob tranſactionem inualidam, conuertitur in aliud debitum, velut alimenta præterita: aliàs vt indebitum repetitur. Bartolus. F

Si eidem alimenta, & præterea legatum præſente die datum ſit, & tranſactum fuerit citra prætoris authoritatem: id quod datū eſt, imputabitur prius in legatū, quod præſente die datum eſt: ſuperfluum in alimentariā cauſſam eſt. Si quis de alimentis trāſegit ſine prætoris authoritate: id quod datū eſt, in præterita alimenta cedet. nec intereſt, tantum in quantitate ſit debita, quātum datum eſt: an minus, an etiam plus. nam & ſi minus ſit: adhuc tamé id, quod in ſolutū datum eſt, in præterita alimenta imputabitur. Sané ſi is, qui de alimentis tranſegit, locupletior factus ſit ea ſolutione: in quod factus eſt locupletior, æquiſſimū erit eius in eum dari repetitioné. nec enim debet ex alieno dāno eſſe locupletior.

In relicto

In relicto annuo facto locupleti, non habet locum transactio: secus si fiat pauperi. Bartolus.

A Si in singulos annos certa quantitas alicui fuerit relicta: veluti homini honestioris loci salarium annuum, vel vsusfructus: trãsactio etiã sine prętore fieri poterit. Cæterũ si vsusfructus vel modicus alimentorũ vice sit relictus: dico transactionem citra prætorem factã, nullius esse momenti. Si cui nõ numus ad alimenta, sed frumentum atque oleum & cætera, quæ ad victum sunt necessaria, fuerint relicta: non poterit de his transigere, siue annua, siue menstrua ei relinquantur. Si tamen ita sine prætore transegerit, vt in vicem eorum numũ quotannis vel quot mensibus acciperet: & neque diem, neque modum permutauit, sed tantũ genus: vel ex contrario si pactus fuerit, vt in generibus alimenta acciperet, quæ in numis ei relicta fuissent: vel si vinum pro oleo, vel oleum pro vino, vel quid aliud cõmutauit. velut si locum permutauit, vt quæ erant ei Romæ alimenta relicta, in municipio vel in prouincia acciperet, vel contrà: vel personã vt quod à pluribus erat accepturus, ab vno acciperet: vel alium pro alio debitorem acciperet. hæc omnia habent disceptationem prætoris, & pro vtilitate alimentarij accipienda sunt. Si ad habitationem certa sit quantitas annua relicta: & ita sit transactum sine prætore, vt habitatio præstetur: valet transactio, quia fructus habitationis præstatur: licet ruinæ vel incẽdio subiecta transactio est. Per contrariũ quoque si pro habitatione, quæ erat relicta, placuit certam quantitatem præstari: transactio rata est, etiam citra prætorem.

(B and C marginal letters appear beside the lines "que modum permutauit" and "fructus habitationis" respectively.)

Transactio non porrigitur, ad ius postea ex successione ab intestato proueniens. Bartolus.

IX. IDEM *lib.* I. *Opinionum.*

QVi cum tutorib⁹ suis de sola portione administratæ tutelæ suæ egerat, & transgerat: aduersus eosdẽ tutores ex persona fratris sui, cui hæres exstiterat, agens: præscriptione factæ transactionis non submouetur. Transactio enim (quæcunque sit) de his tantum, de quibus inter conuenientes placuit, interposita creditur.

Transactio

Transactio non porrigitur ad ea quæ dolo alterius partis celantur. Bartolus.

Qui per fallaciam cohæredis, ignorans vniuersa, quæ in vero erant, instrumentum transactionis sine Aquiliana stipulatione interposuit: non tam paciscitur, quàm decipitur. D

Generalis transactio porrigitur ad ea de quibus esse actum per excipientem probatur. Bartolus.

Ei qui nondum certus ad se querelam contra patris testamentum pertinere, de aliis caussis cum aduersariis pacto transegit: tantùm in his interpositum pactum nocebit, de quibus inter eos actum esse probatur. si quidem in his tantùm transactio obest (quamuis maior vigintiquinque annis eam interposuit) de quibus actum E probatur. non autem quorum actiones competere postea compertũ est. iniquum est enim perimi pacto id, de quo cogitatum non docetur.

Transactio patris non præiudicat filio. Bartolus.

X. IDEM *lib. I. Responsorum.*

De re filiorũ, quos in potestate nõ habuit, trãsigentem patrem minimè eis obesse placuit.

Si post sententiam potest esse dubium, potest transigi. Bar.

XI. IDEM *lib. IIII. ad edictum.*

Post rem iudicatam, etiam si prouocatio non est interposita: tamẽ si negetur iudicatum esse, vel ignorari potest, an iudicatum sit: quia adhuc lis subesse possit, transactio fieri potest. F

Transactio facta super testamento, refertur ad quamlibet partem testamenti: non autem ad codicillos postea repertos.

XII. CELSVS *lib. IIII. Digestorum.*

Non est ferendus, qui generaliter de his, quæ testamento ei relicta sunt, transegerit: si postea caussetur de eo solo se cogitasse, quod prima parte testamenti, ac non etiam quod posteriore legatum sit. Si tamen postea codicilli proferuntur, non improbè mihi dicturus videtur: de eo duntaxat se cogitasse, quod illarum tabularum, quas tunc nouerit, scriptura contineretur.

XIII. AEMYLIVS MACER *lib. II. ad L. vicesimam hereditatum.*

Nulli

NVlli procuratorum principis, inconsulto principe, A transigere licet.

Facta diuisione hereditatis ex caussa transactionis inter scriptum heredem & legitimum, quilibet à creditoribus conuenietur pro hereditariis portionibus. Bartolus.

XIIII. SCAEVOLA. *lib.* 1. *Responsorum.*

COntrouersia inter legitimum & scriptũ hæredem orta est: eaque transactione facta, certa lege finitá est. quæro, creditores quem conuenire possint? Respondi si iidem creditores essent, qui transactionem fecissent: id obseruandum esse de ære alieno, quod inter eos côuenisset. Si alij creditores essent: propter incertum successionis, pro parte hæreditatis, quam vterq; in trãs- B actione expressit, vtilibus actionibus côueniendos esse.

Consilium est quod in transactione pœna ponatur. Bartolus.

XV. PAVLVS *lib.* 1. *Sententiarum.*

PActo conuento Aquiliana quidem stipulatio subiici solet: sed consultius est, huic pœnalem quoq; stipulationem subiungere: quia rescisso forte pacto, pœna ex stipulatu peti potest.

Exceptio potest obiici, & pœna peti, si apposita est in transactione clausula, rato manente pacto. Bartolus.

XVI. HERMOGENIANVS *lib.* 1. *iuris* ἐπιτομῶν.

QVi fidem licitę transactionis rupit: non exceptione tantùm submouebitur, sed etiam pœnam, quam C (SI CONTRA PLACITVM FECERIT, RATO MANENTE PACTO) stipulanti rectè promiserat, præstare cogetur.

Transactio facta cum debitore ignorante ab herede uendente præiudicat emptori hereditatis & fideicômissario vniuersali. Bar.

XVII. PAPINIANVS *lib.* II. *Quæstionum.*

VEnditor hæreditatis, emptori mandatis actionib⁹, cum debitore hæreditario, qui ignorabat venditã esse hæreditatem, transegit. Si emptor hæreditatis hoc debitum ab eo exigere velit: exceptio transacti negocij debitori, propter ignorantiam suam, accommodãda est. Idem respondendum est & in eo, qui fidei commissam recepit hæreditatem: si hæres cum ignorante debitorẽ transegerit.

Digestorũ.

DIGESTORVM SEV PAN-
dectarum liber tertius. D

DE POSTVLANDO. *Tit. I.*

I. VLPIANVS *lib.* VI. *ad edictum.*

HVNC tiulum propoſuit prætor habendæ rationis cauſſa, ſuæque dignitatis tuendæ, & decoris cauſſa: ne ſine delectu paſſim apud ſe poſtuletur. Ea propter tres fecit ordines. nam quoſdam in totum prohibuit poſtulare, quibuſdam pro ſe E
permiſit, quibuſdam & pro certis dũtaxat perſonis & pro ſe permiſit. POSTVLARE autem eſt deſiderium ſuum, vel amici ſui in iure apud eum, qui iuriſdictioni præeſt, exponere: vel alterius deſiderio contradicere. Initium autem fecit prætor ab his, qui in totum prohibentur poſtulare. In quo edicto, aut pueritiam, aut caſum excuſauit. Pueritiam: dum minorem annis decem & ſeptem, qui eos non in totum cõpleuit, prohibet poſtulare: quia moderatam hanc ætatem ratus eſt ad procedendum in publicum. Qua ætate, aut paulo maiore fertur Nerua filius, & publicè de iure F
reſponſitaſſe. Propter caſum: ſurdum, qui prorſus non audit, ꝓhibet apud ſe poſtulare. nec enim erat permittendum ei poſtulare, qui decretum prætoris exaudire non poterat, quod etiam ipſi erat periculoſum futurum. nam non exaudito decreto prætoris, quaſi non obtemperaſſet, pœna vt cõtumax plecteretur. Ait prætor: SI NON HABEBVNT ADVOCATVM, EGO DABO. non ſolum his perſonis hanc humanitatẽ prætor ſolet exhibere: verùm etiam ſi quis alius ſit, qui certis ex cauſſis vel ambitione aduerſarij, vel metu patronum non inuenit. Secundo loco edictum proponitur in eos, qui prohibentur, ne pro aliis poſtulent: in quo edicto excepit prætor ſexum & caſum, item perſonas

nas turpitudine notabiles. Sexum quidem, dum fœminas† prohibet pro aliis postulare. & ratio quidé prohibendi est, ne contra pudicitiã sexui congruentem alienis caussis se immisceant: ne virilibus officiis fungantur mulieres. Origo verò introducta est à Calpurnia improbissima fœmina: quæ inuerecundè postulans, & magistratum inquietans, caussam dedit edicto. Casum, dum cæcum vtrisque luminibus orbatum, prætor repellit: videlicet, quòd insignia magistratus videre & revereri non possit. Refert etiam Labeo, Publium cæcum Asprenati Nonij patrem auersa sella à Bruto destitutum, cùm vellet postulare. Quamuis autem cæcus pro alio postulare non possit: tamen & senatorium ordinem retinet, & iudicandi officio fungitur. Nunquid ergo & magistratus gerere possit? Sed de hoc deliberabimus. exstat quidem exemplum eius, qui gessit. Appius denique Claudius† cæcus consiliis publicis intererat, & in senatu seuerissimam dixit sententiam de Pyrrhi captiuis. Sed melius est, vt retinere quidem dicamus iam acceptum magistratum posse: adspirare autem ad nouum, penitus prohiberi: idque multis comprobatur exemplis. Remouet autem à postulando pro aliis & eum, qui corpore suo muliebria passus est. Si quis tamen vi prædonum vel hostium stupratus est: non debet notari, vt & Pomponius ait. Et qui capitali crimine damnatus est, non debet pro alio postulare. Item Senatusconsulto etiam apud pedaneos iudices postulare prohibetur, calumniæ caussa publico iudicio damnatus. Et qui operas suas, vt cum bestiis depugnaret, locauit. BESTIAS autem accipere debemus ex feritate magis, quàm ex animalis genere. nam quid si leo sit, sed mansuetus, vel alia dentata mansueta? Ergo qui locauit, solus notatur: siue depugnauerit, siue non. Quid si depugnauit, cùm non locasset operas suas? non tenebitur. non enim qui cum bestiis depugnauit, tenetur: sed qui operas suas in hoc locauit. Denique eos, qui virtutis ostendendæ caussa hoc faciunt sine mercede, non teneri aiunt veteres: nisi in arena passi sunt sese honorari. eos enim puto notam non euadere. Sed si

A, B, C (margin section letters)

† *Quæ mulieres apud magistratus pro se aut aliis caussis egerint. Vale. li. 8. ca. 3.*

† *De hoc Liuius li. 13. Plutar. in vita Pyrrhi.*

quis operas ſuas locauerit, vt feras venetur: vel vt depugnet feram, quæ regioni nocet, extra arenam: non eſt notatus. His igitur perſonis, quæ non virtutis cauſſa cum beſtiis pugnauerunt: pro ſe prætor permittit allegare, pro alio prohibet. Sed eſt æquiſſimum, ſi tutelam vel curam huiuſmodi perſonæ adminiſtrent: poſtulare eis pro his, quorum curam gerunt, concedi. Qui aduerſus ea feciſſe monſtretur, & pro aliis interdicta poſtulatione repellitur: & pro æſtimatione iudicis extra ordinem pecuniaria pœna multatur. Vt initio huius tituli diximus, tres ordines prætor fecit non poſtulantium: quorum tertius eſt, quibus non in totum denegat poſtulandi facultatem, ſed ne pro omnibus poſtulent: quaſi minus deliquerint, quàm hi qui ſuperioribus capitibus notantur. Ait prætor. QVI LEGE, PLEBISCITO, SENATVSCONSVLTO, EDICTO, DECRETO PRINCIPVM (NISI PRO CERTIS PERSONIS) POSTVLARE PROHIBENTVR: HI PRO ALIO, QVÀM PRO QVO LICEBIT, IN IVRE APVD ME NE POSTVLENT. Hoc edicto continentur etiam alij omnes, qui edicto prætoris vt infames notantur: qui omnes, niſi pro ſe & certis perſonis, nõ poſtulant. Deinde adiicit prætor: QVI EX OMNIBVS HIS, QVI SVPRÀ SCRIPTI SVNT, IN INTEGRVM RESTITVTVS NON ERIT. QVI EX HIS, QVI SVPRÀ SCRIPTI SVNT, ſic accipitur: ſi fuerit inter eos, qui tertio edicto continentur, & niſi pro certis perſonis, poſtulare prohibetur. Cæterùm ſi ex ſuperioribus: difficile in integrum reſtitutio impetrabitur. De qua autem reſtitutione prętor loquatur: vtrum de ea, quæ à principe datur, an quæ à ſenatu: Pomponius quærit. & putat de ea reſtitutione ſenſum, quã vel princeps, vel ſenatus indulſit. An autẽ & prętor reſtituere poſſit, quæritur. & mihi videtur talia prętorũ decreta non eſſe ſeruanda: niſi ſicubi ex officio iuriſdictionis ſuæ ſubueniãt: vt in ætate obſeruatur, ſi quis minor deceptus ſit: cæteriſque ſpeciebus, quas ſub titulo DE IN INTEGRVM RESTITVTIONE, exſequemur.

exsequemur. Pro qua sententia est: quòd si quis famoso iudicio condénatus, per in integrũ restitutionem fuerit absolutus: Pöponius putat hunc infamia eximi. Deinde adiicit prætor. PRO ALIO NE POSTVLENT: PRAETER QVÀM PROPARENTE, PATRONO, PATRONA'VE, LIBERIS PARENTIBV'SQVE PATRONI PATRONAE'QVE. de quibus personis sub titulo DE IN IVS VOCANDO plenius diximus. Item adiicit: LIBERI'SVE SVIS, FRATRE, SORORE, VXORE, SOCERO, SOCRV, GENERO, NVRV, VITRICO, NOVERCA, PRIVIGNO, PRIVIGNA, PVPILLO, PVPILLA, FVRIOSO, FVRIOSA,

II. CAIVS *lib.* III. *ad edictum prouinciale.*

FATVO, FATVA: cùm istis quoque personis curator detur.

III. VLPIANVS *lib.* VI. *ad edictum.*

CVI EORVM À PARENTE, AVT MAIORIS PARTIS TVTORVM SENTENTIA: AVT AB EO, CVIVS DE EA RE IVRISDICTIO FVIT: EA TVTELA, CVRATIO'VE DATA erit. Adfinitates non eas accipere debemus, quæ quondam fuerunt, sed præsentes. Itẽ Pöponius, APPELLATIONE NVRVS ET GENERI, SOCERI ET SOCRVS: & vlteriores, quibus PRO præpositio solet accedere, contineri ait. In curatoribus item debuisse eum adiicere: CAETERORV'MQVE, QVIBVS DARI SOLENT: id est muto, surdo, prodigo, & adolescenti.

IIII. PAVLVS *lib.* V. *ad edictum.*

ITem quibus propter infirmitatem curator dari solet.

V. VLPIANVS *lib.* IX. *ad edictum.*

ET qui negociis suis, aliquo perpetuo morbo, superesse non possunt.

VI. IDEM *lib.* V.I. *ad edictum.*

PVto autẽ omnes, qui non spontè, sed necessario funguntur officio: posse sine offensa edicti postulare: etiam si hi sint, qui non nisi pro se postulare possunt.

†Ex quib' caussis aduocatiōib' interdicēdū Socrates apud Arist. li. 7. Hecatonomiarum.

Si quis aduocationem præstare fuerit prohibitus†: si quidem apud se (vt solent facere tempore magistratus sui) puto eum postea apud successorem eius adesse posse. D

VII. CAIVS *lib. III. ad edictum prouinciale.*

QVos prohibet prætor apud se postulare: omni modo prohibet, etiam si aduersarius eos patiatur postulare.

Prohibitum ad tempus, post tempus videtur esse permissum. Bar.

VIII. PAPINIANVS *lib. II. Quæstionum.*

IMperator Titus Antoninus rescripsit: eum, cui aduocationibus in quinquennium interdictum esset: post quinquennium pro omnibus postulare non prohiberi. Diuus quoque Hadrianus rescripsit, de exsilio reuersum postulare posse: nec adhibetur distinctio, quo crimine silentium vel exsilium sit irrogatum: ne scilicet pœna tempore determinata, contra sententiæ fidem vlterius porrigatur. E

Sententia iudicis quæ deminutionem status non continet, extra territorium iudicis suum effectum non porrigit. Bartolus.

IX. IDEM *lib. I. Responsorum.*

EX ea caussa prohibitus pro alio postulare, quæ infamiam non irrogat, ideoq; ius postulandi pro omnibus non aufert: in ea tantùm prouincia pro aliis non rectè postulat, in qua præses fuit, qui sententiam dixit. In alia verò non prohibetur, licet eiusdem nominis sit. F

X. PAVLVS *lib. singulari Regularum.*

II qui fisci caussas agunt: suam, vel filiorum, vel parétum suorum vel pupillorum, quorum tutelas gerunt, caussam etiam aduersus fiscum agere non prohibentur. Decuriones quoque contra patriam suam caussam agere prohibentur, præter superiores personas.

XI. TRIPHONINVS *lib. V. Disputationum.*

A Principe nostro rescriptum est: non prohiberi tutorem adesse pupillo in negocio, in quo aduocatus contra patrem eius fuisset. Sed & illud ab eo permissum est: agere tutorem pupilli caussam aduersus fiscum, in qua aduersus patrem pupilli antè aduocatus fisci fuisset.

De his

DE HIS QVI NOTANTVR *infamia.* Tit. II.

A

IVLIANVS *lib.* I. *ad edictum.*

PRætoris verba dicunt. INFAMIA NOTATVR, QVI AB EXERCITV IGNOMINIAE CAVSSA, AB IMPERATORE, EO'VE, CVI DE EA RE STATVENDI POTESTAS FVERIT: DIMISSVS ERIT. QVI ARTIS LVDICRAE PRONVNCIANDI'VE CAVSSA IN SCENAM PRODIERIT. QVI LENOCINIVM FECERIT. QVI IVDICIO PV-
B BLICO, CALVMNIAE PRAEVARICATIONI'SVE CAVSSA QVID FECISSE, IVDICATVS ERIT. QVI FVRTI, VI BONORVM RAPTORVM, INIVRIARVM, DE DOLO MALO ET FRAVDE, SVO NOMINE DAMNATVS, PACTVS'VE ERIT. QVI PRO SOCIO, TVTELAE, MANDATI, DEPOSITI†, SVO NOMINE, NON CONTRARIO IVDICIO DAMNATVS ERIT. QVI EAM, QVAE IN POTESTATE EIVS ESSET, GENERO MORTVO (CVM EVM MORTVVM ESSE SCIRET) INTRA ID TEMPVS, QVO
C LVGERE VIRVM MORIS EST: ANTEQVAM VIRVM ELVGERET, IN MATRIMONIVM COLLOCAVERIT: EA'MVE SCIENS QVIS VXOREM DVXERIT, NON IVSSV EIVS, IN CVIVS POTESTATE EST. ET QVI EVM, QVEM IN POTESTATE HABET: EAM, DE QVA SVPRA COMPRAEHENSVM EST, VXOREM DVCERE PASSVS FVERIT. QVI'VE SVO NOMINE, NON IVSSV EIVS, IN CVIVS POTESTATE EST: EIV'SVE NOMINE, QVEM QVA'MVE IN POTESTATE HABET: BINA SPONSALIA, BINA'SVE NVPTIAS EODEM TEMPORE CONSTITVTAS HABVERIT.

Cur depositi dãnatus sit infamis Arist. Problem. 29. par. proble. 2.

II. VLPIANVS *lib.* VI. *ad edictum.*

QVod ait prætor, QVI AB EXERCITV DIMISSVS ERIT: dimissum accipere debemus militem caligatũ: vel si quis alius vsq; ad centurioné, vel præfectũ cohortis, vel alæ, vel legiõis dimissus est. Hoc amplius Põponius ait: etiã eum, qui exercitui preest (licet cõsularibus insignibus vtitur) ignominiæ caussa ab Imperatore missum, hac nota laborare. Ergo & si dux, cùm exercitui preest, dimissus erit: notatur. Et si princeps dimiserit, & adiecerit ignominiæ caussa se mittere: (vt plerũq; facit) nõ dubitabit, & hoc edicto prætoris eum infamia esse notatũ. Nõ tamen, si citra indignationé principis successor ei datus est. Exercitum autem non vnã cohortem, neq; vnã alam dicimus: sed numeros multos militum. Nam exercitui præesse dicimus eum, qui legioné, vel legiones cũ suis auxiliis ab Imperatore cõmissas administrat. Sed etiã eum, qui ab aliquo numero militũ missus est: quasi ab exercitu missum, sic accipiem⁹. IGNOMINIAE CAVSSA. hoc ideo adiectũ est, quoniã multa genera sunt missionũ. Est honesta, quæ emeritis stipendiis, vel antè ab Imperatore indulgetur. est caussaria, quæ propter valetudiné laboribus militiæ soluit. est ignominiosa: Ignominiosa auté missio toties est: quoties is qui mittit, addidit nominatim ignominiæ caussa se mittere. semper enim debet addere, cur miles mittatur. Sed & si ita exauthorauerit, vt insignia militaria detraheret: inter infames efficit, licet nõ addidit, ignominiæ caussa se ita exauthorasse. Est & quartũ gen⁹ missiõis, si quis euitãdorũ munerũ caussa militiã subisset. hęc aũt missio existimationé nõ lędit, vt est sæpissimè rescriptũ. Miles, qui lege Iulia de adulteriis fuerit dãnatus: ita infamis est, vt etiã ipsa sẽtẽtia cũ sacramẽto ignominię caussa soluat. Ignominia missis neq; in vrbe, neq; alibi, vbi Imperator est, morari licet.

Ait pretor, QVI IN SCENAM PRODIERIT. Scena est (vt Labeo definit) quę ludorũ faciẽdorũ caussa quolibet loco, vbi quis cõsistat, moueaturq́; spectaculũ sui prebiturus, posita sit in publico, priuatóve, vel in vico: quo tamen loco passim homines spectaculi caussa admittat.

admittat. Eos enim, qui quæstus caussa in certamina de- A scendunt, & omnes propter præmium in scenam prodeũtes: famosos esse, Pegasus & Nerua filiꝰ respõderũt.

III. CAIVS *lib. III. ad edictum prouinciale.*

QVi autem operas suas locauit, vt prodiret artis ludicræ caussa, neque prodiit: non notatur: quia non est ea res adeo turpis, vt etiam consilium puniri debeat.

IIII. VLPIANVS *lib. VI. ad edictum.*

ATHletas autem Sabinus & Cassius responderunt, omnino artẽ ludicrã non facere. virtutis enim gratia hoc eos facere. & generaliter ita omnes opinãtur, & vtile videtur: vt neq; Thymelici, neq; Xystici, nec agitatores, nec qui aquã equis spargũt, cæteraque eorum ministeria, qui certaminibus sacris deseruiunt, ignominiosi habeãtur. Designatores autem, quos Græci βραβευτὰς appellant, artem ludicram non facere, Celsus probat: quia ministerium, non artem ludicram exerceant. Et sanè locus iste à principe hodie nõ pro modico beneficio datur. Ait prætor, QVI LENOCINIVM FECERIT. Lenocinium facit, qui quæstuaria mãcipia habet. Sed & qui hunc quæstum in liberis exercet, in eadem caussa est. Siue autem principaliter hoc negocium gerat, siue alterius negociationis accessione vtatur: vtputa si caupo fuerit vel stabularius, & mancipia talia habuerit ministrantia, & occasione ministerij quæstum facientia: siue balneator fuerit, & (veluti in quibusdam prouinciis fit) in balineis ad custodienda vestiméta conducta habeat mãcipia, hoc genus obseruãtia in officina: lenocinij pœna tenebitur. Pomponius eum, qui in seruitute peculiaria mancipia prostituta habuit, notari, & post libertatem ait. Calũniator ita demũ notatur, si fuerit calumniæ caussa damnatus. neq; enim sufficit calumniatum. item præuaricator. Præuaricator autem est, quasi varicator: qui diuersam partem adiuuat, prodita caussa sua: quod nomẽ Labeo à varia certatione tractum ait. nam qui præuaricatur, ex vtraque parte consistit: quin imò ex aduersa. Item si quis furti, vi bonorum raptorum, iniuriarũ, de dolo malo, suo nomine damnatus, pa-

Qui Thymelici, itẽque Xysti-ci, vide apud Alexã drũ ab Alexan. lib. 3. cap. 9. & Cal. Rho. li. 11. c. 51.

Cap. 1. de Præuar.

(B, C: margin section letters)

ctúſve erit: ſimili modo infamis eſt.

V. PAVLVS *lib. V. ad edictum.* D

QVoniam intelligitur confiteri crimen, qui paciſcitur.

VI. VLPIANVS *lib. VI. ad edictum.*

FVrti accipe: ſiue manifeſti ſit, ſiue nec manifeſti. Sed ſi furti, vel aliis famoſis actionibus quis condemnatus prouocauerit: pendente iudicio, nondum inter famoſos habetur. Si autem omnia tempora prouocationis lapſa ſunt: retrò infamis eſt. Quamuis ſi iniuſta appellatio eius viſa ſit: hodie notari puto, non retrò.

Si quis alieno nomine condemnatus fuerit, non laborat infamia. & ideo nec procurator, vel defenſor, vel curator, vel tutor, vel hæres: furti, vel ex alia ſimili ſpecie E condemnatus, infamia notabuntur: nec ergo ſi ab initio per procuratoré cauſſa agitata eſt. PACTVS VE ERIT (inquit) pactũ ſic accipimus, ſi cum precio quãtocunq; pactus eſt: alioquin & qui precibus impetrauit, ne ſecũ ageretur, erit notat⁹, nec erit veniç vlla ratio: quod eſt inhumanum. Qui iuſſu prætoris precio dato, pactus eſt, non notatur. Sed & ſi iureiurando delato iurauerit quis nõ deliquiſſe, non erit notatus. nam quodammodo innocentiã ſuam iureiurando adprobauit. MANDATI. Verbis edicti notatur, non ſolùm qui mandatum ſuſcepit: ſed & is, qui fidem, quam aduerſarius ſecutus eſt, non præſtat. vtputa fideiuſſi pro te & ſolui. mandati ſi te cõdemnauero, famoſum facio. Illud planè addendũ eſt, F quod interdum & hæres ſuo nomine damnatur, & ideo infamis fit: ſi in depoſito, vel in mandato malè verſatus ſit. Non tamen in tutela vel pro ſocio hçres ſuo nomine damnari poteſt: quia hæres neque in tutelam, neque in ſocietatem ſuccedit, ſed tantum in çs alienum defuncti.

Contrario iudicio damnatus non erit infamis, nec immeritò. nam in contrariis non de perfidia agitur, ſed de calculo, qui ferè in iudicio ſolet dirimi.

VII. PAVLVS *lib. V. ad edictum.*

IN actionibus, quæ ex contractu proficiſcuntur: licet famoſæ ſunt, & damnati notantur: attamen pactus non notatur, meritò. quoniam ex his cauſſis non tam turpis eſt

est pactio, quàm superioribus.

A *Licitum est allegare ignorantiam ad commodum ignorantis. Ia. But.*

VIII. VLPIANVS *lib.* VI. *ad edictum.*

GENERO (inquit) MORTVO. meritò adiecit prętor, CVM EVM MORTVVM ESSE SCIRET: ne ignorantia puniatur. Sed cùm tempus luctus continuũ est: meritò & ignoranti cedit ex die mortis mariti. & ideo si post legitimum tempus cognouit: Labeo ait, ipso die & sumere ipsam lugubria, & deponere.

IX. PAVLVS *lib.* V. *ad edictum.*

VXores viri lugere non compelluntur. Sponsi nullus luctus est.

B X. IDEM. *lib.* XXXV. *ad edictum.*

SOlet à principe impetrari, vt intra legitimum tempus mulieri nubere liceat. Quæ viru eluget, intra id tempus sponsam fuisse non nocet.

XI. VLPIANVS *lib.* VI. *ad edictum.*

LIberorum autem & parentũ luctus impedimento nuptiis non est. Et si talis sit maritus, què more maiorum lugeri non oportet: non poterit tamen nuptum intra legitimum tempus collocari. prætor enim ad id tempus se retulit, quo vir elugeretur; qui solet elugeri propter turbationem sanguinis. Vnde Pomponius eam, quæ intra legitimum tempus partum edidit: putat vel statim

C posse se nuptum collocare: quod verum puto. Non solent autem lugeri (vt Neratius ait) hostes, vel perduellionis damnati: nec suspendiosi; neque qui manus sibi intulerint, non tædio vitæ, sed mala conscientia. Si qua ergo post huiusmodi exitum mariti se nuptum collocauerit: infamia notetur. Notatur etiam qui eam duxit, sed sciens. ignorantia enim excusatur, non iuris, sed facti. Excusatur, qui iussu eius, in cuius potestate erat, duxerit: & ipse, qui passus est ducere, notatur. vtrũque rectè. nam & qui obtemperauit, venia dignus est: & qui passus est ducere, notatur ignominia.

XII. PAVLVS *lib.* V. *ad edictum.*

QVi iussu patris duxit: quamuis liberatus patria potestate eam retinuit: non notatur.

Quando

Quando cõsensus requiritur certo tẽpore, ratihabitio sequens non retrotrahitur vt actum confirmet. D

XIII. VLPIANVS *lib.* VI. *ad edictum.*

QVid ergo, si non ducere passus, posteaquam duxit, ratum habuerit? vt puta initio ignorauit talem esse, postea scit? non notabitur: prætor enim ad initium nuptiarũ se retulit. Si quis alieno nomine bina sponsalia constituerit, non notatur: nisi eius nomine constituat, quem quámve in potestate habet. Certè qui filiũ vel filiam constituere patitur, quodammodo ipse videtur constituisse. Quod ait prætor, EODEM TEMPORE: non initia sponsaliorum eodem tempore factorum accipiendum, sed si in idem tempus concurrant.

Item si alteri sponsa, alteri nupta sit: ex sententia edicti punitur. Cùm autem factum notetur: etiam si cum ea quis faciat nuptias, vel sponsalia constituat, quam vxorem ducere non potest, vel fas non est: erit notatus. E

Ex compromisso arbiter infamiam nõ facit: quia non per omnia sententia est. Quãtum ad infamiam pertinet, multum interest: in caussa, quæ agebatur, caussa cognita aliquid pronunciatũ sit: an quædam extrinsecus sint elocuta. nam ex his infamia non irrogatur. Pœna grauior vltra legem imposita, existimationem conseruat: vt & constitutum est, & respõsum. vt puta si eum, qui parte bonorum multari debuit, præses relegauerit: dicendum erit, duriore sententia cum eo transactum de existimatione eius: idcircóque non esse infamem. Sed si in caussa furti nec manifesti in quadruplum iudex condemnauerit: onerat quidem reum pœna aucta (nam ex furto nec manifesto in duplum conueniri debuit) verùm hac re existimationem ei non conseruat: quamuis si in pœna non pecuniaria eum onerasset, transactum cum eo videretur. Crimen stellionatus infamiam irrogat damnato, quamuis publicum iudicium non est. F

Licet quis damnetur suo nomine & ex suo facto ex instantia cœpta cum alio non erit infamis.

XIIII. PAVLVS *lib.* V. *ad edictum.*

SEruus, cuius nomine noxale iudicium dominus acceperat, deinde eundem liberum & hæredem instituerat: ex

rat: ex eodem iudicio damnatus, non est famosus: quia
A non suo nomine condemnatur, quippe cum initio lis in eum contestata non sit.

Ea quæ non est prægnans: si vt prægnans per calumniam in possessionem mittatur, per sententiam infamatur. Bartolus.

XV. VLPIANVS *lib.* VIII. *ad edictum.*

NOtatur, quæ per calumniam ventris nomine in possessionem missa est, dum se adseuerat prægnantem:

XVI. PAVLVS *lib.* VIII. *ad edictum.*

CVm non prægnans esset, vel ex alio concepisset.

XVII. VLPIANVS *lib.* VIII. *ad edictum.*

DEbuit enim coërceri, quæ prætorem decepit. Sed ea notatur, quę cùm suæ potestatis esset, hoc fecit.

B *Pœna infamiæ imponitur ratione calũniæ, nõ ratione erroris.* B.

XVIII. CAIVS *lib.* III. *ad edictum prouinciale.*

EA, quæ falsa existimatione decepta est: nõ potest videri, per calumniam fuisse in possessionem.

XIX. PAVLVS *lib.* VIII. *ad edictum.*

NOn alia autem notatur, quàm ea, de qua pronunciatum est, calumniæ caussa eam fuisse in possessionem missam. Idq́ue erit & in patre seruandum: qui calumniæ caussa passus est filiam, quã in potestatę habebat, in possessionem ventris nomine mitti.

Verba iudicis vituperiosa caussa cognita non prolata infamiam non irrogant.

C XX. PAPINIANVS *lib.* I. *Responsorum.*

OB hæc verba sententiæ præsidis prouinciæ, CALLIDO COMMENTO VIDERIS ACCVSATIONIS INSTIGATOR FVISSE: pudor potius oneratur, quàm videtur irrogari ignominia: non enim qui exhortatur, mandatoris opera fungitur.

Si fides attestationibus non est habita: non quia testes falsum dixerunt, testes non infamantur. vel sic: sententia lata cum producente falsos testes: non potest testibus infamiam irrogare. Bartolus.

XXI. PAVLVS *lib.* II. *Responsorum.*

LVcius Titius crimen intẽdit C. Seio, quasi iniuriam passus: atque in eam rem testationẽ apud præfectum prætorio recitauit. præfectus fide non habita testationi, nullam iniuriam L. Titium passum esse à C. Seio pronunciauit.

ciauit. Quæro: an teſtes, quorum teſtimonium reprobatum eſt, quaſi ex falſo teſtimonio inter infames habeantur? Paulus reſpondit. Nihil proponi, cur hi, de quibus quæritur, infamium loco haberi debeant: cùm non oporteat ex ſententia (ſiue iuſta, ſiue iniuſta) pro alio habita, alium prægrauari. D

Executio pœnæ corporalis ex cauſſa famoſa infamiam irrogat: licet ſententia non præceſſerit. vel ſic: Si in executione imponitur pœna corporalis pro pecuniaria, infamia non remittitur. Bart.

XXII. MARTIANVS *lib.* II *Publicorum.*

ICtus fuſtium infamiam non importat: ſed cauſſa, propter quam id pati meruit: ſi ea fuit, quæ infamiam dãnato irrogaret. In cæteris quoque generibus pœnarum eadem forma ſtatuta eſt. E

XXIII. VLPIANVS *lib.* VIII *, ad edictum.*

PArentes & liberi vtriuſque ſexus, nec non & cæteri adgnati vel cognati, ſecundum pietatis rationem, & animi ſui patientiam (prout quiſque voluerit) lugendi ſunt: qui autem eos non eluxit, non notatur infamia.

XXIIII. IDEM. *lib.* VI. *ad edictum.*

Infamia contracta in ſeruitute, aboletur per libertatem. Bal.

IMperator Seuerus reſcripſit, non obfuiſſe mulieris famæ quæſtum eius in ſeruitute factum.

XXV. PAPINIANVS *lib.* II. *Quæſtionum.*

EXhæredatum quoque filium luctum habere patris memoriæ placuit. idemque & in matre iuris eſt: cuius hæreditas ad filium non pertinet. Si quis in bello ceciderit: & ſi corpus eius non compareat, lugebitur. F

DE PROCVRATORIBVS ET *defenſoribus.* Tit. III.

VLPIANVS *lib.* IX. *ad edictum.*

PRocurator eſt, qui aliena negocia mandatu domini adminiſtrat. Procurator autem vel omnium rerum, vel vnius rei eſſe poteſt: cõſtitutus vel coram, vel per nuncium, vel per epiſtolam. quamuis quidam (vt Pomponius libro viceſimo quarto ſcribit) non putent vnius rei mãdatum ſuſcipientem, procuratorẽ eſſe: ſicuti nec is quidem,

dem, qui rem perferendam, vel epistolam, vel nuncium
A perferendum suscepit, propriè procurator appelletur. Sed verius est, eum quoque procuratorem esse, qui ad vnam rem datus sit. Vsus autem procuratoris perquā necessarius est: vt qui rebus suis ipsi superesse, vel nolunt, vel non possunt: saltem per alios possint, vel agere, vel conueniri. Dari autem procurator etiam absens potest.

II. PAVLVS *lib. VIII. ad edictum.*

DVmmodo si certus sit, qui datus intelligitur: & is ratum habuerit. Furiosus non est habendus absentis loco: quia in eo animus deest, vt ratum habere nō possit.

B III. VLPIANVS *lib. IX. ad edictum.*

ITem ad litem futuram, & in diem, & sub conditione, & vsque ad diem dari potest,

IIII. PAVLVS *lib. VIII ad edictum.*

ET in perpetuum.

V. VLPIANVS *lib. VII. ad edictum.*

PRæsens habetur, & qui in ortis est,

VI. PAVLVS *lib. VI. ad edictum.*

ET qui in foro, & qui in vrbe, & qui in continentibus ædificiis.

VII. VLPIANVS *lib. VII. ad edictum.*

ET ideo procurator ei præsenti esse videtur.

C *Filiusfamiliâs potest constituere procuratorem ad omnia quæ ipse sine patre gerere potest. Bart.*

VIII. IDEM. *lib. VIII. ad edictum.*

FIliusfamiliâs & ad agendum dare procuratorem potest, si qua sit ei actio, qua ipse experiri potest: nō solum si castrense peculium habeat. Sed & vim, aut (puta) iniuriam passus, procuratorem dabit ad iniuriarū actionem: si forte neque pater præsens sit, nec patris procurator velit experiri: & erit iure ab ipso filiofamiliâs procurator datus. Hoc amplius Iulianus scribit: & si filiofamiliâs patri, per filium eius, in eadem potestate manentem, fiat iniuria: neque auus præsens sit: posse patrē procuratorem dare ad vlciscendam iniuriam, quam nepos absentis passus est. Ad defendendum quoque poterit

terit filius familiâs procuratorem dare. Sed & filiafamiliâs poterit dare procuratorem ad iniuriarũ actionem. Nam ad dotis exactionem cum patre dari procuratorem, superuacuum esse Valerius Seuerus scribit: cùm sufficiat patrem dare ex filiæ voluntate. Sed puto si forte pater absens sit, vel suspectæ vitæ (quo casu solet filiæ competere de dote actio) posse eam procuratorem dare. Ipse quoque filius procurator dari poterit & ad agendum & ad defendendum. Inuitus procurator non solet dari. inuitum accipere debemus, non eum tantùm, qui contradicit: verùm eum quoque, qui consensisse nõ probatur. Veterani procuratores fieri possunt. D

Milites autem, nec si velit aduersarius, procuratores dari possunt: nisi hoc tempore litis contestatæ quocunque casu prætermissum est. excepto eo, qui in rem suam procurator datus est: vel qui communem caussam omnis sui numeri persequitur vel suscipit. quia talis procuratio concessa est. E

Pro quo scienter dominus satisdedit, cogitur præcisè iudiciũ suscipere nisi ex caussa legitima excusetur. Bart.

PROCVRATOREM AD LITEM SVSCIPIENDAM DATVM, PRO QVO CONSENTIENTE, DOMINVS IVDICATVM SOLVI EXPOSVIT: prætor ait, IVDICIVM ACCIPERE COGAM. Verùm ex caussa non debebit compelli, vtputa si inimicitiæ capitales interuenerint inter ipsum procuratorem & dominum: scribit Iulianus, debere in procuratorem denegari actionem. Item si dignitas accesserit procuratori, vel reipublicæ caussa abfuturus sit. F

IX. CAIVS *lib. II. ad edictum prouinciale.*

AVt si valetudinem, vel necessariam peregrinationẽ alleget.

X. VLPIANVS *lib. VIII. ad edictum.*

VEl hæreditas superueniens eum occupet: vel alia iusta caussa. Hoc amplius, & si habeat præsentem dominum: non debere compelli procuratorem.

XI. PAVLVS *lib. VII. ad edictum.*

SI tamen dominus cogi possit.

XII. CAIVS *lib.* II. *ad edictum prouinciale.*

A SEd etiam ex his cauſſis dicitur aliquando cogendum procuratorem iudicium accipere: veluti ſi dominus præſens non ſit, & actor adfirmet tractu temporis futurum, vt res pereat.

XIII. VLPIANVS *lib.* VIII. *ad edictum.*

SEd hæc neque paſſim admittẽda ſunt, neque diſtrictè deneganda: ſed à prætore cauſſa cognita temperanda.

XIIII. PAVLVS *lib.* VIII. *ad edictum.*

SI poſt datum procuratorem capitales inimicitiæ interceſſerint: non cogendum accipere iudicium, nec B ſtipulationem ob rem non defenſam committi: quoniam noua cauſſa ſit.

Satisdatio pro procuratore præſente præſtita, facit vt mãdatũ morte domini non finiatur. ſecus ſi pro abſente & ignorante. Bartolus.

XV. VLPIANVS *lib.* VIII. *ad edictum.*

SI defunctus ſit dominus ante litem cõteſtatam, IVDICATVM SOLVI ſtipulatione pro ſuo procuratore data: procurator compellendus eſt ad iudicium accipiendum: ita tamen, ſi hoc dominus ſciente procuratore, & non contradicente fecit. Quod ſi aliter actum eſt: inſcium quidem procuratorem teneri, ſatis inciuile eſt. Committitur autem ob rem non defenſam ſtipulationis clauſula. Qui ad communi diuidundo iudicium C datus eſt agendum: idem & ad defendendum videbitur datus, duplici cautela interponenda.

Ante litem conteſtatam poteſt procurator libere à domino reuocari. poſtea verò non niſi cauſſa cognita. Bart.

XVI. PAVLVS *lib.* VIII. *ad edictum.*

ANte litem conteſtatam libera poteſtas eſt, vel mutandi procuratoris, vel ipſi domino iudicium accipiendi.

XVII. VLPIANVS *lib.* IX. *ad edictum.*

POſt litem autem conteſtatam reus, qui procuratoré dedit, mutare quidem eum, vel in ſe litem transferre, à viuo procuratore, vel in ciuitate manente poteſt: cauſſa tamen prius cognita. Non ſolùm autem ipſi, qui dedit procuratorem, hoc permittitur: ſed etiam hæredi eius,

eius,& cæteris successoribus. In caussæ autem cognitione nõ solum hæc versantur, quæ suprà diximus, in procuratore non compellendo suscipere iudicium: verùm & ætas, D

XVIII. MODESTINVS *lib.* X. *πανδεκτῶν.*

ET religionis beneficium.

XIX. VLPIANVS *lib.* IX. *ad edictum.*

ITtem si suspectus sit procurator, aut in vinculis, aut hostium prædonúmve potestate:

XX. PAVLVS *lib.* VIII. *ad edictum.*

VEl iudicio publico priuatóve, vel valetudine, vel maiore sua re distringatur,

XXI. CAIVS *lib.* III. *ad edictum prouinciale.*

VEl exilio: vel si latitet, vel si inimicus postea fiat, E

XXII. PAVLVS *lib.* VIII. *ad edictum.*

AVt adfinitate aliqua aduersario iungatur, vel hæres ei existat:

XXIII. VLPIANVS *lib.* IX. *ad edictum.*

AVt longa peregrinatio, & aliæ similes caussæ impedimento ei sint:

XXIIII. PAVLVS *lib.* IX. *ad edictum.*

MVtari debebit, vel ipso procuratore postulante.

XXV. VLPIANVS *lib.* IX. *ad edictum.*

QVæ omnia non solùm ex parte rei, sed etiã in persona actoris obseruabuntur. Sed & si aduersarius vel ipse procurator dicat dominum mentiri: F apud prætorem hoc finiri oportet. nec ferẽdus est procurator, qui sibi adserit procurationem. nam hoc ipso suspectus est, *quòd operam suam ingerit inuito: nisi forte purgare magis conuicium, quàm procurationem exsequi maluerit. & hactenus erit audiendus, si dicat se procuratione quidem carere velle: sed ita, si id illæsa existimatione sui fiat. Cæterùm ferendus est pudorem suum purgans. Planè si dicat in rem suam se procuratorem datum, & hoc probauerit: non debet carere propria lite. Item si retentione aliqua procurator vti velit: non facilè ab eo lis erit transferenda.

** In hanc sententiã Aristoteles. 2. polit. cap. 7.*

XXVI. PAVLVS *lib.* VIII. *ad edictum.*

NIsi dominus soluere paratus sit.

Stipulatio.

Stipulatio iudicatum solui committitur siue à domino in procuratorem: vel e conuerso in alium procuratorem iudicium transfer-
A *tur: & in iudiciis per procuratorem quæritur domino vtilis actio. Bartolus.*

XXVII. VLPIANVS *lib.* IX. *ad edictum.*

IN caussæ cognitione etiam hoc versabitur: vt ita demum transferri à procuratore iudicium permittatur, si quis omnia iudicia ab eo transferre paratus sit. Cæterùm si velit quædam transferre, quædam relinquere: iuste procurator hanc inconstantiam recusabit. Sed hæc ita, si mandatu domini procurator egerit. cæterùm si mādatum non est: cùm nec in iudicio quidquam deduxit, nec tu ea comprobasti, quæ inuito te acta sunt: tibi non
B præiudicant. ideóque translatio earùm litium non est tibi necessaria, ne alieno facto onereris. Hæc autem cognitio procuratoris mutandi prætoris est. Si ex parte actoris translatio litis fiat: dicimus cōmitti IVDICATVM SOLVI stipulationem à reo factam: idque & Neratius & Iulianus probant, & hoc iure vtimur: scilicet, si dominus satis acceperit. Sed si procurator satis acceperit, & transferatur iudicium in dominum: verius est, committi ex stipulatu actionem, & à procuratore in dominum transferri. Sed & si à domino vel à procuratore in procuratorem iudicium transferatur: non dubitat Marcellus, quin committatur stipulatio: & hæc vera
C sunt. Et licet procuratori commissa sit stipulatio: tamen domino erit danda vtilis ex stipulatu actio, directa penitus tollenda.

Ex stipulatione procuratoris, & ex sententia pro eo lata, domino competit vtilis actio, & simplex procurator non potest agere iudicati. Bartolus.

XXVIII. IDEM *lib.* I. *Disputationum.*

SI procurator meus IVDICATVM SOLVI satis accepit: mihi ex stipulatu actio vtilis est, sicuti iudicati actio mihi indulgetur. Sed & si agat procurator meus ex ea stipulatione, me inuito: nihilominus tamen mihi ex stipulatu actio tribuetur. quæ res facit, vt procurator meus ex stipulatu agēdo, exceptione debeat repelli: sicut cum agit iudicati, nō in rem suam datus, neque ad

que ad

que ad eandem rem procurator factus. Per contrarium autem si procurator meus IVDICATVM SOLVI satisdederit: in me ex stipulatu actio non datur. Sed & si defensor meus satisdederit, in me ex stipulatu actio non datur, quia nec iudicati mecum agi potest. D

XXIX. IDEM *lib.* IX. *ad edictum.*

SI actor malit dominum potius conuenire, quàm eũ, qui in rem suã procurator est: dicendũ est ei licere.

XXX. PAVLVS *lib.* I. *Sententiarum.*

ACtoris procurator, non in rem suam datus: propter impensas, quas in litem fecit: potest desiderare, vt sibi ex iudicatione satisfiat: si dominus litis soluendo non sit.

Si procurator succedit condemnato, in eum fit executio: & pro portione hæreditaria repetet à cohæredibus. Bart. E

XXXI. VLPIANVS *lib.* IX. *ad edictum.*

SI quis cùm procuratorio nomine cõdemnatus esset, hæres exstiterit domino litis: iudicati actionem non rectè recusabit. hoc, si ex asse. Si autem ex parte hæres exstiterit, & totum soluerit: siquidem ei mandatum est, hoc quoque vt soluat: mandati actionem aduersus cohæredes habebit. si non sit mandatum: negociorum gestorum actio dabitur. quod est, & si hæres procurator nõ exstiterit, & soluerit. Vni' litis plurium personarum, plures dari procuratores non est prohibitum. Iulianus ait: eum, qui dedit diuersis tẽporibus procuratores duos: posteriorem dando, priorem prohibuisse videri. F

Per istam legem apponitur in instrumentis ista clausula, quod nõ sit melior conditio occupantis: & quod per vnum cœptum fuerit, alius poßit prosequi & finire. de quo habemus hodie expressum in cap. si duo. de procura. lib. sexto. Bartolus.

XXXII. PAVLVS *lib.* VIII. *ad edictum.*

PLuribus procuratoribus insolidum simul datis, occupantis melior conditio erit: vt posterior non sit in eo, quod prior petit, procurator.

Seruus & filiusfamiliàs poßunt constituere procuratorem in iis quæ ipsi facere poßunt. Bart.

XXXIII. VLPIANVS *lib.* IX. *ad edictum.*

SEruum quoque & filiumfamiliàs procuratorem posse habere

se habere aiunt.& quantum ad filiumfamiliâs, verũ est: in seruo subsistimus & negocia quidem peculiaria serui
A posse gerere aliquem, & hoc casu procuratorem eius esse, admisimus:(quod & Labeoni videtur) actionem autem intendere vetamus. Eum verò, qui de statu suo litigat, procuratorem habere posse, non dubitamus : non solùm in administratione rerum, sed etiam in actionibus, quæ ei vel aduersus eum competunt: siue ex possessione seruitutis, siue libertatis de suo statu litiget. Ex contrario quoque eum procuratorem dari posse, manifestum est. Publicè vtile est, absentes à quibuscunque defendi. Nam & in capitalibus iudiciis defensio datur. Vbicunque itaque absens quis damnari potest: ibi quéuis
B verba pro eo facientem, & innocétiam excusantem, audiri æquum est,& ordinarium admittere: quod ex rescripto Imperatoris nostri apparet. Ait prætor. CVIVS NOMINE QVIS ACTIONEM SIBI DARI POSTVLAVERIT, IS EVM VIRI BONI ARBITRATV DEFENDAT: ET EI QVO NOMINE AGET, ID RATVM HABERE EVM, AD QVEM EA RES PERTINET, VIRI BONI ARBITRATV SATISDET. Aequum visum est prætori eum, qui alicuius nomine vt procurator experitur: eundem etiam defensionem suscipere. Si quis in rem suam procurator interue-
C niat: adhuc erit dicendum, debere eum defendere : nisi forte ex necessitate fuerit factus.

XXXIIII. CAIVS *lib.* III. *ad edictum prouinciale.*

SI quis in rem suam procuratorio nomine agat, veluti emptor hæreditatis: an debeat inuicem venditorem defendere? & placet: si bona fide, & non in fraudem eorum, qui inuicem agere vellét, gestum sit negocium : nõ oportere eum inuicem defendere.

Qui agit pro alio vt coniuncta persona, tenetur in caussa reconuentionis defendere. Bart.

XXXV. VLPIANVS *lib.* IX. *ad edictum.*

SEd & eæ personæ procuratorum debebunt defendere, quibus sine mandatu agere licet: vtpute liberi, licet sint in potestate. Item parentes, fratres, & adfines, &

liberti.

Quando cauſſa ſtatus agitur ciuiliter, admittitur procurator: ſed quando agitur criminaliter, non admittitur procurator. Bart. D

Et patronus libertum per procuratorem, vt ingratũ, accuſare poteſt: & libertus per procuratorem reſpõdere. Non ſolùm autem ſi actio poſtuletur à procuratore, ſed etiã ſi præiudicium, vel interdictum: vel ſi ſtipulatione legatorum, vel damni infecti velit caueri: debebit abſentem defendere in competenti tribunali, & eadem prouincia. Cæterùm cogi eum etiam in prouinciam de Roma abire, vel ecõtrario, vel à prouincia in aliam prouinciam, & defendere: durum eſt. Defendere autẽ eſt id facere, quod dominus in litem faceret, & cauere idoneè. nec debebit durior conditio procuratoris fieri, q̃ eſt domini: præterquàm in ſatiſdando. E

Procurator cogitur præciſè litem conteſtari: niſi cauſſa cognita recuſauerit. Bart.

Præter ſatisdationẽ procurator ita defendere videtur, ſi iudicium accipiet. vnde quæſitum eſt apud Iulianum, an compellatur: an verò ſufficiat, ob rem nõ defenſam ſtipulationẽ committi? & Iulianus ſcribit libro tertio digeſtorum, compellẽdum accipere iudicium: niſi & agendum cauſſa cognita recuſauerit, vel ex iuſta cauſſa remotus fuerit. Defendere videtur procurator, & ſi in poſſeſſionem venire patiatur: cùm quis damni infecti ſatisdari, vel legatorum deſideret, F

XXXVI. PAVLVS *lib.* VIII. *ad edictum.*

VEl in operis noui nunciatione. Sed & ſi ſeruum ex cauſſa noxali patiatur duci, defendere videtur: ita tamen, vt in his oĩbus ratã rẽ dominũ habiturũ caueat.

Procurator debet defendere in communibus actionibus, & vna actio non debet diuidi in plures defenſores. ſecus ſi plures mouentur actiones. Bart.

XXXVII. VLPIANVS *lib.* IX. *ad edictum.*

OMnium autem actionum nomine debet defendere: etiam earum, quæ in hæredem non dantur. Vnde eſt quæſitum: ſi aduerſarius plures intẽdat actiones, & in ſingulas ſinguli exiſtant defenſionem ſuſcipere parati: an abſens defendi videatur? & videri eum rectè defendi

fendi Iulianus ait: quo iure nos vti Pomponius ſcribit.

XXXVIII. IDEM *lib.* III. *ad edictum.*

A NOn tamen eouſque procedendum erit: vt ſi decem petantur,& exiſtant duo defenſores parati in quina defendere: audiantur.

Procurator qui debet defendere, non debet etiam reſpondere eo caſu quo dominus teneretur: & eius reſponſio & taciturnitas ei præiudicat. Bar

XXXIX. IDEM *lib.* VIII. *ad edictum.*

NOn ſolùm autem in actionibus,& interdictis,& poſtulationibus debet dominũ defendere: verũ in interrogationibus quoq;: vt in iure interrogat⁹, ex omnibus cauſſis reſpondeat,ex quibus dominus. an ergo hæ-
B res ſit abſens, reſpõdere debebit: & ſi reſpõderit,vel tacuerit,tenebitur. Qui nomine alieno agit quacunque actione: id ratũ habiturũ eum, ad quẽ ea res pertinebit, cauere debet. Sed interdũ licet ſuo nomine procurator experiatur: tamen de rato debebit cauere, vt Pomponi⁹ libro viceſimoquarto ſcribit. vtputa iuſiurandũ procuratori retulit, iurauitq́; abſenti dari oportere. agit hoc iudicio ſuo nomine propter ſuum iuſiurandũ (nec enim hæc actio cõpetere domino potuit) ſed debebit de rato cauere. Sed & ſi procuratori conſtitutũ eſt,& ex ea cauſſa agat: dubitandũ non eſt, quin locus ſit de rato cautioni: idq́; Põponius ſcribit. Quæritur apud Iulianũ: vtrũ
C dominũ ſolũ ratam rẽ habere debet ſatiſdare, an etiã cæteros creditores? & ait dũtaxat de domino cauendũ, nec illis verbis, AD QVEM EA RES PERTINET, creditores contineri. nam nec ipſi domino hæc incumbebat cautio. Si de dote agat pater, cauere debet ratã rem filiam habituram. Sed & defendere eam debet, vt & Marcell⁹ ſcribit. Si pater filij nomine iniuriarũ agat: cũ duæ ſint actiones, vna patris, altera filij: ceſſat de rato cautio. Si ſtatus cõtrouerſiam cui faciat procurator: ſiue ex ſeruitute in libertatem aduerſus eum quis litiget, ſiue ipſe ex libertate in ſeruitutem petat: debet cauere ratam rem dominum habiturum: & ita edicto ſcriptum eſt, vt ex vtroque latere quaſi actor habeatur.

In cauſſa reſtitutionis in integrum cauetur de rato & de iudi-

rato soluendo. Bart.

Est & casus, quo quis eiusdem actionis nomine, & de rato caueat, & iudicatum solui. vtputa postulata est cognitio de in integrum restitutione, cum minor circunscriptus in venditione diceretur. alterius procurator existit. debet cauere hic procurator, ratam rem dominum habiturum: ne forte dominus reuersus, velit quid petere. Item iudicatum solui: vt si quid forte propter hanc restitutionem in integrum, præstari adolescéti debeat, hoc præstetur. & hæc ita Pomponius libro vicesimoquinto ad edictum scribit. Item ait, & si suspectus tutor postuletur: defensorem eius oportere etiam de rato cauere, ne reuersus ille velit retractare, quod actum est. Sed non facilè per procuratorem quis suspectus excusabitur: quoniam famæ caussa est. nisi constet ei à tutore mandatum nominatim: aut si etiam absente tutore, quasi non defenderetur, prætor erat cogniturus. D E

XL. IDEM *lib.* IX. *ad edictum.*

Pomponius scribit, non omnes actiones per procuratorem posse quem instituere. denique vt liberi, qui in potestate absentis dicuntur, ducantur: interdictum non posse desiderare ait: nisi (vt Iulianus ait) caussa cognita: id est, si nominatim ei mandatum sit, & pater valetudine, vel alia iusta caussa impediatur. Si stipuletur procurator damni infecti, vel legatorum: debebit de rato cauere. F

Qui alium defendit in actione reali: etiam de rato debet cauere.

Sed & is, qui quasi defensor, in rem actione conuenitur: præter solitam satisdationem IVDICATVM SOLVI, etiam de rato debet cauere. Quid enim si in hoc iudicio rem meam esse pronuncietur: & reuersus ille, cuius defensor extitit, velit fundum vindicare: nónne ratum non videbitur habere, quod iudicatum est? Denique si verus procurator extitisset, vel ipse præsens caussam suam egisset, & victus esset: si à me vindicaret, exceptione rei iudicatæ submoueretur: & ita Iulianus libro quinquagesimo digestorum scribit. nam cùm iudicatur rem meam esse, simul iudicatur illius non esse.

Exceptiones procuratoris debent opponi ante litem contestatam,
A *non post.* Bartolus.

Ratihabitionis autem satisdatio ante litis contestationem à procuratore exigitur, cæterùm semel lite contestata, non compelletur ad cautionem. In his auté personis, in quibus mandatum non exigimus, dicédum est: si fortè euidens sit, contra voluntatem eos experiri eorum, pro quibus interueniunt: debere eos repelli. Ergo non exigimus, vt habeant volũtatem vel mandatum: sed ne contraria voluntas probetur, quamuis de rato offerant actionem.

XLI. PAVLVS *lib.* IX. *ad edictum.*

B Foeminis pro parentibus agere interdum permittetur, caussa cognita: si fortè parentes morbus, aut ætas impediat: nec quemquam, qui agat, habeant.

In actionibus popularibus procurator dari nõ potest, nisi ad vtilitatem priuatam agentis pertineant. Bartolus.

XLII. IDEM *lib.* VIII. *ad edictum.*

Licet in popularibus actionibus procurator dari nõ possit: tamen dicendum est, meritò eum, qui de via publica agit, & priuato damno ex prohibitione adficitur: quasi priuatæ actionis dari posse procuratorem. multò magis dabit ad sepulchri violati actionem is, ad quem ea res pertinet. Ad actionem iniuriarum ex lege Cornelia procurator dari potest, nam & si pro publi-
C ca vtilitate exercetur, priuata est tamen.

Obligatio ex cõtractu mãdati parit actionẽ mandati, nisi ex necessitate præcedentis contractus mandatum fuit subsecutum. B.

Ea obligatio, quæ inter dominũ & procuratorem cõsistere solet, mandati actionem parit. aliquando tamen non contrahitur obligatio mandati: sicut euenit, cùm in rem suã procuratorem præstamus, eoque nomine iudicatum solui promittimus. nam si ex ea promissione aliquid præstiterimus: nõ mãdati, sed ex védito, si hæreditatem vẽdidimus: vel ex pristina caussa mandati agere debemus, vt sit, cùm fideiussor reum procuratoré dedit.

Qui habet vtiles, potest facere procuratorem eum qui habet directas. Bartolus.

Is, cui hæreditas ex Trebelliano Senatuscõsulto re-

ſtituta eſt: hæredem iure dabit procuratorem. Sed & dominum pignoris creditor rectè dabit procuratorem ad SERVIANAM. D

Vnus ex correis poteſt alium procuratorem conſtituere actiuè & paſſiuè.

Porrò ſi vni ex reis credendi conſtitutum ſit: iſque alium in conſtitutam pecuniam det: non negabimus poſſe dare. Sed & ex duobus reis promittendi alter alterum ad defendendum procuratorem dabit.

In iudiciis diuiſoriis plures vnũ procuratorẽ dare nõ poſſunt. B.

Si plures hæreds ſint, & FAMILIAE ERCISCVNDAE, aut COMMVNI DIVIDVNDO agatur: pluribus eundem procuratorem non eſt permittẽdum dare: quoniam explicari res non poteſt citra adiudicationes & condemnationes. Planè permittendum eſt dare, ſi vni cohæredi plures hæredes exiſtant. E

Si vnus uellet defendere reum, non committitur ſtipulatio ex clauſula de defendendo. Bartolus.

Reo latitante poſt litem conteſtatam, ita demum fideiuſſores eum defendere videbuntur: ſi vel vnus ex his eum pro ſolido defendat: vel omnes, vel quidam ex his vnum procuratorem dederint, in quem iudicium transferatur.

Quilibet poteſt procuratorẽ cõſtituere qui nõ reperitur prohibitus. Bart. XLIII. IDEM *lib.* IX. *ad edictum.*

MVtus & ſurdus per eum modũ, qui procedere poteſt, procuratorem dare non prohibentur. Forſitã & ipſi dantur: non quidem ad agendum, ſed ad adminiſtrandum. Cùm quæritur, an alicui procuratorẽ eum habere liceat: inſpiciendum erit, an non prohibeatur procuratorem dare: quia hoc edictum prohibitorium eſt. In popularibus actionibus, vbi quis quaſi vnus ex populo agit: defenſionem, vt procurator, præſtare cogendus non eſt. Is, qui curatorem alicui præſenti petit: non aliter audietur, niſi adulto conſentiente. quòd ſi abſenti: ratam rem eum habiturum, neceſſe habebit ſatiſdare. Pœna non defendentis procuratoris hæc eſt, vt denegetur ei actio. Si procurator agat, & præſens ſit abſentis ſeruus: Atilicinus ait, ſeruo cauendum, F

uendum, non procuratori.

A *Procurator qui ſatisdat de defendendo, cogitur defendere ſi actio tempore eſt peritura. Item ex cauſſa poteſt liberè non defendere. ſed ſi actio non eſt peritura, & ſine cauſſa non defendit, non cogitur: ſed ſtipulatio committitur.*

Et qui non cogitur defendere abſentem: tamen ſi iudicatum ſolui ſatiſdedit, defendendi abſentis gratia: cogendus iudicium accipere, ne decipiatur is, qui ſatis accepit. eos tamen, qui non coguntur rem defendere, poſt ſatiſdationem cogi, Labeo cauſſa cognita temperandum ait: & ſi captio actoris ſit propter temporis tractum, iudicium eum accipere cogendum. Quod ſi aut adfinitas dirempta ſit, aut inimicitiæ interceſſerint, B aut bona abſentis poſſideri cœperint:

XLIIII. VLPIANVS *lib.* VII. *Diſputationum.*

VEl ſi longinquo ſit abſuturus, vel alia iuſta cauſſa interuenerit:

XLV. PAVLVS *lib.* IX. *ad edictum.*

NOn cogendum. Sabinus ait, nullas prætoris eſſe partes ad compellendum defendere, ſed ex ſtipulatu ob rem non defenſam agere poſſe. At ſi iuſtam cauſſam habeat, cur iudicium accipere nolit: nec fideiuſſores teneri. quia vir bonus arbitraturus non fuit, vt qui iuſtam excuſationem adferret, defendere cogeretur. Sed & ſi ſatis non dedit, ſed ei repromittenti creC ditum eſt: idem ſtatuendum eſt. Qui ita de publico agunt, vt & priuatum commodum defendant: cauſſa cognita permittuntur procuratorem dare: & poſtea alius agens, exceptione repellitur.

Cautio quæ nõ poteſt committi, non debet interponi. *Bartolus.*

Si procuratori opus nouum nunciatum ſit, iſq̃ue interdicto vtatur, NE EI VIS FIAT AEDIFICANTI: defenſoris partes eum ſuſtinere, nec compelli cauere, ratam rem dominum habiturum, Iulianus ait. Et ſi ſatiſdederit: non animaduerto (inquit Iulianus) quo caſu ſtipulatio committatur.

XLVI. CAIVS *lib.* III. *ad edictum prouinciale.*

QVi proprio nomine iudicium accepit, ſi velit procuratorem dare, in quem actor transferat iudicium:

cium: audiri debet, solenniterque pro eo IVDICATVM SOLVI satisdatione cauere. Ei qui defendit eum, cuius nomine ipse non agit: liberum est vel in vnam rem defendere. Qui alium defendit, satisdare cogitur. nemo enim alienæ litis idoneus defensor sine satisdatione intelligitur. D

Qui defendit in præparatorio, cogitur defendere in pcuratorio.

Item quæritur, si iudicium acceperit defensor, & actor in integrum restitutus sit: an cogendus sit restitutorium iudicium accipere? & magis placet cogendum. Procurator vt in cæteris negociis gerendis, ita & in litibus bona fide rationem reddere debet. Itaque quod ex lite consecutus erit: siue principaliter ipsius rei nomine, siue extrinsecus ob eam rem: debet mandati iudicio restituere. vsque adeò, vt si per errorem, aut per iniuriam iudicis non debitum consecutus fuerit: id quoque reddere debeat. Item contrà, quod ob rem iudicatam procurator soluit: contrariò mandati iudicio recuperare debet. Pœnam autem, quam ex suo delicto præstitit, recuperare non debet. Litis impendia bona fide facta, vel ab actoris procuratore, vel rei: debere ei restitui, æquitas suadet. Si duobus mandata administratione, eorum alter debitor sit mandatoris: an alter cum eo rectè acturus sit? & vtique rectè. non enim ob id minus procurator intelligitur: quòd is quoque, cum quo agitur, procurator sit. E F

XLVII. IVLIANVS *lib.* IIII. *ad Vrseium Ferocem.*

QVi duos procuratores omnium rerum suarum reliquit: nisi nominatim præceperit, vt alter ab altero pecuniam petat: non videtur mandatum vtrilibet eorum dedisse.

XLVIII. CAIVS *lib.* III. *ad edictum prouinciale.*

ITaque si hoc specialiter mandatum est: tunc excipiẽte eo, cum quo agitur, SI NON MIHI MANDATVM SIT, VT A CREDITORIBVS PETEREM: actoré ita debere replicare placet, AT SI MIHI MANDATVM EST, VT A TE PETEREM? XLIX. PAVLVS *lib.* IIII. *ad edictum.*

IGnorantis domini conditio deterior per procuratorem

rem fieri non debet.

A L. CAIVS *lib.* XXIII. *ad edictum prouinciale.*

QVacunque ratione procurator tuus à me liberatus est, id tibi prodesse debet.

Qui potest in integrum restitui, non est idoneus defensor. & restitutio principalis prodest fideiussori. Bartolus.

LI. VLPIANVS *lib.* LX. *ad edictum.*

MInor vigintiquinque annis, si defensor existat, in quibus caussis in integrum restitui potest: defensor idoneus non est. quia & ipsi, & fideiussorib' eius per in integrũ restitutionem succurritur. Quoniam autem defendere est eandem vicem, quam reus, subire: defensor mariti amplius, quàm maritus facere possit, non est condemnandus Is, qui suscepit defensionem, & si locu-B pletissimus sit,

LII. PAVLVS *lib.* VI. *ad edictum.*

AVt si consularis sit:

LIII. VLPIANVS *lib.* LX. *ad edictum.*

NOn videtur defendere, nisi satisdare fuerit parat'.

Vtilis præfertur directæ. Bartolus.

LIIII. PAVLVS, *lib.* I. *ad edictum.*

NEque fœmina, neq; miles, neq; qui reipublicæ caussa absuturus est, aut morbo perpetuò tenet, aut magistratũ initurus est, aut inuitus iudiciũ pati nõ potest: idoneus defensor intelligitur. Tutores quo in loco C adminiſtrauerunt, eodẽ loco & defendi debent.

LV. VLPIANVS *lib.* LXV. *ad edictum.*

PRocuratore in rem suam dato: præferendus non est dominus procuratori in litem mouendam, vel pecuniam suscipiendam. qui enim suo nomine vtiles actiones habet: ritè eas intendit.

LVI. IDEM *lib.* LXVI. *ad edictum.*

AD rem mobilem petẽdam datus procurator, ad exhibendum rectè aget.

LVII. IDEM *lib.* XXIIII. *ad edictum.*

QVi procuratorem dat, vt confestim agat: is intelligendus est permittere procuratori, & postea litem peragere. Si quis remisit exceptionẽ procuratoriam, non poterit ex pœnitentia eam opponere.

Procurator

Procurator cum libera potest omnia facere quæ dominus facere posset: & etiam alienare si donationem non contineat. D

LVIII. PAVLVS *lib.* LXXX. *ad edictum.*

PRocurator, cui generaliter libera administratio rerum cõmissa est: potest exigere, aliud pro alio permutare.

LIX. IDEM *libro.* X. *ad Plautium.*

SEd & id quoque ei mandari videtur, vt soluat creditoribus.

Procurator generalis sine libera non potest transigere.

LX. IDEM *lib.* IIII. *Responsorum.*

MAndatu generali non contineri etiam transactionem decidēdi caussa interpositã. & ideo si postea is, qui mandauit, transactioné ratam non habuit: non posse eum repelli ab exercendis actionibus. E

In procuratorem simplicem non fit executio iudicati: secus in defensorem. Bartolus.

LXI. IDEM *lib.* I. *ad* Plautium.

PLautius ait. procuratorem damnatum non debere conueniri: nisi si aut in rem suam datus esset, aut obtulisset se, cùm sciret cautum non esse: omnibus placuit. Idem erit obseruandum, & si defensoris loco cum satisdatione se liti obtulerit.

LXII. POMPONIVS *lib.* II. *ad* Plautium.

AD legatum petendum procurator datus, si interdicto vtatur aduersus hæredem DE TABVLIS EXHIBENDIS: procuratoria exceptio, quasi non & hoc ei mandatum esset, non obstat. F

Procurator generalis sine libera vel sine speciali mandato non potest vendere nisi res tempore perituras. Bartolus.

LXIII. MODESTINVS *lib.* II. *Differentiarum.*

PRocurator totorum bonorum, cui res administrandæ commissæ sunt: res domini neque mobiles, neque immobiles, vel seruos sine speciali domini mãdatu alienare potest: nisi fructus, aut alias res, quę facilè corrumpi possunt.

A *persona defensoris in dominũ fit translatio litis caussa cognita.*

LXIIII. IDEM *lib.* III. *Regularum.*

IS, cuius nomine defensor exstitit: si ante litem cõtesta

tam in

tam in præſentia fuerit, & poſtulet ſuo nomine litem ſuſcipere: cauſſa cognita audiendus eſt.

A

Procurator de cuius mandato cõſtat, non cauet de rato. Item reuocatio mandati, quæ in notitiam iudicis vel aduerſarii nõ peruenit, iudicium nullum non reddit. Bartolus.

LXV. IDEM. *lib. Singulari* περὶ εὑρηματικῶν.

SI procuratorem abſentem dominus ſatiſdatione releuare velit, literas ſuas ad aduerſariũ dirigere debebit: quibus ſignificet, quem aduerſus eum procuratorem, & in qua cauſſa fecerit: ratúmque ſe habiturũ, quod cum eo actum ſit. hoc enim caſu, literis eius adprobatis, velut præſentis procuratorem interuenire intelligendum eſt. Itaque & ſi poſtea, mutata voluntate, procuratorem eſſe noluerit: tamẽ iudicium, quo procurator expertus eſt, ratum eſſe debet.

B

Electio facta per procuratorem ita conſumit ius eligendi ſicut ſi facta eſſet per dominum. Bartolus.

LXVI. IDEM *lib.* X. πανδεκτῶν. & PAPINIANVS *lib.* IX. *Reſponſorum.*

SI is, qui Stichũ aut Damam, vtrum eorum ipſe vellet, ſtipulatus eſt: ratum habeat; quod alterum procuratorio nomine Titius petit: facit, vt res in iudicium deducta videatur, & ſtipulationem conſumat.

Procurator qui pro euictione promiſit, tenetur finito officio. B.

LXVII. PAPINIANVS *lib.* I. *Reſponſorum.*

C

PRocurator, qui pro euictione prædiorum, quæ vendidit, fidem ſuam adſtrinxit: & ſi negocia gerere deſierit, obligationis tamen onere prætoris auxilio non leuabitur. nam procurator, qui pro domino vinculum obligationis ſuſcepit, onus eius fruſtra recuſat.

Ex re noſtra quæritur nobis actio per alium.

LXVIII. IDEM *lib.* II. *Reſponſorum.*

QVod procurator ex re domini, mandato nõn refragante, ſtipulatur: inuito procuratore dominus petere poteſt.

LXIX. PAVLVS *lib.* III. *Reſponſorum.*

PAulus reſpondit: etiam eum, qui ad litem ſuſcipiendam procuratorem dedit, cauſſæ ſuæ adeſſe nõ prohiberi.

Procurator

Procurator in rem ſuam ex cauſſa lucratiua debet dominum defendere. Bartolus. D

LXX. SCAEVOLA *lib. I. Reſponſorum.*

PAter filio ſuo pupillo, tutorem dedit Sempronium creditorem ſuum. is adminiſtrata tutela, reliquit fratrem ſuum hæredẽ: qui & ipſe deceſſit, & per fidei commiſſum nomen debitoris Titio reliquit: eique mandatæ ſunt actiones ab hæredibꝰ. quæro: cùm tam tutelæ actio, quàm pecuniæ creditæ ex hæreditate Sẽpronij deſcendant: an nõ aliter mandata ei actio detur, quàm ſi defendat hæredes, à quibus ei actiones mandatæ ſunt? reſpondi, debere defendere.

LXXI. PAVLVS. *lib. I. Sententiarum.*

ABſens reus cauſſas abſentiæ per procuratorem reddere poteſt. E

Per liberam perſonam actio habita & ius habitum conſeruatur. Bartolus.

LXXII. IDEM *lib. I. Manualium.*

PEr procuratorem non ſemper adquirimus actiones, ſed retinemus: veluti ſi reum cõueniat intra legitimum tempus: vel ſi prohibeat opus nouũ fieri, vt interdictum nobis vtile ſit, QVOD VI AVT CLAM. nam & hic priſtinum ius nobis conſeruat.

Qui paratus eſt ſoluere, non cogitur iudiciũ ſuſcipere. Bartolus.

LXXIII. IDEM. *lib. ſingulari de officio adſeſſorum.*

SI reus paratus ſit ante litem conteſtatam pecuniam ſoluere, procuratore agente, quid fieri oportet? nam iniquum eſt cogi eum iudicium accipere, propter quod ſuſpectus videri poteſt, qui præſente domino non obtulerit pecuniam. Quid enim ſi tunc facultatem pecuniæ non habuit? nunquid cogi debet iudicium accipere? quid ſi & famoſa ſit actio? Sed hoc conſtat: vt ante litem conteſtatam præſes iubeat in æde ſacra pecuniam deponi. hoc enim fit & in pupillaribus pecuniis. Quòd ſi lis conteſtata eſt: hoc omne officio iudicis dirimendum eſt. F

LXXIIII. VLPIANVS *lib. VI. Opinionum.*

NEc ciuitatis actor negocium publicum per procuratorem agere poteſt.

Ab eo qui protestatur aliquid nomine alieno, potest peti cautio de rato si petentis interest caueri.

A

L X X V. I V L I A N V S *lib.* V I I I. *Digestorum.*

QVi absentem emptorem, eundémque possessorem fundi defendebat, & iudicium nomine eius accipiebat: postulabat à venditore fundi, vt ab eo defenderetur. venditor desiderabat caueri sibi, ratã rem emptorem habiturum. puto eum venditori de rato satisdare debere. quià si fundum agenti restituerit: nihil prohibet dominum repetere,& cogi venditorem rursus defendere.

Inopia rei non excusat defensorem qui satisdedit: ideo si non defendit stipulatio committitur. Bartolus.

B

L X X V I. I D E M *lib.* V. *ad Minicium.*

TItius cùm absenté defenderet, satisdedit: & prius, quàm iudicium acciperet, desiit reus soluendo esse: quam ob caussam defensor recusauit iudicium in se reddi oportere: quæro, an id ei concedi oporteat? I V L I A N V S respondi: defensor, cùm satisdedit, domini loco habédus est. nec multum ei præstiturus est prætor, si eum nó coëgerit iudicium accipere: cùm ad fideiussores eius actor ire possit,& ij quidquid prę stiterint, à defensore consecuturi sint.

Qui exceptiones calumniosas opponit, non videtur boni viri arbitratu defendere: & ideo stipulatio committitur. Bartolus.

C

L X X V I I. P A V L V S *lib.* V I I I. *ad edictum.*

OMnis qui defenditur, boni viri arbitratu defendendus est.

L X X V I I I. A F R I C A N V S *lib.* V I. *Quæstionum.*

ET ideo non potest videri boni viri arbitratu litem defendere is, qui actorem frustrando efficiat, ne ad exitum controuersia deducatur. Ad duas res petendas procurator datus, si vnam rem petat: exceptione non excluditur,& rem in iudicium deducit.

QVOD CVIVSCVNQVE VNIVERsitatis nomine, uel contra eam agetur.

Titulus IIII.

Omne

Omne collegium eſt improbatum, niſi appareat ſpecialiter approbatum. D

CAIVS *lib.* III. *ad edictum prouinciale.*

NEque ſocietatem, neque collegium, neq; huiuſmodi corpus paſſim omnibus habere conceditur. nam & legibus, & ſenatusconſultis, & principalibus cõſtitutionibus ea res coërcetur. Paucis admodum in cauſſis conceſſa ſunt huiuſmodi corpora: vt ecce vectigalium publicorũ ſociis permiſſum eſt corpus habere: vel auri fodinarum, vel argẽti fodinarũ, & ſalinarũ. Itẽ collegia Romæ certa ſunt, quorũ corpus Senatuſconſultis atq; conſtitutionibus principalibus confirmatum eſt: veluti piſtorum, & quorũdam aliorũ, & nauiculariorũ, qui & in prouinciis ſunt. E Quib⁹ autẽ permiſſum eſt corp⁹ habere, collegij, ſocietatis, ſiue cuiuſcunque alterius nomine: eorũ proprium eſt, ad exemplum reipublicæ habere res communes, arcam communem, & actorem, ſiue ſyndicum: per quem, tãquam in rempublicam, quod cõmuniter agi fieri oporteat, agatur fiat.

Si vniuerſitas non defendatur, contra eam ad primum & ſecundum decretum proceditur. Bartolus.

Quòd ſi nemo eos defendat: quod eorum commune erit, poſſideri: & ſi moniti, non excitentur ad defenſionem ſui, venire ſe iuſſurum procõſul ait. Et quidem non eſſe actorem vel ſyndicum, tunc quoque intelligimus: F cùm is abſit, aut valetudine impediatur, aut inhabilis ſit ad agendum. Et ſi extraneus velit defendere vniuerſitatem, permittit proconſul, ſicut in priuatorum quoque defenſionibus obſeruatur: quia eo melior conditio vniuerſitatis ſit.

Actor vniuerſitatis non dicitur actor ſingulorum.

II. VLPIANVS *lib.* VIII. *ad edictum.*

SI municipes, vel aliqua vniuerſitas ad agendum det actorem: non erit hic dicendum, quaſi à pluribus datum, ſic haberi. hic enim pro republica, vel vniuerſitate interuenit, non pro ſingulis.

Sine mandato legis vel vniuerſitatis nemo poteſt experiri pro ipſa vniuerſitate, & dicitur habere mandatum ab ipſa vniuerſitate ille qui

ille qui habet mandatum à maiori parte vniuersitatis congregata:
A *in qua congregatione requiruntur ad minus duæ partes omniũ habentium vocem: & in istis duabus partibus connumeratur etiam ille qui eligitur: & vox patris prodeſt filio, & econtrà.* Item *uox fratris prodeſt fratri: niſi ſtatutum vel conſuetudo interdicat. Bal.*

III. IDEM *lib.* IX. *ad edictum.*

NVlli permittitur nomine ciuitatis vel curiæ experiri, niſi ei, cui lex permittit: aut lege ceſſante, ordo dedit: cùm duæ partes adeſſent, aut amplius, quàm duæ.

IIII. PAVLVS *lib.* IX. *ad edictum.*

PLanè vt duæ partes decurionum adfuerint: is quo-
B que, quem decernunt, adnumerari poteſt.

V. VLPIANVS *lib.* IX. *ad edictum.*

ILlud notandum Pomponius ait, quod & patris ſuffragium filio proderit, & filij patri.

VI. PAVLVS *lib.* IX. *ad edictum.*

ITem eorũ, qui in eiuſdem patris poteſtate ſunt. quaſi decurio enim hoc dedit, non quaſi domeſtica perſona. Quod & in honorum petitione erit ſeruãdum: niſi lex municipij, vel perpetua conſuetudo prohibeat.

Si decuriones decreuerunt actionem per eum mouendam, quem Duûmuiri elegerunt: is videtur ab ordine electus, & experiri poteſt. parui enim refert, ipſe or-
C do eligat, an is cui ordo negocium dedit. Sed ſi ita decreuerint, vt quæcunque incidiſſet cõtrouerſia, eius petendæ negotium Titius haberet: ipſo iure id decretum nullius momenti eſſe videtur: quia non poſſit videri, de ea re, quæ adhuc in controuerſia non ſit, decreto datam perſecutionem. Sed hodie hæc omnia per ſyndicos ſolẽt, ſecũdum locorũ conſuetudinẽ, explicari. Quod ſi actor datus, poſtea decreto decurionum, prohibitus ſit: an exceptio ei noceat? & puto ſic hoc accipiendum: vt ei permiſſa videantur, quæ & permiſſa durant.

Actor vniuerſitatis debet defendere, & de rato cauere ſi dubitatur de mandato, Bartolus.

Actor vniuerſitatis ſi agat, compellitur etiam defendere: non autem compellitur de rato cauere. Sed inter-

dum,si de decreto dubitetur,puto interponendam & de rato cautionem. Actor itaque iste procuratoris partibus fungitur:& iudicati actio ei ex edicto non datur, nisi in rem suam datus sit:& constitui ei potest. Ex iisdem caussis mutandi actoris potestas erit, ex quibus etiam procuratoris. Actor etiam filiusfamiliâs dari potest. D

Sicut uniuersitas potest agere:ita potest conueniri.

VII. VLPIANVS *lib.* IX. *ad edictum.*

SIcut municipum nomine actionem prætor dedit:ita & aduersus eos edicendum,iustissime putauit. Sed & legato, qui in negocio publico sumptum fecit, puto dandam actionem in municipes. Si quid vniuersitati debetur, singulis non debetur: nec quod debet vniuersitas,singuli debent. In decurionibus,vel aliis vniuersitatibus, nihil refert: vtrum omnes iidem maneant, an pars maneat,vel omnes immutati sint.Sed si vniuersitas ad vnum recidit: magis admittitur posse eum conuenire & conueniri:cùm ius omnium in vnũ reciderit,& exstet nomen vniuersitatis. E

Si non reperiuntur res mobiles & immobiles: peruenitur ad nomina debitorum.Bartolus.

VIII. IABOLENVS *lib.* XV. *ex Cassio.*

CIuitates si per eos,qui res earum administrant,non defenduntur: nec quidquam est corporale reipublicæ,quod possideatur:per actiones debitorum ciuitatis,agentibus satisfieri oportet. F

Contra ciuitatem vel municipium potest agi diuisorio iudicio. Bal.

IX. POMPONIVS.*lib.* XII. *ad Sabinum.*

SI tibi cum municipibus hæreditas communis erit:familiæ Ercifcundæ iudicium inter vos redditur. Idémque dicendum est in finium regundorum, & aquæ pluuiæ arcendę iudicio.

X. PAVLVS *lib.* I. *Manualium.*

COnstitui potest actor,& ad operis noui nunciationem,& ad stipulationes interponendas: veluti legatorum,damni infecti,iudicatum solui:quamuis seruo potius ciuitatis caueri debeat. sed & si actori cautũ fuerit: vtilis actio administratori rerum ciuitatis dabitur.

Negociorũ

NEGOCIORVM GESTORVM. Titulus V.

A

VLPIANVS *lib.* X. *ad edictum.*

H Oc edictum necessarium est. quoniam magna vtilitas absentium versatur: ne indefensi rerum possessionem, aut venditionem patiantur, vel pignoris distractioné, vel pœnæ committendæ actionem, vel iniuria rem suam amittant.

Inter gerentem & eum cuius negocia geruntur, datur actio negociorum gestorum vtrique. Bartolus.

II. CAIVS *lib.* III. *ad edictum prouinciale.*

B SI quis absentis negocia gesserit, licet ignorantis: tamen quidquid vtiliter in rem eius impéderit, vel etiam si se in rem absentis alicui obligauerit: habet eo nomine actionem. Itaque eo casu vltro citróque nascitur actio, quæ appellatur NEGOCIORVM GESTORVM. Et sanè sicut æquum est ipsum actus sui rationem reddere: & eo nomine condemnari, quidquid vel non, vt oportuit, gessit, vel ex his negociis retinet: ita ex diuerso iustum est, si vtiliter gessit, præstari ei, quidquid eo nomine vel abest ei, vel absuturum est.

III. VLPIANVS *lib.* X. *ad edictum.*

C AIt prætor. SI QVIS NEGOCIA ALTERIVS: SIVE QVIS NEGOCIA, QVAE CVIVS, CVM IS MORIRETVR, FVERINT, GESSERIT: IVDICIVM EO NOMINE DABO. Hæc verba SI QVIS, accipienda sic sunt, SIVE QVAE. Nam & mulieres negociorum gestorum agere posse & conueniri non dubitatur: NEGOCIA sic accipe: siue vnum, siue plura. ALTERIVS, inquit, & hoc ad vtrumque sexum refertur. Pupillus sanè, si negocia gessit, post rescriptum diui Pij conueniri potest in id, quod factus est locupletior: agendo autem compensationem eius, quod gessit, patitur. Et si furiosi negocia gesserim: competit mihi aduersus eum negociorum gestorum actio. Curatori autem furiosi vel furiosæ aduersus eum eámve dandam actionem, Labeo ait. Hæc verba, SI-

ba, SIVE QVIS NEGOCIA, QVAE CVIVS, CV'M IS MORIRETVR, FVERINT, GESSERIT: significant illud tempus, quo quis post mortem alicuius negocia gessit. de quo fuit necessarium edicere: quoniam neque testatoris iam defuncti, neque hæredis, qui nondum adiit, negocium gessisse videtur. Sed si quid accessit post mortem: vtputa partus, & fœtus, & fructus, vel si quid serui adquisierunt: & si his verbis non continetur, pro adiecto tamen debet accipi. Hæc actio autem, cùm ex negocio gesto oriatur: & hæredi & in hæredem competit. Si exsecutor à prætore datus, in negocio gerẽdo dolum mihi fecerit: dabitur mihi aduersus eum actio. Interdum in negociorum gestorum actione Labeo scribit, dolum solummodo versari. nam si adfectione coactus, ne bona mea distrahãtur, negociis te meis obtuleris: æquissimum esse dolum duntaxat te præstare. quæ sententia habet æquitatem. D E

Hæc actio datur contra gestorem etiam ex necessitate uera vel putatiua.

Hac actione tenetur, non solum is, qui sponte & nulla necessitate cogente, immiscuit se negociis alienis, & ea gessit: verùm is etiam, qui aliqua necessitate vrgẽte, vel necessitatis suspicione, gessit.

Mandatum verum Titii vel putatiuum domini non impedit actionem negociorum gestorum contra dominum oriri.

Apud Marcellum libro secundo Digestorum quæritur: si cùm proposuissem negocia Titij gerere, tu mihi mandaueris, vt geram: an vtraque actione vti possim? & ego puto vtramque locum habere: quemadmodum ipse Marcellus scribit, si fideiussorem accepero negocia gesturus. nam & hic dicit aduersus vtrumque esse actionem. F

IIII. IDEM. *lib.* XLV. *ad Sabinum.*

SEd videamus, an fideiussor hic habere aliquã actionem possit. & verum est negociorum gestorũ eum agere posse, nisi donandi animo fideiussit.

Falsa opinio domini non impedit hanc actionem contra verum dominum. Bartolus.

V. IDEM *lib.* X. *ad edictum.*

Item

A Item ſi, cùm putaui à te mihi mandatum, tua negocia geſſi: & hic naſcitur negociorum geſtorum actio, ceſſante mandati actione. Idem eſt etiam, ſi pro te fideiuſſero, dum puto mihi à te mandatum eſſe. Sed & ſi putaui Titij negocia eſſe, cùm eſſent Sempronij, eáque geſſi: ſolus Sempronius mihi actione negociorum geſtorum tenetur, vt Iulianus libro tertio Digeſtorum ſcribit. Si pupilli tui negocia geſſero non mandatu tuo, ſed ne tutelæ iudicio tenearis: negociorum geſtorum te habebo obligatum. Sed & pupillum: modo ſi locupletior factus ſit.

Ex mutuo contracto cum procuratore contẽplatione domini, dominus tantum obligatur. Item obligatio procuratoris non impedit
B *actionem oriri contra dominum.*

Item ſi procuratori tuo mutuã pecuniam dedero tui contemplatione, vt creditorem tuum, vel pignus tuum liberet: aduerſus te negotiorum geſtorum habeo actionem: aduerſus eum, cum quo contraxi, nullam. Quid tamen, ſi à procuratore tuo ſtipulatus fuero? poteſt dici, ſupereſſe mihi aduerſus te negociorum geſtorum actionem: quia ex abundanti hanc ſtipulationem interpoſui. Si quis pecuniam, vel aliam quandam rem ad me perferendam acceperit: quia meum negocium geſſit, negociorum geſtorum mihi actio aduerſus eum competit.

C *Qui gerit negocia animo deprædandi, actione negociorum geſtorum tenetur: ipſe tamen agere non poteſt, niſi quatenus dominus locupletior factus eſt.* Bartolus.

Sed ſi quis negocia mea geſſerit, non mei contemplatione, ſed ſui lucri cauſſa: Labeo ſcribit, ſuum eum potius, quàm meum negocium geſſiſſe. qui enim deprædandi cauſſa accedit: ſuo lucro, non meo commodo ſtudet. Sed nihilominus, imò magis & is tenebitur negociorum geſtorum actione. Ipſe tamen, ſi circa res meas aliquid impenderit: non in id, quod ei abeſt, (quia improbe ad negocia mea acceſſit) ſed in quo ego locupletior factus ſum, habet contra me actionem.

Quatenus negocium ſpectat ad gerentem, actio iſta non oritur: ſed inquantum ſpectat ad alium, oritur.

Sed ſi quis ita ſimpliciter verſatus eſt, vt ſuum negocium in ſuis bonis,quaſi meum, geſſerit: nulla ex vtroque latere naſcitur actio : quia nec fides bona hoc patitur.Quòd ſi & ſuum negocium & meum,quaſi meũ geſſerit : in meum tenebitur . nam & ſi cui mandauero , vt meum negocium gerat , quod mihi tecum erat commune: dicendum eſſe Labeo ait, ſi & tuum geſſit ſciens,negociorum geſtorum eum tibi teneri. Si quis quaſi ſeruus meus negocium meum geſſerit , cùm eſſet vel libertus , vel ingenuus : dabitur negociorum geſtorum actio. D

Si negocium poteſt pertinere ad eum cuius contemplatione geritur quoquo modo re ipſa : contra eum cuius verè eſt, non agitur , etiam ſi ratum habeat.& non poteſt habere ratum quod ſuo nomine non eſt geſtum. E

Sed ſi ego filij tui negocia geſſerim,vel ſerui: videamus,an tecum negociorum geſtorum habeam actionem. & mihi videtur verum, quod Labeo diſtinguit, & Pomponius libro viceſimo ſexto probat : vt ſi quidem contemplatione tui negocia geſſi peculiaria,tu mihi tenearis.quòd ſi amicitia filij tui,vel ſerui,vel eorum contemplatione:aduerſus patrem vel dominum de peculio dũtaxat dandam actionem. Idémque eſt , & ſi ſui iuris eſſe eos putaui . Nam & ſi ſeruum non neceſſarium emero filio tuo,& tu ratum habueris: nihil agitur ratihabitione. Eodem loco Pomponius ſcribit, hoc adiecto:quod putat,& ſi nihil ſit in peculio(quoniam plus patri dominóve debetur)& in patrem dandam actionem, in quantum locupletior ex mea adminiſtratione factus ſit. F

Contra eum ad quem ſpectat verè negocium, competit hæc actio non inſpecta falſa opinione gerentis,Bartolus.

Sed & ſi hominis liberi, qui tibi bona fide ſeruiebat, negocia geſſero: ſiquidem putans tuum eſſe ſeruum geſſi: Pomponius ſcribit, earum rerum cauſſa, quæ te ſequi debent,tecum mihi fore negociorum geſtorũ actionem: earum verò rerum,quę ipſum ſequuntur:non tecum,ſed cum ipſo.Sed & ſi liberum ſciui: earum quidem rerum, quæ eũ conſequuntur,habebo aduerſus eum actionem: earum verò rerum,quæ te ſequuntur,aduerſus te.

Expenſa

Expensa facta ne res pereat: repetitur ab eo ad quem res spectat: non inspecta falsa opinione gerentis. Bart.

A Si Titij seruum putans, qui erat Sempronij, dedero pecuniam, ne occideretur: vt Pomponi⁹ ait, habebo negociorum gestorum aduersus Sempronium actionem.

Item quæritur apud Pedium libro septimo: si Titium quasi debitorem tuum extra iudicium admonuero, & is soluerit mihi, cùm debitor tuus non esset: tuque postea cognoueris, & ratum habueris: an negociorum gestorũ actione me conuenire possis? Et ait dubitari posse: quia nullum negocium tuum gestum sit, cùm debitor tuus non fuerit. Sed ratihabitio (inquit) fecit tuum negocium. Et sicut ei, à quo exactum est, aduersus eum datur

B repetitio, qui ratum habuerit: ita & ipsi debebit post ratihabitionem aduersus me competere actio. Et sic ratihabitio constituit negocium tuum, quod ab initio tuum non erat, sed tui contemplatione gestum. Item ait: si Titij debitorem, cui te hæredem putabam, cũ esset Seius, conuenero similiter & exegero: mox tu ratum habueris: esse mihi aduersus te, & tibi mutuam negociorũ gestorum actionem. Atqui alienum negocium gestum est. sed ratihabitio hoc conciliat. quæ res efficit, vt tuum negocium gestũ videatur, & à te hæreditas peti possit. Quid ergo (inquit Pedius) si cùm te hæredem putarem, insulam fulsero hæreditariam: tuque ratum habueris: an sit

C mihi aduersus te actio? Sed non fore ait: cùm hoc facto meo alter sit locupletatus, & alterius re ipsa gestum negocium sit: nec possit, quod alij adquisitum est ipso gestu, hoc tuum negocium videri.

Gestor tenetur de neglectis si alius erat gesturus: item si à se non exigit: secus si non exigit ab alio: nisi esset de illis personis quæ possunt agere sine mandato. Bart.

Videamus in persona eius, qui negocia administrat, si quædam gessit, quædam non: contemplatione tamen eius alius ad hoc non accessit, & vir diligens (quod ab eo exigimus) etiam ea gesturus fuit: an dici debeat, negociorum gestorum actione eum teneri & propter ea, quæ non gessit. quod puto verius. Certè si quid à se exigere debuit, proculdubio hoc ei imputabitur. Quanquam

enim hoc ei imputari non possit, cur alios debitores nõ conuenerit (quoniam conueniendi eos iudicio facultatem non habuerit, qui nullam actionem intendere potuit) tamen à semetipso cur non exegerit, ei imputabitur. & si fortè non fuerat vsurarium debitum, incipiet esse vsurarium: vt diuus Pius Flauio Lõgino rescripsit: nisi fortè (inquit) vsuras ei remiserit. D

VI. PAVLVS *lib. IX. ad edictum.*

QVia tantundem in bonæ fidei iudiciis officium iudicis valet, quantum in stipulatione nominatim eius rei facta interrogatio.

VII. VLPIANVS *lib. X. ad edictum.*

SI autem is fuit, qui negocia administrauit, à quo mãdatum non exigebatur: posse ei imputari, cur oblata de rato cautione eum non conuenerit: si modò facilè ei fuit satisdare. certè in sua persona non dubitatum est. & ideo si ex caussa fuit obligatus, quæ certo tempore finiebatur, & tempore liberatus est: nihilominus negociorum gestorum actione erit obligatus. Idem erit dicendum, & in ea caussa, ex qua hæres non teneretur, vt Marcellus scribit. Item si fundum tuum vel ciuitatis per obreptionem petiero, negocium tuum vel ciuitatis gerens: & ampliores, quàm oportuit, fructus fuero consecutus: debebo hoc ipsum tibi vel reipublicæ præstare, licet petere non potuerim. E

Sententia lata super exceptionè inducit exceptionem rei iudicatæ: si illud postea per modum actionis proponitur. Bart. F

Si quocunque modo ratio compensationis habita nõ est à iudice: potest contrario iudicio agi. Quod si post examinationem reprobatæ fuerint compensationes: verius est, quasi re iudicata, amplius agi contrario iudicio non posse: quia exceptio rei iudicatæ opponenda est.

Prohibitio impedit hanc actionem oriri contra prohibentem socium non contra alium non prohibentem.

Iulianus libro tertio tractat, si ex duobus sociis alter me prohibuerit administrare, alter non: an aduersus eum, qui non prohibuit, habeam negociorum gestorum actionem. mouetur eo: quod si data fuerit aduersus eum actio, necesse erit & eum perstringi, qui vetuit. Sed & illud

illud esse iniquum, eum, qui non prohibuit, alieno facto liberari: cùm & si mutuã pecuniam alteri ex sociis prohibente socio dedissem, vtique eum obligarem, & puto secundum Iulianum debere dici, superesse contra eum, qui non prohibuit, negociorum gestorum actionem: ita tamen, vt is, qui prohibuit, ex nulla parte neque per socium, neque per seipsum damni aliquid sentiat.

A

VIII. SCAEVOLA *lib.I. Quaestionum.*

POmponius scribit. SI NEGOCIVM À TE, QVAMVIS MALÈ GESTVM, PROBAVERO: NEGOCIORVM TAMEN GESTORVM TE MIHI NON TENERI. Videndum ergo, ne in dubio hoc, an ratum habeam, actio negociorum gestorum pendeat. nam quomodo, cùm semel cœperit, nuda voluntate tolletur? SED SVPERIVS ITA SE PVTARE, SI DOLVS MALVS À TE ABSIT. Imò puto, & si comprobem, adhuc negociorum gestorum actioné esse. SED EO DICTO TE MIHI NON TENERI, QVOD REPROBARE NON POSSIM SEMEL PROBATVM: ET QVEMADMODVM, QVOD VTILITER GESTVM EST APVD IVDICEM, NECESSE EST PRO RATO HABERI: ITA OMNE, QVOD AB IPSO PROBATVM EST. Cæterùm si, vbi probaui, non est negociorum gestorum actio: quid fiet, si à debitore meo exegerit, & probauerim, quemadmodum recipiam? Item si vendiderit? ipse denique si quid impenderit, quemadmodum recipiet? nam vtique mandatum nó est. erit igitur & post ratihabitionem negociorum gestorum actio.

B

C

IX. VLPIANVS *lib.X. ad edictum.*

SEd an vltro mihi tribuatur actio sumptuum, quos feci? & puto competere: nisi specialiter id actum est, vt neuter aduersus alterum habeat actionem. Is autem, qui negociorum gestorum agit: non solùm si effectum habuit negocium, quod gessit, actione ista vtetur: sed sufficit, si vtiliter cœpit, etiam si effectum non habuit negocium. & ideo si insulam fulsit, vel seruum ægrum curauit:

curauit: etiam ſi inſula exuſta eſt, vel ſeruus obiit: aget NEGOCIORVM GESTORVM, idque & Labeo probat. Sed (vt Celſus refert) Proculus apud eum notat, non ſemper debere dari. quid enim ſi eam inſulam fulſit, quam dominus quaſi impar ſumptui dereliquerit, vel quam ſibi neceſſariam non putarit? onerauit (inquit) dominum ſecundum Labeonis ſententiam, cùm vnicuique liceat & damni infecti nomine rem derelinquere. Sed iſtam ſententiam Celſus eleganter deridet. is enim negociorum geſtorum (inquit) habet actioné, qui vtiliter negocia geſſit. non autem vtiliter negocia gerit: qui non neceſſariam rem, vel quæ oneratura eſt patremfamiliâs, aggreditur. iuxta hoc eſt, & quod Iulianus ſcribit: eum, qui inſulam fulſit, vel ſeruum ægrum curauit: habere negociorum geſtorum actionem ſi vtiliter hoc faceret, licet euentus non ſit ſecutus. Ego quæro: quid ſi putauit ſe vtiliter facere, ſed patrifamiliâs non expediebat? dico hunc non habiturum negociorum geſtorum actionem. vt enim euentum non ſpectemus, debet vtiliter eſſe cœptum. D E

Geſtor tenetur de dolo & culpa: item de caſu, ſi negocia inſolita inchoauit. & damnum in vno, compenſatur cum lucro in alio. Bart.

X. POMPONIVS *lib.* VII. *ad Quint.* Mutium.

SI negocia abſentis & ignorantis geras: & culpam, & dolum præſtare debes. Sed Proculus, interdum ait caſum præſtari debere etiam: veluti ſi nouum negociũ, quod non ſit ſolitus abſens facere, tu nomine eius geras: veluti venales nouitios, coëmendo, vel aliquam negociationem ineundo. nam ſi quod damnum ex ea re ſecutum fuerit, te ſequetur: lucrum vero abſentem. quod ſi in quibuſdam lucrum factum fuerit, in quibuſdam damnum: abſens compẽſare lucrum cum damno debet. F

Qui ſuccedit ex lege Cornelia, vel per occupationem peculii, habet hanc actionem: in qua veniunt omnia quæ conſiderantur in geſtione bonorum uiuentis.

XI. VLPIANVS *lib.* X. *ad edictum.*

SVcceſſori eius, cuius fuerunt negocia, ſi apud hoſtes deceſſit: hæc actio danda erit. Sed & ſi filiifamiliâs militis defuncti teſtamento facto geſſi: ſimiliter erit

danda

danda actio. Sicut autem in negociis viuorum gestis, A sufficit negocium vtiliter cœptum: ita & in bonis mortuorum, licet diuersus exitus sit secutus.

Gestor non tenetur de casu, nisi praecedat culpa. Est autem culpa retinere pecuniam debitam creditoribus si eam habet solutioni paratam. Bart.

XII. PAVLVS *lib.* IX. *ad edictum.*

DEbitor meus, qui mihi quinquaginta debebat, decessit. eius hæreditatis curationem suscepi, & impendi decem. demum redacta ex venditione rei hæreditariæ centum, in arca reposui. hæc sine culpa mea perierunt. Quæsitum est, an ab hęrede, qui quandoque exstitisset: vel credita quinquaginta petere possim, & decem, quæ impendi? Iulianus scribit in eo verti B quæstionem: vt animaduertamus, an iustam caussam habuerim seponendorum centum. nam si debuerim & mihi & cæteris hæreditariis creditoribus soluere: periculum non solùm sexaginta, sed etiam reliquorum quadraginta me præstaturum: decem tamen, quæ impenderim, retenturum. Si verò iusta caussa fuerit, propter quam integra centum custodirentur: veluti si periculum erat, ne prædia in publicum committerentur: ne pœna traiectitiæ pecuniæ augeretur, aut ex compromisso committeretur: non solùm decem, quæ in hæreditaria negocia impenderim: sed etiam quinquaginta, quæ mihi debita sunt, C ab hærede me consequi posse.

Hæc actio datur de peculio, & de in rem verso.

XIII. VLPIANVS *lib.* X. *ad edictum.*

SI filiusfamiliâs negocia gessisse proponatur: æquissimum erit in patrem quoque actionem dari: siue peculium habeat, siuę in rem patris sui verterit. & si ancilla: simili modo.

Vbi ex parte domini mutatur conditio quantum ad actionem dandam contra eum, initium inspicimus: nisi sub diuersis caussis negocia gesta fuerint. Bart.

XIIII. PAVLVS *lib.* IX. *ad edictum.*

POmponius libro vicesimosexto, in negociis gestis initio cuiusque temporis conditioné spectádá ait. Quid

Quid enim(inquit)ſi pupilli negocia cœperim gerere, & inter moras pubes fact⁹ ſit?vel ſerui,aut filiifamiliâs, D & interea liber,aut paterfamiliâs effectus ſit?& hoc verius eſſe didici : niſi ſi ab initio quaſi vnum negocium geſturus acceſſero,deinde alio animo ad aliud:ac eo tépore,quo iam pubes,vel liber, vel paterfamiliâs effect⁹ eſt.hîc enim,quaſi plura negocia geſta ſint:pro qualitate perſonarum & actio formatur , & condemnatio moderatur.

XV. IDEM *lib. VII. ad Plautium.*

SEd & cùm aliquis negocia mea gerit : non multa negocia ſunt , ſed vnus contractus : niſi ſi ab initio ad vnum negocium acceſſit,vt finito eo diſcederet. hoc enim caſu, ſi noua voluntate aliud quoque aggredi cœperit : alius contractus erit. E

Vbi mutatur conditio geſtoris de ſeruo in liberum, in negociis ſeparatis præmium non præſtatur: in negociis connexis ſi agitur vt ex cauſſa,veniunt ſeparáda: ſi vt ex occaſione agatur,veniunt præſtanda.Bartolus.

XVI. VLPIANVS. *lib.* XXV. *ad edictum.*

EVm actum,quem quis in ſeruitute egit,manumiſſus non cogitur reddere. Planè ſi quid connexum fuerit,vt ſeparari ratio eius , quod in ſeruitute geſtum eſt, ab eo quod in libertate geſſit,non poſſit : conſtat venire in iudicium,vel mandati,vel negociorum geſtorum, & quod in ſeruitute geſtum eſt.Denique ſi tempore ſeruitutis aream emerit,& in eam inſulam ædificauerit,eáque corruerit : deinde manumiſſus fundum locauerit: F ſola locatio fundi in iudicium negociorum geſtorum deducitur.quia ex ſuperioris temporis adminiſtratione nihil amplius in iudicium deduci poteſt: quàm id , ſine quo ratio libertatis tempore adminiſtratorum negociorum expediri non poteſt.

XVII. PAVLVS *lib.* IX. *ad edictum.*

PRoculus & Pegaſus bonam fidem eum,qui in ſeruitute gerere cœpit,præſtare debere aiunt . Ideóque quantũ,ſi alius eius negocia geſſiſſet, ſeruari potuiſſet: tantum eum, qui à ſemetipſo nõ exegerit,negociorũ geſtorum actione præſtaturum : ſi aliquid in peculio habuit,

buit, cuius retentione id seruari potest.

A XVIII. IDEM *lib. II. ad Neratium.*

ET qui natura debitor fuit (etiam si in peculio nihil habuit) sibi postea soluere debet, in eodẽ actu perseuerans: sicut is, qui tẽporali actione tenebatur, etiam post tempus exactum negociorum gestorum actione id præstare cogitur. Scæuola noster ait: putare se, quod Sabinus scribit, A' CAPITE RATIONEM REDDENDAM, debere sic intelligi: vt appareat, quid reliquum fuerit tunc, cùm primùm liber esse cœperit: non vt dolum aut culpam in seruitute admissam in obligationem reuocet. itaque si inueniatur, vel malo more pecunia in seruitute erogata, liberabitur.

B *Necessitas vera vel putatiua impedit actionem mandati: nõ autem negociorum gestorum. Bartolus.*

Si libero homini, qui mihi bona fide seruiebat, mandem, vt aliquid agat: non fore cum eo mandati actionem, Labeo ait: quia non libera voluntate exsequatur rem sibi mandatam, sed quasi ex necessitate seruili. erit igitur negociorum gestorum actio: quia & gerendi negocij mei habuit affectũ: & is fuit, quẽ obligare possem.

Gestor negociorum potest ignoranter rem domini vsucapere: & si ante vsucapionem completam scientia superuenerit, debet facere à se euinci, ne hac actione teneatur. Bartolus.

Si cùm me absente negocia mea gereres, imprudens
C rem meam emisti, & ignorans vsucepisti: mihi negociorum gestorum, vt restituas, obligatus nõ es. Sed si antequam vsucapias, cognoscas rem meã esse: subiicere debes aliquem, qui à te petat meo nomine: vt & mihi rem, & tibi stipulationem euictionis committat. Nec videris dolum malum facere in hac subiectione. ideo enim hoc facere debes, ne actione negociorum gestorũ tenearis.

In actione negociorum gestorum directa & contraria habetur ratio vsurarum. Bartolus.

Non tantũ sortem, verumetiam vsuras ex pecunia aliena perceptas, negociorũ gestorum iudicio præstabimus: vel etiam, quas percipere potuimus. Contra quoq; vsuras, quas præstitimus, vel quas ex nostra pecunia percipere potuimus, quam in aliena negocia impendimus; seruabi-

seruabimus iudicio negociorum gestorum.

Gerenti negocia captiui cõpetit actio contra eum si reuertatur, vel contra hæredes eius. D

Dum apud hostes esset Titius, negocia eius administraui. postea reuersus est, negociorum gestorum mihi competit actio: etsi eo tempore, quo gerebantur, dominum non habuerunt.

XIX. VLPIANVS *lib.* X. *ad edictum.*

SI autem apud hostes constitutus, decessit: & successori, & aduersus successoré eius, negociorum gestorum directa & contraria competit.

Quòd vnus pro alio redimendo cogitur soluere, recuperat hac actione. Bartolus.

XX. PAVLVS *lib.* IX. *ad edictum.* E

NAm & Seruius respondit (vt est relatum apud Alfenum libro tricesimoseptimo Digestorum) cùm à Lusitanis tres capti essent, & vnus ea conditione missus, vt pecuniam pro tribus adferret: & nisi redisset, vt duo pro eo quoque pecuniam darent: isque reuerti noluisset, & ob hanc caussam illi pro tertio quoque pecuniam soluissent: æquum esse, prætorem in eum reddere iudicium. Qui negocia hæreditaria gerit: quodãmodo sibi hæreditatem, seque ei obligat: ideoq; nihil refert, an etiam pupillus hæres existat: quia id æs alienum cum cæteris hæreditariis oneribus ad eum trãsit. Si viuo Titio negocia ei⁹ administrare cœpi, intermittere mortuo eo non debeo: noua tamen inchoare necesse mihi non est, licet vetera explicare, ac conseruare necessarium sit: vt accidit, cùm alter ex sociis mortuus est. nam quæcunq; prioris negocij explicandi caussa gerũtur: nihil refert, quo tempore cõsumuntur, sed quo tempore inchoãtur. F

Qui negocia aliena gerit per alium, hac actione tenetur ac si ipse gessisset. Bartolus.

Mandatu tuo negocia mea L. Titius gessit. quod si nõ rectè gessit: tu mihi actione negociorum gestorum teneris, non in hoc tantũ, vt actiones tuas præstes: sed etiam, quod imprudenter eum elegeris, quidquid detrimenti negligentia eius fecit, vt mihi præstes.

In negocio gesto necessario quicunque casus superueniens nõ nocet ge-

cet gestori, nisi culpa pracedat casum. Bartolus.

A XXI. CAIVS *lib.* III. *ad edictum prouinciale.*

SIue hæreditaria negocia, siue quæ alicuius essent, gerens aliquis, necessariò rem emerit: licet ea interierit, poterit quod impendit, iudicio negociorum gestorum consequi. veluti si frumentum aut vinum familiæ parauerit, idque casu quodam interierit: fortè incēdio, ruina. Sed ita scilicet hoc dici potest, si ipsa ruina vel incendium sine vicio eius acciderit. nam cùm propter ipsam ruinam, aut incendium damnandus sit: absurdum est, eum istarum rerum nomine, quæ ita cōsumptæ sunt, quidquam consequi.

B XXII. PAVLVS *lib.* XX. *ad edictum.*

SI quis negocia aliena gerens, indebitū exegerit: restituere cogitur. de eo autem, quod indebitū soluit: magis est, vt sibi imputare debeat.

Per solutionem factam gestori non liberatur soluens, nec dominium acquiritur creditori nisi ratihabitione secuta. Bar.

XXIII. IDEM *lib.* XXIIII. *ad edictum.*

SI hac mente pecuniā procuratori dem; vt ea ipsa creditoris fieret: proprietas quidē per procuratorē non adquiritur: potest tamen creditor etiā inuito me, ratum habendo, pecuniam suam facere. quia procurator in accipiendo creditoris duntaxat negocium gessit: & ideo creditoris ratihabitione liberor.

C XXIIII. IDEM *lib.* XXVII. *ad edictum.*

SI quis aliena negocia gerens, plus quàm oportet, impēderit: recuperaturū eum id, quod præstari debuit.

Officiales publici licet respectu Respub. alter pro altero teneatur: non tamen respectu priuati ad quem negocium in veritate spectat. Bartolus.

XXV. MODESTINVS *lib.* I. *Responsorum.*

CVm aliquando ciuitati per fideicōmissum restitui iussa esset hæreditas: magistratus àctores horū bonorum Titium & Seium & Caium tunc idoneos creauerunt. postmodum hi actores inter se diuiserunt administrationem bonorum: idque egerunt sine authoritate & sine consensu magistratuum. post aliquod tempus testamētum quoque, per quod restitui ciuitati hæreditas fideicō-

deicommissa est, irritum probatum est pro tribunali: atque ita ab intestato Sépronius legitimus hæres defuncti exstitit, sed ex his actoribus vnus non soluendo decessit, & nemo eius hæres exstitit. Quæro, si Sempronius conueniet actores horum bonorũ, periculum inopis defuncti, ad quos pertinet? HERENNIVS MODESTINVS respondit: quòd ab vno ex actoribus ob ea, quæ solus gessit, negociorum gestorum actione seruari non potest: ad damnum eius, cui legitima hæreditas quæsita est, pertinere. D

Gestor expensas voluptarias non repetit. Bartolus.

XXVI. IDEM *lib.* V. *Responsorum.*

EX duobus fratribus, vno quidẽ suæ ætatis, alio verò minore annis: cùm haberét cõmunia rustica prędia, maior frater in saltu communi, habéte habitationes paternas, ampla ædificia ædificauerat: cumq́ue eundem saltum cum fratre diuideret, sumptus sibi quasi re meliore ab eo facta desiderabat, fratre minore iam legitimæ ætatis constituto. Herennius Modestinus respõdit, ob sumptus nulla re vrgéte, sed voluptatis caussa factos: eum, de quo quæritur, actionem nõ habere. E

Expensæ factæ caussa pietatis non repetuntur. Bartolus.

Idem Titium, si pietatis respectu, sororis aluit filiam: actionem hoc nomine contra eam non habere, respõdit.

Pro eo, pro quo quis obligatus est, agit hac actione antequam soluat. Bartolus F

XXVII. IABOLENVS. *lib.* VIII. *ex Cassio.*

SI quis mandatu Titij negocia Sei gesserit, Titio mãdati tenetur: lisq́ue ęstimari debet, quanti Sei & Titij interest. Titij autem interest, quãtum is Seio præstare debet, cui vel mandati, vel negociorum gestorum nomine obligatus est. Titio autem actio competit cum eo, cui mandauit aliena negocia gerenda, & antequam ipse quidquam domino præstet: quia id ei abesse videtur, in quo obligatus est.

Gestum nomine ventris deuoluitur in actionem tutelæ posthumo nato, vel in actionem negociorum gestorum. Bartolus.

XXVIII. CALLISTRATVS *lib.* III. *edicti monitorii.*

Cùm pater

A CVm pater testamento posthumo tutorem dederit, isque tutela interim administrauerit, nec posthumus natus fuerit: cum eo non tutelæ, sed negociorũ gestorum erit agẽdum. quod si natus fuerit posthumus, tutelæ erit actio: & in ea vtrũque tempus veniet: & quo, ante quàm nasceretur infans, gessit: & quo postea, quàm natus sit.

Sicut inter collegas coæqualis potestatis est actio negociorum gestorum: ita si sunt potestatis inæqualis. Bar.

XXIX. IVLIANVS *lib.* III. *Digestorum.*

EX facto ferebatur, quendam ad siliginem emendam curatorem decreto ordinis constitutum: eidemque alium subcuratorem cõstitutum, siliginem miscẽdo corrupisse: atque ita precium siliginis, quæ in publicũ empta erat, curatori inflictum esse. quærebaturque, qua actione curator cum subcuratore experiri posset: & consequi, vt ei saluum esset, quod caussa eius damnum accepisset? & Valerius Seuerus respondit aduersus contutorem negociorum gestorum actionem tutori dandam. Item respõdit vt magistratui aduersus magistratum eadem actio detur: ita tamẽ, si non sit conscius fraudis. Secundum quæ, & in subcuratore idem dicendum est.

B

Ex facto procuratoris datur vtilis institoria contra dominũ. B.

XXX. PAPINIANVS *lib.* II. *Responsorum.*

C LIberto vel amico mandauit, vt pecuniam acciperet mutuam: cuius literas creditor secutus contraxit, & fideiussor interuenit. etiam si pecunia non sit in rem versa: tamen dabitur in eum negociorum gestorum actio creditori vel fideiussori, scilicet ad exemplum institoriæ actionis.

Actio competens contra eum ad quem negocium spectat cura & solicitudine, non impedit actionem oriri contra eum ad quem negocium in veritate spectat: licet eius contemplatione non sit gestum. Bartolus.

Inter negocia Sempronij, quæ gerebat, ignorans Titij negocium gessit. ob eam quoque speciem Sempronio tenebitur: sed ei cautionem indẽnitatis, officio iudicis præberi necesse est aduersus Titium, cui datur actio. Idem iuris est in tutore.

Qui allegat caussas absentiæ, non condemnatur, nec appellare tenetur. secus in eo qui uenit ad plenam defensionem, licet post litem contestatam. Bartolus. D

Litem in iudicium deductam, & à reo desertam, frustratoris amicus vltrò egit, caussas absentiæ eius allegans iudici. culpam contraxisse non videbitur, quòd ab sententia contra absentem dicta ipse non prouocauit.

VLPIANVS NOTAT. & hoc verũ est, cũ frustrator cõdemnatus est. Cæterùm si amicus, cùm absentem defenderet, condemnatus negociorum gestorum aget: poterit ei imputari, si cùm posset, non appellarit.

PAPINIANVS. Qui aliena negocia gerit, vsuras præstare cogitur: eius scilicet pecuniæ, quæ putatis necessariis sumptibus superest. E

Qui expendit vltra quàm est ei iniunctum, non repetit.

Libertos certam pecuniam accipere testator ad sumptum monumenti voluit. si quid amplius fuerit erogatum: iudicio negociorum gestorum nec ab hærede rectè petetur, nec de iure fidei commissi: cùm voluntas finem erogationi fecerit. Tutoris hæres impubes filius ob ea, quæ tutor eius in rebus pupillæ paternæ gessit, non tenetur: sed tutor proprio nomine iudicio negociorum gestorum conuenitur.

Gestor negociorum non potest constituere actorem in negociis pupilli. Istud est verum secundum illa tempora secundum qua mulier non poterat esse tutrix sine imperiali rescripto: hodie verò si esset tutrix, posset cõstituere actorem sicut alii tutores: vt. l. neque tutores. C. de procurator. Bartolus. F

Quanquàm mater filij negocia secũdum patris voluntatem pietatis fiducia gerat: tamen ius actoris, periculo suo litium caussa constituendi, non habebit. Quia nec ipsa filij nomine rectè agit, aut res bonorum eius alienat, vel debitorem impuberis accipiendo pecuniam liberat. Vno defendente caussam communis aquæ, sentétia prædio datur. sed qui sumptus necessarios ac probabiles in communi lite fecit, negociorum gestorum actionem habet.

Quod quis facit contemplatione mandati per errorem, non venit in illa actione, sed in actione negociorum gestorum, & qui ius vendit suum,

dit suum, pignoratitia tenetur. Bartolus.

XXXI. IDEM *lib. III. Responsorum.*

A Fideiussor imperitia lapsus: alterius quoq; cõtract⁹, qui personã eius non cõtingebat, pignora vel hypothecas suscepit: & vtramq; pecuniã creditori soluit, existimans indemnitati suæ confusis prædiis consuli posse. Ob eas res iudicio mandati frustra cõuenietur, & ipse debitorem frustra conueniet: negociorum autem gestorum actio vtrique necessaria erit. in qua lite culpam æstimari satis est, non etiam casum: quia prædo fideiussor non videtur. Creditor ob id factum, ad restituendum iudicio, quod de pignore dato redditur (cùm videatur ius suum vendidisse) non tenebitur. Ignorante virgine

B mater à sponso filiæ res donatas suscepit. quia mandati vel depositi cessat actio, negociorum gestorũ agetur.

Hæredi viri contra vxorem defuncti datur hæc actio de gestis constante matrimonio. Bartolus.

XXXII. IDEM *lib. X. Responsorum.*

HAeres viri defuncti vxorem, quæ res viri tempore nuptiarum in sua potestatę habuit, expilatæ hæreditatis postulare non debet. prudentius itaq; fecerit, si ad exhibẽdum, & negociorum gestorũ (si negocia quoque viri gessit) cum ea fuerit expertus.

Si per ascendentem gerantur negocia descendentis, vel fiat protestatio, vel onus alimentandi ad descendentem non pertineat, expẽsa alimentorum repetuntur. Bartolus.

C XXXIII. PAVLVS *lib. I. Quæstionum.*

NESENNIVS APOLLINARIS IVLIO PAVLO S. Auia nepotis sui negocia gessit. defunctis vtrisq;, auiæ hæredes conueniebantur à nepotis hæredib⁹ negociorũ gestorũ actiõe. reputabãt hæredes auię alimenta pręstita nepoti. Respõdebatur, auiam iure pietatis de suo præstitisse. nec enim aut desiderasse, vt decernerentur alimenta, aut decreta esse. præterea cõstitutum esse dicebatur: vt si mater aluisset, non posset alimenta, quæ pietate cogente de suo præstitisset, repetere. Econtrario dicebatur: hoc rectè dici, cùm de suo aluisse mater probaretur. at in proposito auiam, quæ negocia administrasset: verisimile esse, de re ipsius nepotis

potis eum aluisse. Tractatum est, nunquid de vtroque patrimonio erogata viderentur. Quæro, quid tibi iustius videatur? Respondi. hæc disceptatio in factum constitit. Nam & illud, quod in matre constitutum est, non puto ita perpetuò obseruandum. Quid enim, si etiam protestata est, se filium ideo alere, vt aut ipsum, aut tutores eius conueniret? Pone peregrè patrem eius obiisse: & matrem, dum in patriam reuerteretur, tam filium eius, quàm filiam exhibuisse. in qua specie & in ipsum pupillum negociorum gestorum dandam actionem, diuus Pius Antoninus constituit. Igitur in re facti facilius putabo, auiam vel hæredes eius audiendos, si reputari veliut alimenta: maximè si etiam in rationes impensam eam retulisse auiam apparebit. Illud nequaquã admittendum puto, vt de vtroque patrimonio erogata videantur. D E

Vt debitum ante administrationem cõuertatur in actionem quæ ex administratione descendit, duo concurrere oportet: scilicet quòd debitor à se exigere potuerit, & quòd inde domini aliqua versetur vtilitas. Bartolus.

XXXIIII. SCAEVOLA *lib.* I. *Quæstionum.*

Diuortio facto, negocia vxoris gessit maritus.. dos non solùm dotis actione, verùm & negociorũ gestorum seruari potest. Hoc ita, si maritus, dum gessit, facere potuit. aliàs enim imputari nõ potest, quod à se nõ exegerit. Sed & postea, quàm patrimonium amiserit, plena erit negociorum gestorum actio: quamuis si dotis actione maritus conueniatur, absoluẽdus fit. Sed hic quidam modus seruandus est, vt ita querelæ locus sit, QVANTVM FACERE POTVIT, POSTEAQVÀM IS AMISERIT: si illo tempore ei soluere potuit. non enim euestigio in officio deliquit, si nõ protinus res suas distraxit ad pecuniam redigendã. prꝍterire denique aliquid temporis debebit, quo cessasse videatur. Quòd si interea, priusquàm officium impleat, res amissa est: perinde negociorum gestorum non tenetur, ac si nunquã facere potuisset. Sed & si facere possit maritus, actio negociorũ gestorũ inducitur: quia fortè periculũ est, ne posse facere desinat. Illum etiam non F

credimus

credim' teneri, ad reddendũ pignus, qui gerit negocia debitoris: cũ pecunia ei debeatur, nec fuerit, quod sibi
A possit exsoluere. Sed nec redhibitoriæ speciem venire in negociorum gestorum actionem, & per hoc sex mensibus actis perire: siue mancipium in rebus non inuenit: vel eo inuento, aut deterior homo factus est: aut quod accessionum nomine additum erat, vel per eum adquisitum non ex re emptoris, nec inuenit, nec recepit: nec erat in ipsius emptoris, negociis quæ gerebat, vnde sibi in præsenti redderet. Cæterùm si ex alia caussa perpetuæ obligationis, cùm sit locuples, debeat: non est imputandum, quòd non soluit: vtique si neq; vsurarum ratio querelam mouet. Diuersumq́; est in tutore debito-
B re: quia ibi interfuit ex priore obligatione solui, vt deberetur ex tutelæ actione.

Qui soluit creditori creditoris sui, ex eadẽ caussa liberat̃ ip̃o iure.

XXXV. PAVLVS *lib.* IIII. *Quæstionum.*

SI liber homo bona fide mihi seruiens, mutuam pecuniam sumpserit, eamque in rem meã verterit: qua actione id, quod in rem meam vertit, reddere debeam, videndum est. non enim quasi amici, sed quasi domini negocium gessit. sed negociorum gestorum actio danda est: quæ desinit competere, si creditoribus eius soluta sit.

Quando aliquem esse locupletem est caussa actionis cõcedendæ,
C *tempus litis contestatæ inspicitur. Bartolus.*

XXXVI. IDEM *lib.* I. *Sententiarum.*

LItis contestatæ tempore quæri solet: an pupillus, cuius sine tutoris authoritate negocia gesta sunt, locupletior sit ex ea re factus, cùm is patitur actionem. Si pecuniæ quis negocium gerat: vsuras quoque præstare cogitur, & periculũ eorum nominũ, quæ ipse cõtraxit: nisi fortuitis casib' debitores ita suas fortunas amiserint, vt tẽpore litis ex ea actione contestatæ soluendo non essent. Pater si emãcipati filij res à se donatas administrauerit: filio actiõe negociorũ gestorũ tenebitur.

In hac actione veniunt vsuræ non centesimæ, sed cõmunes. B.

XXXVII. TRIPHONINVS *li.* II. *Disputationũ.*

QVi sine vsuris pecuniã debebat, creditoris sui ne-

 gocia

gocia gessit. quęsitũ est, an negociorum gestorũ actione, summæ illius vsuras præstare debeat? dixi: si à semetipso exigere eum oportuit, debiturũ vsuras. Quòd si dies soluendæ pecuniæ, tempore quo negocia gerebat, nondum venerat: vsuras non debiturũ. Sed die præterito, si non intulit rationib⁹ creditoris, cuius negocia gereret, pecuniam à se debitam: meritò vsuras bonæ fidei iudicio præstaturum. Sed quas vsuras debebit, videamus: vtrum eas, quibus aliis idem creditor fœnerasset? an & maximas vsuras? quoniam & vbi quis eius pecuniam, cuius tutelam negociáve administrauit, aut magistratus municipij publicam, in vsus suos conuertit: maximas vsuras præstat, vt est constitutum à diuis principibus. Sed istius diuersa caussa est: quia non sibi sumpsit ex administratione numos, sed ab amico accepit, ante negociorum gestorum administrationem. Nam in illis, de quibus constitutum est (cùm gratuitam, certè integram & abstinentem in lucro præstare fidem debeant) licentia, qua videntur abuti, maximis vsuris vice cuiusdam pœnæ subiicitur. hic bona ratione accepit ab alio mutuum: & vsuris, quia non soluit: non quia ex negociis, quæ gerebat, ad se pecuniam transtulit: condemnandus est. Multum autem refert, incipiat nunc debitum, an ante nomen debitoris fuerit: quod satis sit, ex non vsurario facere vsurarium.

D

E

Inuitum & ignorantem possumus liberare: non autem actionẽ ei auferre. F

XXXVIII. CAIVS *lib. III. de verborũ obligatiõib⁹.*

SOluendo quisq; pro alio, licet inuito & ignorante, liberat eum: quod autem alicui debetur, alius sine voluntate eius non potest iure exigere. Naturalis enim simul & ciuilis ratio suadet: alienam conditionem meliorem, etiam ignorantis & inuiti, nos facere posse: deteriorem non posse.

Quod in re communi quis facit non ex necessitate communionis, venit in actione negociorum gestorum. Bartolus.

XXXIX. PAVLVS *lib. X. ad Sabinum.*

SI communes ædes tecum habeam, & pro tua parte damni infecti vicino cauero: dicendum est, quod pręstitero,

præstitero, negociorum gestorum actione potius, quàm
A communi diuidundo iudicio me posse petere: quia potui partem meam ita defendere, vt socij partem defendere non cogerer.

Seruus non est in peculio suiipsius, sed est res domini: & ideo quod impenditur circa eum, in solidum non de peculio repetitur. B.

XL. IDEM. *lib.* XXX. *ad edictum.*

QVi seruum meum, me ignorante vel absente, in noxali caussa defendit: negociorum gestorum in solidum mecum, non de peculio aget.

Mandatum serui non impedit hanc actionem contra dominum: licet posit etiam ex persona serui conueniri.

XLI. IDEM *lib.* XXXII. *ad edictum.*

B SI serui mei rogatu negocia mea susceperis: si duntaxat admonitus à seruo meo id feceris, erit inter nos negociorum gestorum actio. Si verò quasi mandatu serui: etiam de peculio, & de in rem verso actione agere te posse, responsum est.

Qui gerit negocium alterius, ipso gestu habet hanc actionem. B.

XLII. LABEO *lib.* VI. *Posteriorum epitomatorum.*

CVm pecuniam eius nomine solueris, qui tibi nihil mandauerat: negociorum gestorum actio tibi competit, cùm ea solutione debitor à creditore liberatus sit: nisi si quid debitoris interfuit, eam pecuniam non solui.

Factum actione paterna non venit in hac actione. Bartolus.

C XLIII. VLPIANVS *lib.* VI. *Disputationum.*

IS, qui amicitia ductus paterna, pupillis tutorem petierit, vel suspectos tutores postulauerit: nullam aduersus eos habet actionem, secundũ quod diui Seueri constitutione declaratur.

XLIIII. IDEM *lib.* III. *Opinionum.*

QVæ vtiliter in negocia alicuius erogantur, in quibus est etiam sumptus, honestè ad honores per gradus obtingentes factus: actione negociorũ gestorum peti possunt. Qui purè testamento libertatem acceperunt: actus, quem viuentibus dominis administrauerunt, rationem reddere non compelluntur.

In negocio quod est alterius ipso gestu, tenetur ille, ad quem verè pertinet. licet contemplatione alterius gestum sit. Bartolus.

Titius pecuniā creditoribus hæreditariis ſoluit, exiſtimans ſororem ſuam defuncto hæredē teſtamēto exſtitiſſe. quāuis animo gerēdi ſororis negocia id fecit: in veritate tamen filiorū defuncti, qui ſui hæredes patri ſublato teſtamento erant, geſſit. ſed quia ęquum eſt, in damno eum non verſari: actione negociorum geſtorū id eum petere placuit. D

Qui cōtemplatione procuratoris gerit negocium quod ſpectat ad dominum, ſolùm vigore mandati contra dominum actionem non habet, ſecus ſi contemplatione domini geſſerit. Bartolus.

XLV. AFRICANVS *lib.* VII. *Quæſtionum.*

MAndaſti filio meo, vt tibi fundum emeret. quod cùm cognouiſſem, ipſe eum tibi emi. puto referre, qua mente emerim. nam ſi propterea, quòd tibi neceſſarium eſſe ſcirem, & te eius voluntatis eſſe, vt emptum habere velles: agemus inter nos negociorum geſtorum: ſicut ageremus, ſi aut nullum omnino mandatum interceſſiſſet, aut Titio mandaſſes, ſed ego (quia per me commodius poſſem negocium conficere) emiſſem. Si verò propterea emerim, ne filius mandati iudicio teneretur: magis eſt, vt ex perſona eius, & ego tecum mādati agere poſſim, & tu mecum habeas actionem de peculio. Quia & ſi Titius id mādatū ſuſcepiſſet, & ne eo nomine teneretur, ego emiſſem: agerem cum Titio negociorum geſtorum: & ille tecum, & tu cum illo mandati. Idem eſt, & ſi filio meo mandaueris, vt pro te fideiuberet, & ego pro te fideiuſſerim. Si proponatur, te Titio mandaſſe, vt pro te fide iuberet: mèque quod is aliqua de cauſſa impediretur, quò minus fideiuberet: liberandæ fidei eius cauſſa fideiuſſiſſe: negociorum geſtorum mihi competit actio. E F

XLVI. PAVLVS *lib.* I. *Sententiarum.*

ACtio negociorum geſtorum illi datur, cuius intereſt hoc iudicio experiri. Nec refert, directa quis, an vtili actione agat, vel conueniatur. Planè in extraordinariis iudiciis, vbi conceptio formularum non obſeruatur, hæc ſubtilitas ſuperuacua eſt: maximè cùm vtraque actio eiuſdem poteſtatis ſit, eundémque habeat effectum.

Qui ha-

Qui habet actionem pro alio: ad eius petitionem debitorum co-
A *gitur liberare. Bartolus.*

XLVII. PAPINIANVS *lib.* III. *Quæstionum.*

IGnorante quoque ſorore, ſi frater negocium eius gerens, dotem à viro ſtipulatus ſit: iudicio negociorum geſtorum, vt virum liberet, iure conuenietur.

Negocium nõ meo nomine geſtum, in ſubſidium re perempta vel præſcripta poſſum habere ratum, vt mihi hæc actio concedatur. Bar.

XLVIII. AFRICANVS *lib.* VIII. *Quæſtionum.*

SI rem, quam ſeruus venditus ſubripuiſſet à me venditore, emptor vendiderit, eáque in natura rerũ eſſe deſierit: de precio negociorum geſtorũ actio mihi danda eſt: vt dari deberet, ſi negocium, quod tuum eſſe exi-
B ſtimares, cùm eſſet meum, geſſiſſes. Sicut ex contrario, in me tibi daretur: ſi cùm hæreditatem, quæ ad me pertinebat, tuam putares, res tuas proprias legatariis ſoluiſſes: quandoquidem ea ſolutione liberarer.

DE CALVMNIATORIBVS. Titulus VI.

VLPIANVS *lib.* X. *ad edictum.*

IN eum, qui vt calumniæ cauſſa negocium faceret, vel non faceret, pecuniam accepiſſe dicetur: intra annum: in quadruplum eius pecuniæ, quam accepiſſe dicetur, poſt annum
C ſimpli in factum actio competit. Hoc autem iudicium nõ ſolum in pecuniariis cauſſis, ſed etiam ad publica crimina pertinere, Pomponius ſcribit. Maximè cùm & lege Repetundarum teneatur, qui ob negocium faciendum, vel non faciendum per calumniam, pecuniam accepit. Qui accepit pecuniam: ſiue ante iudicium, ſiue poſt iudicium acceptum: tenetur. Sed & conſtitutio Imperatoris noſtri, quæ ſcripta eſt ad Caſſium Sabinum: prohibuit iudici vel aduerſario in publicis, vel priuatis, vel fiſcalibus cauſſis pecuniam dare: & ex hac cauſſa litem perire iuſſit. † Et tractari poteſt, ſi aduerſarius non per calumniam, ſed tranſigendi animo pecuniam acceperit: an conſtitutio ceſſet. & puto ceſſare: ſicuti

†.*Cic. Verri obiicit, quòd qui*

pecunias dabant, ii caussā obtinebant. ficuti hoc quoque iudicium. neque enim transactionibus licitis est interdictum, sed sordidis concussionibus. **D**
Pecuniam autem accepisse dicemus, etiam si aliquid pro pecunia accepit.

Actio. 4. II. PAVLVS *lib.* X. *ad edictum.*

QVin etiam si quis obligatione liberatus sit, potest videri cepisse. Idémque si gratuita pecunia vtenda data sit, aut minoris locata, venditáve res sit. nec refert, ipse pecuniam acceperit, an alij iusserit dari, vel acceptum suo nomine ratum habuerit.

III. VLPIANVS *lib.* X. *ad edictum.*

ET generaliter idem erit, si quid omnino compendij sensit propter hoc: siue ab aduersario, siue ab alio quocunque. Si igitur accepit, vt negocium faceret: **E** siue fecit, siue non fecit, tenetur. & qui accepit, ne faceret: & si fecit, tenetur. Hoc edicto tenetur etiam is, qui depectus est. Depectus autem dicitur, turpiter pactus. Illud erit notandum, quod qui dedit pecuniam, vt negocium quis pateretur: non habebit ipse repetitionem (turpiter enim fecit) sed ei dabitur repetitio, propter quem datum est, vt calumnia ei fiat. Quare si quis & à te pecuniam acceperit, vt mihi negociū faceret: & à me, ne mihi faceret: mihi duobus iudiciis tenebitur.

IIII. CAIVS *lib.* III. *ad edictum prouinciale.*

HAec actio hæredi quidem non competit: quia sufficere ei debet, quòd eam peecuniam, quam defunctus dedit, repetere potest. **F**

V. VLPIANVS *lib.* X. *ad edictum.*

IN hæredem autem competit in id, quod ad eum peruenit. Nam constitutum est, turpia lucra ab hæredibus quoque extorqueri, licet crimina exstinguantur. vt puta ob falsum testimoniū, vel iudici ob gratiosam sententiam datum, & heredi extorquebitur: & si quid aliud scelere quæsitum est. Sed etiam præter hanc actionem condictio competit, si sola turpitudo accipientis versetur. nam si & dantis: melior caussa erit possidentis. Quæritur, si fuerit condictum, vtrum tollatur hæc actio, an verò in triplum danda sit? an exemplo furis, & in quadruplum actionem damus, & condictionem? Sed puto suffi-

to sufficere alterutram actionem. Vbi autem condictio
A competit, ibi post annum non est necesse dare in factum actionem.

VI CAIVS *lib.* III. *ad edictum prouinciale.*

ANnus autem in persona quidem eius, qui dedit pecuniam, ne secum ageretur: ex eo tempore cedit, ex quo dedit: si modo potestas ei fuerit experiundi. In illius verò persona, cum quo vt agatur, alius pecuniam dedit: dubitari potest, vtrum ex die datæ pecuniæ numerari debeat, an potius ex quo cognouit datam esse: quia qui nescit, is videtur experiundi potestatem non habere. & verius est, ex eo annum numerari, ex quo cognouit.

B *Hæc actio competit danti non turpiter: & etiam ei ob cuius negocium datum est, licet ipse non dederit.* Bartolus.

VII. PAVLVS *lib.* X. *ad edictum.*

SI quis ab alio acceperit pecuniam, ne mihi negocium faceret: si quidem mandatu meo ei datum est, vel à procuratore meo omnium rerum, vel ab eo, qui negocium meum gerere volebat, & ratum habui: ego dedisse intelligor. Si autem non mandatu meo alius ei (licet misericordiæ caussa) dederit, ne fieret, neque ratum habui: tunc & ipsum repetere, & me in quadruplum agere posse. Si vt filiofamiliâs negocium fieret, acceptum est: etiam patri actio danda est. Item si filiusfamiliâs pe-
C cuniam accepit, vt faceret negocium, vel non faceret: in ipsum iudicium dabitur. Et si alius non meo mandatu ei dederit, ne fiat: tũc & ipsum repetere, & me in quadruplum agere posse. Cùm publicanus mancipia retinet, dataque ei pecunia est, quæ non debetur: & ipse ex hac parte edicti in factum actione tenetur.

Qui accipit pecuniam vt desistat ab accusatione calumniosa: crimine non probato hac actione tenetur. Bartolus.

VIII. VLPIANVS *lib.* IIII. *Opinionum.*

SI ab eo, qui innocens fuit: sub specie criminis alicuius, quod in eo probatum non est: pecuniam acceptam is, cuius de ea re notio est, edoctus fuerit: id quod illicitè extortum est (secundum edicti formam, quod de his est, qui pecuniam, vt negocium facerent, aut non facerent,

facerent, accepisse dicentur) restitui iubeat: & ei, qui id commisit, pro modo delicti pœnam irroget. D

Separatorum separata debet esse ratio. Bart.

IX. PAPINIANVS *lib. II. de adulteriis.*

DE seruo, qui accusatur, si postuletur, quæstio habetur. quo absoluto, in duplum precij accusator domino damnatur. Sed & citra precij æstimationẽ quæritur de calumnia eius. separatum est enim calũniæ crimen à damno, quod in seruo propter quæstionem domino datum est.

DIGESTORVM SEV PANdectarum liber quartus. E

DE IN INTEGRVM RESTItutionibus. Tit. I.

VLPIANVS *lib. XI. ad edictum.*

*Circumscriptio adulescentũ lege latoria puniebatur Cic, 3. offic.

VTILITAS huius tituli non eget commendatione. ipse enim se ostẽdit. Nam sub hoc titulo plurifariã prætor hominibus vel lapsis, vel circunscriptis subuenit: siue metu, siue calliditate, siue ætate, siue absentia inciderunt in captionem. F

II. PAVLVS *lib. I. Sententiarũ.*

SIue per status mutationem, aut iustum errorem.

III. MODESTINVS *lib. VIII. πανδεκτῶν.*

OMnes in integrum restitutiones caussa cognita à prætore permittuntur: scilicet vt iustitiam earum caussarum examinet, an veræ sint, quarum nomine singulis subuenitur.

IIII. CALLISTRATVS *lib. I. edicti monitorii.*

SCio illud à quibusdam obseruatum: ne propter minimam sanè rem vel summam (si maiori rei vel summæ præiudicetur) audiatur is, qui in integrum restitui postulat.

V. PAV-

V. PAVLVS *lib.* VII. *ad edictum.*

A NEmo videtur re exclusus, quem prætor in integrũ restituturum se pollicetur.

Beneficium restitutionis transit ad hæredes & cæteros successores vniuersales. Bart.

VI. VLPIANVS *lib.* XVIII. *ad edictum.*

NOn solùm minoris, verum eorum quoque, qui reipublicæ caussa absfuerunt: item omnium, qui ipsi potuerũt restitui in integrum: successores in integrum restitui possunt, vt sæpissimè constitutum est. Siue igitur hæres sit, siue is cui hæreditas restituta est, siue filiifamiliâs militis successor, in integrum restitui potest. Proinde & si minor in seruitutẽ redigatur, vel ancilla fiat:
B dominis eorum dabitur (non tamen vltra tempus statutum) in integrum restitutio. Sed & si fortè hic minor erat captus in hæreditate, quam adierat: Iulianus libro septimodecimo digestorum scribit, abstinendi facultatem dominum posse habere: non solùm ætatis beneficio, verumetiam si ætas non protrocinetur. quia non adipiscendæ hæreditatis gratia legum beneficio vsi sunt, sed vindictæ gratia.

Contumax fictus veniens iudice sedente pro tribunali, restituitur ad totam caussam. idem si dolo aduersarii, vel absque sui culpa abfuerit. Bart.

VII. MARCELLVS *lib.* III. *Digestorum.*

C DIuus Antoninus Marcio Auito prętori de succurrendo ei, qui absens rem amiserat, in hanc sententiam rescripsit. ET SI NIHIL FACILÈ MVTANDVM EST EX SOLENNIBVS: TAMEN VBI AEQVITAS EVIDENS POSCIT, SVBVENIENDVM EST. ITAQVE SI CITATVS NON RESPONDIT, ET OB HOC MORE SOLITO PRONVNCIATVM EST, CONFESTIM AVTEM PRO TRIBVNALI TE SEDENTEM ADIIT: EXISTIMARI POTEST, NON SVA CVLPA, SED PARVM EXAVDITA VOCE PRAECONIS DEFVISSE: IDEÓQVE RESTITVI POTEST.

Nec intra has solummodo species consistet huius generis

neris auxilium. etenim & deceptis sine culpa sua (maximè si fraus ab aduersario interuenerit) succurri oportebit: quãuis etiam de dolo malo actio competere soleat. & boni prætoris est, potius restituere litem, vt ratio & æquitas postulabit, quàm actionem * famosam cõstituere: ad quam tunc demum descendendum est, cùm remedio locus esse non potest. D

*Verisimile est omnes alias actiones prius moturũ fuisse quàm ad famosam actionem peruenturũ. Cic. pro Quintio.

Minores etiam legitime defensi restituuntur ad totam caussam: Absentes vero ex necessaria & probabili caussa legitimè defensi restituuntur ad appellandum. Bart.

VIII. MACER *lib.* II. *de appellationibus.*

INter minores vigintiquinque annis, & eos qui reipublicæ caussa absunt, hoc interest: quòd minores annis, etiam si per tutores curatorésve suos defensi sunt: E nihilominus in integrum contra rempublicam restituũtur, cognita scilicet caussa. Ei verò, qui reipublicæ caussa absit, cæterisque qui in eadem caussa habentur: si per procuratores suos defensi sunt, hactenus in integrum restitutione subueniri solet, vt appellare iis permittatur.

QVOD METVS CAVSSA *gestum erit.* Tit. II.

VLPIANVS *lib.* XI. *ad edictum.*

A It prætor: QVOD METVS CAVSSA GESTVM ERIT, RATVM NON HABEBO. Olim ita dicebatur, QVOD VI METVSVE CAVSSA. vis enim fiebat mentio, propter necessitatem impositam contrariam voluntati: metus autem, propter instãtis vel futuri periculi caussa mentis trepidationem. * Sed postea detracta est vis mentio: quia quodcunque vi atroci fit, id metu quoque fieri videretur. F

In hanc definitione Cic li. 4. tuscu. quæ.

II. PAVLVS *lib.* I. *Sententiarum.*

VIs autem est maioris rei impetus, qui repelli non potest.

III. VLPIANVS *lib.* XI. *ad edictum.*

COntinet igitur hæc clausula & vim & metum: & si quis vi compulsus aliquid fecit, per hoc edictum restituitur. Sed vim accipimus atrocem, & eam, quæ aduersus

aduersus bonos mores fiat: non eam, quam magistratus
A intulit, scilicet iure licito & iure honoris, quem sustinet. Etenim si per iniuriam quid fecit populi Romani magistratus vel prouinciæ præses, Pomponius scribit hoc edictum locum habere: si fortè (inquit) mortis aut verberum terrore pecuniam alicui extorsit.

IIII. PAVLVS *lib.* XI. *ad edictum.*

EGo puto etiam seruitutis timorem; & similium admittendum.* *In hac & sequētia respōsa Arist. li. 3. Ethi. capi. 6. 7. & 8. vbi copiosè disserit quarū rerum metus admittēdus, vel non.

Metus intelligitur qui cadit in constantem virum, vt mortis, vel cruciatus corporis vel seruitutis, vel pudicitiæ: secus si alterius leuis vexationis vel infamiæ. Bart.

V. VLPIANVS *lib.* XI. *ad edictum.*

B MEtum accipiendum Labeo dicit, non quemlibet timorem, sed maioris mali.

VI. GAIVS *lib.* III. *ad edictum prouinciale.*

MEtum autem non vani hominis, sed qui meritò & in hominem constantissimum cadat; ad hoc edictū pertinere dicemus.

VII. VLPIANVS *lib.* XI. *ad edictum.*

NEc timorem infamiæ hoc edicto contineri, Pedius dicit libro octauo: neque alicui⁹ vexationis timorem per hoc edictum restitui. Proinde si quis meticulosus rem nullam frustra metuerit, per hoc edictum non restituitur: quoniam neque vi, neque metu factum est.
C Proinde si quis in furto, vel in adulterio deprehensus, vel in alio flagitio: vel dedit aliquid, vel se obligauit: Pomponi⁹ libro vicesimo octauo rectè scribit, posse eū ad edictum hoc pertinere. timuit enim vel mortem, vel vincula. quanquam non omnem adulterum vel furem licet occidere, nisi se telo defendat: sed potuerant vel nō iure occidi, & ideo iustus fuit metus. Sed & si ne prodatur ab eo, qui deprehendit, alienauerit: succurri ei per hoc edictum videtur. quoniam si proditus esset, potuisset ea pati, quæ diximus.

VIII. PAVLVS *lib.* XI. *ad edictum.*

ISti quidem & in legem Iuliam incidunt, qui quid prō comperto stupro acceperunt: prætor tamen, vt restituant, interuenire debet. nam & gestum est malo more: & præ-

& prætor non reſpicit, an adulter ſit, qui dedit: ſed hoc ſolùm, quod hic accepit, metu mortis illato. Si is accipiat pecuniam, qui inſtrumenta ſtatus mei interuerſurus eſt, niſi dem: non dubitatur, quin maximo metu cõpellar: vtique ſi iam in ſeruitutem petor, & illis inſtrumentis perditis, liber pronunciari non poſſum. Quòd ſi dederit, ne ſtuprum patiatur, vir ſeu mulier: hoc edictum locum habet: cùm viris bonis iſte metus maior, q̃ mortis eſſe debeat. Hæc, quæ diximus ad edictũ pertinere: nihil intereſt, in ſe quis verit⁹ ſit, an liberis ſuis: cùm pro affectu magis in liberis parentes terreantur. D

In hac actione debet probari metus periculi instantis, non ſuſpicati in futuro. Bart.

IX. VLPIANVS *lib. XI. ad edictum.* E

Metum autem præſentem accipere debemus, non ſuſpitionem inferendi eius: & ita Pomponius libro viceſimo octauo ſcribit. Ait enim metum accipiédum, ſi illatus eſt timor ab aliquo. Denique tractat: ſi fundũ meum dereliquero, audito quòd quis cum armis veniret: an huic edicto locus ſit. & refert Labeonem exiſtimare, edicto locum non eſſe. ſed & VNDE VI interdictum ceſſare: quoniam non videar vi deiectus, qui deiici non expectaui, ſed profugi. Aliter atque ſi poſtea, q̃ armati ingreſſi ſunt, tunc diſceſſi. huic enim edicto locũ fore. Idem ait, & ſi fortè adhibita manu, in meo ſolo per vim ædifices: & interdictum QVOD VI AVT CLAM, & hoc edictum locum habere: ſcilicet, quoniã metu patior id te facere. Sed & ſi per vim tibi poſſeſſionem tradidero: dicit Pomponius, huic edicto locum eſſe. Animaduertendum eſt autem, quòd prætor hoc edicto generaliter & in rem loquitur, nec adiicit à quo geſtum ſit. & ideo ſiue ſingularis ſit perſona, quæ metũ intulit, vel populus, vel curia, vel collegium, vel corp⁹: huic edicto locus erit. Sed licet vim à quocunque prætor factam complectatur: eleganter tamen Pomponius ait: ſi quò magis te de vi hoſtium, vel latronum, vel populi tuerer vel liberarem, aliquid accepero à te, vel te obligauero: non debere me hoc edicto teneri, niſi ipſe hanc tibi vim ſubmiſi. cæterùm ſi alienus ſum à vi: teneri me F

neri me non debere. ego enim operæ potius meæ mercedem accepisse videor. A Idé Pomponius scribit, quosdam bene putare: etiam serui manumissionem, vel ædificij depositionem, quam quis coactus fecit, ad restitutionem huius edicti porrigendam.

Ex hoc edicto in rebus seu negociis perfectis oritur actio & exceptio. Bart.

Sed quod prætor ait, RATVM NON HABEBO: quatenus accipiendum est, videamus. Et quidé aut imperfecta res est, licet metus interuenerit, vtputa stipulationem numeratio non est secuta: aut perfecta, si post stipulationem & numeratio facta est, aut per metum acceptò debitor liberatus est, vel quid simile contigit, quod B negocium perficeret. Et Pomponius scribit, in negociis quidem perfectis, & exceptionem interdum, & actioné competere: in imperfectis autem solam exceptioné. Sed ex facto scio (cùm Campani metu cuidam illato extorsissent cautioné pollicitationis) rescriptum esse ab Imperatore nostro, posse eum à prætore in integrum restitutionem postulare: & prætorem me adsidente interlocutum esse, vt siue actione vellet aduersus Cápanos experiri, esse propositam: siue exceptione, aduersus petétes non deesse exceptionem. Ex qua constitutione colligitur: vt siue perfecta, siue imperfecta sit res: & actio & exceptio detur. Volenti autem datur, & in ré actio, C & in personam: rescissa acceptilatione, vel alia liberatione. Item Iulianus libro tertio digestorũ putat eũ, cui res metus caussa tradita est, non solũ reddere, verũ etiam de dolo repromittere debere.

Persecutoria tollitur per pœnalem quando inest rei persecutio.

Licet etiã in rem actionem dandã existimemus, quia res in bonis eius est, qui vim passus est: verùm non sine ratione dicetur, si in quadruplum quis egerit, finiri in rem actionem, vel contrà. Ex hoc edicto restitutio facienda est in integrũ officio iudicis: id est, vt si per vim res tradita sit, retradatur: & de dolo (sicut dictũ est) repromittatur, ne forte deterior res sit facta. Et si acceptilatione liberatio interuenerit, restituenda erit in pristinum statum obligatio: vsque adeo, vt Iulianus scribat

o libro

libro quarto, ſi pecunia, quæ debita fuit, acceptò per vim facta ſit: niſi vel ſoluatur, vel reſtituta obligatione iudicium accipiatur, in quadruplo eum condemnandũ. Sed & ſi per vim ſtipulanti promiſero, ſtipulatio acceptò facienda erit. Sed & ſi vſusfructus, vel ſeruitutes amiſſæ ſint, reſtituendæ erunt. D

Hæc actio eſt in rem ſcripta: ideo datur cõtra omnes ad quos cõmodum peruenit ex metu. Item eſt reſtitutoria: & ideo omnia in priſtinum ſtatum reponit. Bart.

Cùm autem hæc actio in rem ſit ſcripta, nec perſonam vim facientis coërceat, ſed aduerſus omnes reſtitui velit, quod metus cauſſa factum eſt: non immeritò Iulianus à Marcello notatus eſt ſcribens, ſi fideiuſſor vim intulit, vt acceptò liberaretur, in reum non eſſe reſtituendam actionem, ſed fideiuſſorem (niſi aduerſus reum quoque actionem reſtituat) debere in quadruplum condemnari. Sed eſt verius, quod Marcellus notat: etiam aduerſus reum competere hanc actionem, cũ in rem ſit ſcripta. E

X. CAIVS *lib.* IIII. *ad edictum prouinciale.*

ILlud verum eſt: ſi ex facto debitoris metum adhibẽtis, fideiuſſores acceptilatione liberati ſint: etiam aduerſus fideiuſſores agi poſſe, vt ſe reponant in obligationem. Si metu à te coactus, acceptam tibi ſtipulationem fecerim: arbitratu iudicis, apud quem ex hoc edicto agitur, nõ ſolùm illud continetur, vt in tua perſona redintegretur obligatio: ſed vt fideiuſſores quoque, vel eoſdem, vel alios non minus idoneos adhibeas: præterea vt & pignora, quæ dederas, in eadem cauſſa reſtituas. F

Non tenetur quis ex metu illato per alium, niſi quatenus commodum ad eum peruenit. Bart.

XI. MARCELLVS *lib.* IIII. *Iuliani digeſtorum notat.*

SI quis alius ſine malicia fideiuſſoris, vt fideiuſſori acceptò fieret, vim fecit: non tenebitur fideiuſſor, vt rei quoque obligationem reſtituat.

XII. VLPIANVS *lib.* XI. *ad edictum.*

SEd & partus ancillarum, & fœtus pecorum, & fruct⁹

reſtitui,

restitui,& omnem caussam oportet. nec solùm eos, qui
A percepti sunt: verùm si plus ego percipere potui,& per
metum impeditus sum: hæc quoque præstabit.

Qui per metum reddit quòd reddere tenetur hac actione vel alia, non habet actionem, Quod me. cau.

Quæri poterit: an etiam ei, qui vim fecerat, passo vim restitui prætor velit per hoc edictum, ea quæ alienauit? Et Pomponius scribit libro vicesimo octauo, non oportere ei prætorem opem ferre. nam cùm liceat (inquit) vim vi repellere: quod fecit, passus est. Quarè si metu te coëgerit sibi promittere: mox ego tum cũ coëgero, metu te acceptò liberare: nihil esse, quod ei restituatur. Iulianus ait & eum, qui vim adhibuit debitori suo, vt ei solueret: hoc edicto non teneri, propter naturam
B QVOD METVS CAVSSA actionis, quæ dãnum exigit: quamuis negari non possit, in legem Iuliam eum de vi incidisse, & ius crediti amisisse.

Creditor qui per vim pecuniam vel rem sibi debitam accipit, vel sibi solui fecit, ius debiti perdit, & omne ius quod habet in re vel pro re. Bart.

XIII. CALLISTRATVS *lib. V. de cognitionibus.*

Extat enim decretum diui Marci in hæc verba. Optimum est, vt si quas putas te habere petitiones, actionibus experiaris. Et cùm Marcianus inde diceret, vim nullam feci. Cæsar dixit. Tu vim putas esse solùm,
C si homines vulnerentur? vis est & tunc, quoties quis id, quod deberi sibi putat, non per iudicem reposcit.*

Quisquis igitur probatus mihi fuerit, rem vllam debitoris, non ab ipso sibi sponte datam, sine vllo iudicè temerè possidere, vel accepisse, sibique ius in eam rem dixisse: ius crediti non habebit.

Iuxta hoc est qđ dñs Deut. cap. 24. iubet: cum repetes à proximo tuo rẽ aliquã quam debet tibi, non ingrederis domum eius vt pignus auferas.

XIIII. VLPIANVS *lib. XI. ad edictum.*

Item si cùm exceptione aduersus te perpetua tutus essem, coëgero te acceptum mihi facere: cessare hoc edictum. quia nihil tibi abest. Si quis non restituat: in quadruplum iudicium in eum pollicetur. Quadruplabitur autem omne, quodcunque restitui oportuit. Satis enim clementer cum reo prætor egit: vt daret ei restituendi facultatem, si vult pœnam euitare. Post annum

 vero in

verò in simplum actionem pollicetur: sed non semper, sed caussa cognita. In caussæ autem cognitione versatur: vt si actio non sit, tunc hæc detur. & sanè cùm per metum facta iniuria anno quidem vtili exoleuerit: idonea caussa esse debet, vt post annum actio hæc dari debeat. Alia autem actio esse sic potest: si is, cui vis admissa est, decesserit: hæres eius habet hæreditatis petitionem. quoniam pro possessore, qui vim intulit, possidet: ꝑpter quod hęredi nõ erit QVOD METVS CAVSSA actio: quamuis si annus largiretur, etiam hæres in quadruplum experiri possit. Ideo autem successoribus datur, quoniam & rei habet persecutionem. D

Qui agit hac actione, duo debet probare, scilicet metum illatum: & ad inferentem metum commodum peruenisse. E

In hac actione non quæritur, vtrum is, qui conuenitur, an alius metum fecerit. sufficit enim hoc docere, metum sibi illatum, vel vim: & ex hac re eum, qui conuenitur, & si crimine caret, lucrum tamen sensisse. Nam cùm metus habebit in se ignorantiam: meritò quis non adstringitur, vt designet, quis ei metum vel vim adhibuerit. & ideo ad hoc tantùm actor adstringitur: vt doceat metum in caussa fuisse, vt alicui acceptam pecuniã faceret, vel rem ita traderet, vel quid aliud faceret. Nec cuiquam iniquum videatur, ex alieno facto aliũ in quadruplum condemnari: quia non statim quadrupli est actio, sed si res non restituatur. Hæc autem actio cùm arbitraria sit: habet reus licentiam ab arbitrio dato vsque ad sententiam, restitutionem (secundum quod suprà diximus) rei facere. quod si non fecerit: iure meritoque quadrupli condemnationem patietur. F

Is ad quem res peruenit ex metu illato per alium, rei interitu liberatur. Bart.

Aliquando tamen, & si metus adhibitus proponatur, arbitrium absolutionem adfert. Quid enim, si metum quidem Titius adhibuit, me non conscio: res autem ad me peruenit, & hæc in rebus humanis non est sine dolo malo meo: non iudicis officio absoluar? Ita & si seruus in fuga est: æquè iudicis officio (si cauero me, si in meam potestatem peruenerit, restituturũ) absolui debebo. Vn-

bo. Vnde quidam putant, bonæ fidei emptorem ab eo, A qui vim intulit, comparantem, non teneri: nec eum, qui dono accepit, vel cui res legata est. Sed rectissimè Iuliano videtur, etiam hos teneri: ne metus, quem passus sum, mihi captiosus sit. Pedius quoque libro octauo scribit, arbitrium iudicis in restituenda re tale esse: vt eum quidem, qui vim admisit, iubeat restituere, etiam si ad alium res peruenit: eum autem, ad quem peruenit, etiam si alius metum fecit. Nam in alterius præmium verti alienum metum non oportet.

Rescisso principali, rescinditur accessorium, secus econuerso. Bart.

Labeo ait. si quis per metum reus sit constitutus, & fideiussorem volentem dederit: & ipse & fideiussor liberatur. B Si solus fideiussor metu accessit, non etiam reus: solus fideiussor liberabitur. Quadruplatur autem id, QVANTI EA RES ERIT, cũ fructibus & omni caussa. Si quis per vim sisti promittendo, postea fideiussorem adhibeat: is quoque liberatur.

Condemnatus ad quadruplum: quia nõ liberat, triplum præstat, & cogitur liberare.

Sed & si quis per vim stipulatus, cùm acceptum non faceret, fuerit in quadruplum condemnatus: ex stipulatu eum agentem, aduersus excepionem replicatione adiuuari, Iulianus putat: cùm in quadruplo & simplum sit reus consecutus. Labeo autem etiam post quadrupli C actionem, nihilominus exceptione submouendum eum, qui vim intulit, dicebat. quod cùm durum videatur, ita temperandum est: vt tam tripli condemnatione plectatur, quàm acceptilationem omnimodo facere compellatur. Quatenus autem diximus, quadruplo simplum inesse, sic hoc disponendum est: vt in cõdemnatione quadrupli res quidem omnimodo cõtineatur, & eius restitutio fiat: pœna autem vsque ad triplum præstetur. Quod si homo sine dolo malo & culpa eius, qui vim intulit, & condemnatus est, periit: in hoc casu à rei condemnatione ideo relaxabitur (si intra tempora iudicati actionis moriatur) quia tripli pœna propter facinus satisfacere cogitur. Pro eo autem, qui in fuga esse dicitur: cautio extorquenda est, quatenus & persequatur, &

omnimodo eum restituat:& nihilominus in rem, vel ad exhibendum, vel si qua alia ei competit actio, ad eum recipiendum integra ei, qui vim passus est, seruabitur. ita tamen, vt si dominus eum quocunque modo receperit: is qui ex stipulatione conuenitur, exceptione tutus fiat. hæc si post condemnationem. Si autem ante sententiam homo sine dolo malo & culpa mortuus fuerit: tenebitur, idq; his verbis edicti, NEQVE EA RES ARBITRIO IVDICIS RESTITVATVR. Ergo & si in fuga sit seruus sine dolo malo & culpa eius, cum quo agetur: cauendum est per iudicem, vt eum seruum persecutus, reddat. Sed & si non culpa eius, cum quo agetur, obierit: si tamen peritura res non fuit, si metum non adhibuisset: tenebitur reus, sic & in interdicto VNDE VI, vel QVOD VI AVT CLAM obseruatur. Itaque interdum hominis precium recipit, quanti eum venditurus fuerat, si vim passus non esset. D E

In violentia compulsiua furtum non committitur: secus in ablatiua. Bart.

Qui vim intulit, cùm possessionem à me sit consecutus, fur non est: quamuis qui vi rapuit, fur improbior esse videatur, vt Iuliano placet. Eum qui metum fecit, & de dolo teneri certum est: (& ita Pomponius) & consumi alteram actionem per alteram, exceptione in factũ opposita. Iulianus ait, quod interest, quadruplari solùm, & ideo eum, qui ex caussa fideicommissi quadraginta debeat, si trecenta promiserit per vim, & soluerit: ducentorum sexaginta quadruplum consecuturum. in his enim cum effectu vim passus est. F

Hæc actio est ex delicto: ideo si plures sint delinquentes, quilibet tenetur insolidum: & hæc actio est ab initio persecutoria: & ideo vnius solutio liberat alium qui hac actione tenetur. Bart.

Secundum hæc si plures metum adhibuerint, & vnus fuerit conuentus: siquidem sponte rem ante sententiam restituerit, omnes liberati sunt. Quod etsi non fecerit, sed ex sententia quadruplum restituerit: verius est, etiam sic perimi aduersus cæteros QVOD METVS CAVSSA actionem.

XV. PAVLVS *lib.* XI. *ad edictum.*

Aut

A Vt in id dabitur aduersus cæteros actio, quod minus ab alio exactum est.

XVI. VLPIANVS *lib.* XI. *ad edictum.*

QVod diximus, si plures metum admiserunt: idem dicendum erit,& si ad alium res peruenit, & alter metum adhibuit.

Hæc actio ex facto seruorum est noxalis, & solutio facta tollit hanc actionem: secus si seruus pro noxa detur. Bar.

Sed & si serui metum adhibuerunt, noxalis quidé actio ipsorũ nomine erit: poterit autem quis & dominũ, ad qué res peruenerit, conuenire: quod conuentus, siue rem, siue (secundum quod iam dictum est) quadruplum præstiterit: proderit & seruis. Si vero noxali cõuentus, B malucrit noxæ dedere: nihilominus poterit & ipse cõueniri, si ad eum res peruenit. Hæc actio hæredi cæterisque successoribus datur, quoniam rei habet persecutionem. In hæredem autem & cæteros in id, quod ad eos peruenit, datur non immeritò. licet enim pœna ad hæredem non transit: attamen quod turpiter vel scelere quæsitum est (vt est rescriptum) ad compendium hæredis non debet pertinere.

XVII. PAVLVS, *lib.* V. *Quæstionum.*

VIdeamus ergo: si hæres, ad quem aliquid peruenit, consumpserit quod peruenit, an desinat teneri: an verò sufficiat semel peruenisse? & si cõsumpto eo decesserit, vtrum aduersus hæredem eius omnimodo compe- C tat hæc actio, quoniam hæreditariam suscepit obligationem: an non sit danda, quoniam ad secundum hæredem nihil peruenit? Et melius est, omnimodo competere in hæredem hæredis actioné. sufficit enim semel peruenisse ad proximum hæredem: & quod perpetua actio esse cœpit. Alioquin dicendum erit: nec ipsum, qui cõsumpsit, quod ad eum peruenit, teneri.

Si res per metum extorta perierit, possessor locupletior non videtur. secus si perierit res empta ex illa. Bartolus.

XVIII IVLIANVS *lib.* LXIIII. *Digestorum.*

SI ipsa res, quæ ad alium peruenit, interiit: nõ esse locupletiorem dicemus. si verò in pecuniam, aliámve rem conuersa sit: nihil vltrà quærendum est, quis exi-

tus ſit: ſed omnimodo locuples videtur, licet poſtea deperdat. Nam & Imperator Titus Antoninus Claudio Frontino, de preciis rerum hæreditariarum reſcripſit: ob id ipſum peti hæreditatẽ ab eo poſſe, quia licet res, quæ in hæreditate fuerant, apud eum non ſint: tamen precium earum locupletem eum vel ſępius mutata ſpecie faciendo, perinde obliget, ac ſi corpora ipſa in eadem ſpecie manſiſſent. D

Hæc actio quæ datur contra hæredem: in id quod peruenit ad eũ datur perpetuò: & an pueneris, litis cõteſtationis tẽpus inſpicitur.

XIX. CAIVS *lib.* IIII. *ad edictum prouinciale.*

QVòd autem in hæredem eatenus pollicetur actionem procõſul, quatenus ad eũ peruenerit: intelligendũ eſt, ad ꝑpetuò dandã actionẽ pertinere. E

XX. VLPIANVS *lib.* XI. *ad edictum.*

QVantum autẽ ad hæredem peruenit, litis cõteſtatæ tempore ſpectabitur: ſi modò certum ſit aliquid perueniſſe. Idẽ & ſi in ipſius, qui vim intulit, corpus patrimonij ſic peruenerit aliquid, vt certũ ſit ad hæredem peruenturũ. idem, ſi debitor liberatus eſt.

Promiſſio facta metu iuſtè illato, non reſcinditur. Bartolus.

XXI. PAVLVS *lib.* XI. *ad edictum.*

SI mulier contra patronum ſuum ingrata facta: ſciens ſe ingratã, cùm de ſuo ſtatu periclitabatur, aliquid patrono dederit vel promiſerit, ne in ſeruitutem redigatur: ceſſat edictum, quia hunc ſibi metum ipſa infert. F

Quod metus cauſſa geſtum erit, nullo tempore prætor ratum habebit. Qui poſſeſſionẽ non ſui fundi tradidit: non quanti fundus eſt, ſed quanti poſſeſſio: eius quadruplum, vel ſimplum cum fructibus conſequetur. æſtimatur enim quod reſtitui oportet, id eſt, quod abeſt. Abeſt autem nuda poſſeſſio cũ ſuis fructibus, quod & Pomponius ſcribit. Si dos metu promiſſa ſit, nõ puto naſci obligationem: quia eſt veriſſimum, nec talem promiſſionem dotis vllam eſſe.

Vbi actio ipſo iure tollitur per pactum, idem eſt in pacto quod in acceptilatione. Bartolus.

Si metu coactus ſim ab emptione vel locatione diſcedere: videndum eſt, an nihil ſit actum, & antiqua obligatio

ligatio remaneat: an hoc dissimile sit acceptilatiói, quia
A nulla bonæ fidei obligatione possumus niti, cùm finita sit, dum amittitur. & magis est, vt similis speciei acceptilationis sit, & ideo prætoria nascatur.

In quasi cōtractu qui celebratur adeūdo, habet locū hæc actio. B.

Si metu coactus adij hæreditatem, puto me hæredem effici: quia quamuis, si liberum esset, noluissem: tamen coactus volui. Sed per prætorem restituendus sum, vt abstinendi mihi potestas tribuatur. Si coactus hæreditatem repudiem, duplici via prætor mihi succurrit: aut vtiles actiones quasi hæredi dando, aut actioné QVOD METVS CAVSSA præstando: vt quam viam ego elegero, hæc mihi pateat.

B *Carcer est iustus metus: & promissio facta in carcere, nullius est momenti. Bartolus.*

XXII. PAVLVS *lib. I. Sententiarum.*

QVi in carcerem quem detrusit, vt aliquid ei extorqueret: quidquid ob hanc caussam factum est, nullius momenti est.

Vbi præsumptio est contra illum qui probare debebat, afficitur duriori probatione. Bartolus.

XXIII. VLPIANVS. *lib. V. Opinionum.*

NOn est verisimile, cōpulsū in vrbe iniquè indebitū soluisse eum, qui clarā dignitatem se habere prętédat: cùm potuerit is ius publicum inuocare, & adire ali-
C quem potestate prçditum, qui vtique vim eum pati prohibuisset. sed huiusmodi præsumptioni debet apertissimas probationes violentiæ opponere.

Factum metu ne quis ducatur ad iudicem, non rescinditur per hanc actionem, sed per officium iudicis.

Si iusto metu perterritus, cognitione iudicis: ad quó vt vinctus iret, potens aduersarius minabatur: id quod habere licebat, cōpulsus vendidit: res suæ æquitati per præsidem prouinciæ restituitur.

Factum metu alicuius verecundia modica, officio iudicis rescinditur, non per hanc actionem. Bartolus.

Si fœnerator inciuiliter custodiendo Athletam, & à certaminibus prohibédo, cauere compulerit vltra quātitatem pecuniç debitç: his probatis, cópetés iudex rem suæ

suæ æquitati restitui decernet.

Exactū per vim ab apparitore indebite illatū, iudicis officio rescinditur, quatenus quis dammnum patitur, & non vltra. Bar. D

Si quis quod aduersario non debebat, delegante eo per vim apparitione præsidis interueniente, sine notione iudicis coactus est dare: iudex inciuiliter extorta restitui ab eo, qui rei damnum præstitit, iubeat. Quòd si debitor satisfecit, simplici iussione, & non cognitione habita: quàmuis nō extra ordinem exactionem fieri, sed ciuiliter oportuit: quæ tamen solutioni debitarū ab eo quantitatum profecerunt, reuocari inciuile est.

DE DOLO MALO. *Tit.* III. E

VLPIANVS *lib.* XI. *ad edictum.*

Hoc edicto prætor aduersus varios & dolosos, qui aliis obfuerūt calliditate quadam, subuenit: ne vel illis malicia sua sit lucrosa, vel istis simplicitas dānosa. Verba autem edicti talia sunt. QVAE DOLO MALO FACTA ESSE DICENTVR: SI DE HIS REBVS ALIA ACTIO NON ERIT, ET IVSTA CAVSSA ESSE VIDEBITVR, IVDICIVM DABO. Dolum malum Seruius quidem ita definit: machinationem quandam alterius decipiendi F caussa, cùm aliud simulatur, & aliud agitur†. Labeo autem ait, posse sine simulatione id agi, vt quis circumueniatur: posse & sine dolo malo aliud agi, & aliud simulari: sicuti faciant, qui per eiusmodi dissimulationē seruant & tuentur, vel sua vel aliena. Itaque ipse sic definit: dolum malum esse, omnem calliditatem, fallaciam, machinationem, ad circumueniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibitam. Labeonis definitio vera est.

†In hanc definitionē Cicero lib. 3. Offi.

Non fuit autem contentus prætor DOLVM dicere, sed adiecit MALVM: quoniam veteres etiam bonum dolum dicebant, & pro solertia hoc nomen accipiebāt: maximè si aduersus hostem † latronémve quis machinaretur. Ait Prætor, SI DE HIS REBVS ALIA

†Iuxta illud Virg. Dolus an

ALIA ACTIO NON ERIT. Meritò prætor ita demum hanc actionem pollicetur, si alia actio nō sit: quoniam tam famosa actio non temerè debuit à prętore decerni: si sit ciuilis, vel honoraria, qua quis possit experiri. Vsque adeo, vt Pedius libro nono scripserit: etiam si interdictum sit, quo quis experiri: vel exceptio, qua se tueri possit: cessare hoc edictum. Idem & Pomponius libro vicesimo octauo. & ita adiicit: etsi stipulatione tutus sit quis, eum actionem de dolo habere non posse: vtputa si de dolo stipulatus sit. Idem Pomponius ait, & si actionem in nos dari non oporteat: veluti si stipulatio tam turpis de dolo malo facta sit, vt nemo daturus sit ex ea actionem: non debere laborare me, vt habeam de dolo malo actionem: cùm nemo sit aduersum me daturus actionem.

virt⁹ quis in hoste requirat: fides tamen hosti seruãda, vt pulchrè Cice. lib. 1. offi. c. 3.

A

B

Ei qui est tutus ipso iure vel per in integrum restitutionem, non competit hac actio. Item ad excludendam hanc actionem sufficit aliam semel competiisse, nisi in ea amittenda quis dolum passus fuerit. Bartolus.

Idem Pomponius refert Labeonem existimare: etã si quis in integrum restitui possit, nō debere ei hãc actionem cōpetere. Sed & si alia actio tempore finita sit, hanc competere non debere, sibi imputaturo eo, qui agere supersederit: nisi in hoc quoque dolus malus admissus sit, vt tempus id exiret. Si quis cùm actioné ciuilem haberet, vel honorariam in stipulatum deductam, eam acceptilatione vel alio modo sustulerit: de dolo experiri non poterit, quoniam habuit aliam actioné: nisi & in amittenda actione dolum malum passus est.

C

Actio competens aduersus vnum, impedit actionem de dolo aduersus alium: si tamen ille est soluendo. Bartolus.

Non solùm autem si aduersus eum sit alia actio, aduersus quem de dolo quæretur

V I I. PAVLVS *lib. XI. ad edictum.*

Vel à quo seruari res poterit,

III. VLPIANVS *lib. XI. ad edictum.*

Non habet hoc edictum locum: verùm etiam si aduersus alium

IIII. PAVLVS *lib. XI. ad edictum.*

Sit

Sit actio, vel si ab alio res mihi seruari poterit.

V. VLPIANVS *lib.* XI. *ad edictum.* D

IDeóque si quis pupillus à Titio tutore authore colludente, circumscriptus sit: non debere eum de dolo malo actionem aduersus Titium habere, cùm habeat tutelæ actionem, per quam cõsequatur, quod sua intersit. Planè si tutor soluendo non sit: dicendum erit de dolo actionem ei dari.

VI. CAIVS *lib.* III. *ad edictum prouinciale.*

NAm is nullã actionem videtur habere, cui propter inopiam aduersarij inanis actio est.

Dolus tertii contractum non uitiat; sed dolus contrahentium si dedit caussam contractui bonæ fidei, illum reddit ipso iure nullum: secus si incidit in contractum. Bartolus. E

VII. VLPIANVS *lib.* XI. *ad edictum.*

ET eleganter Pomponius hæc verba, SI ALIA ACTIO NON SIT, sic excepit: quasi res alio modo ei, ad quem ea res pertinet, salua esse non possit. Nec videtur huic sententiæ aduersari, quod Iulianus libro quarto scribit: si minor annis viginti quinque consilio serui circunscriptus, eum vendiderit cum peculio, emptórque eum manumiserit: dandam in manumissum de dolo actionem. Hoc enim sic accipimus carere dolo emptorem, vt ex empto teneri non possit: aut nullam esse venditionem, si in hoc ipso, vt venderet, circunscriptus est. Et quod minor proponitur, non inducit in integrum restitutionem. nam aduersus manumissum nulla in integrum restitutio potest locum habere. Secundum quæ, etiam si pœnali actione indemnitati eius consuli possit: dicendum erit cessare de dolo actionem. Pomponius etiam si popularis actio sit, cessare de dolo actionem ait. F

Si res debita soluatur deteriorata, agitur ex stipulatione doli, si est interposita: alias in contractibus bonæ fidei agitur actiõe prima: in stricti iuris de dolo. Bartolus.

Non solùm autem si alia actio non sit, sed & si dubitetur, an alia sit: putat Labeo de dolo dandam actionem: & adfert talem speciem. Qui seruum mihi debebat (vel ex venditione, vel ex stipulatu) venenum ei dedit, & sic eum tradidit: vel fundũ, & dum tradidit, imposuit ei seruitutem,

uitutem, vel ædificia diruit, vel arbores excidit, vel vi-
A neam exstirpauit. ait Labeo: siue cauit de dolo, siue non: dandam in eum de dolo actionem. quoniam si cauit du- biũ sit, an cõpetat ei ex stipulatu actio. Sed est verius: si quidem de dolo cautum est, cessare actionem de dolo, quoniã est ex stipulatu actio. si non est cautum: in ex empto quidem actione cessat de dolo actio, quoniam est ex empto: in ex stipulatu verò, de dolo actio necessaria est.

Actio legis Aquiliæ, & ad exhibendum, item actio ex testamento actionem de dolo excludunt: Bartolus.

Si seruum vsuarium proprietarius occiderit: legis Aquiliæ actioni, & ad exhibẽdum id accedit, si possidés proprietarius occidit: ideóq; cessat de dolo actio. Item
B si seruum legatum heres ante aditam hæreditatem occiderit: quoniam prius, quàm factus sit legatarij, interemptus est: cessat legis Aquiliæ actio. de dolo autem actio, quocunque eum tempore occiderit, cessat: quia ex testamento actio competit.

Actio legis Aquiliæ vel de pauperie hanc actionem excludit: licet non solutio sed deditio subsequatur. secus si dominus esset simpliciter non soluendo. Bartolus.

Si quadrupes tua dolo alterius damnum mihi dederit: quæritur, an de dolo habeam aduersus eum actionem? & placuit mihi, quod Labeo scripsit: si dominus quadrupedis non sit soluẽdo, dari debere de dolo actio-
C nem: quamuis si noxæ deditio sit secuta, non putem dandam, nec in id, quod excedit. Idem Labeo quærit: si compeditum seruum meum, vt fugeret, solueris: an de dolo actio danda sit? & ait Quintus apud eum notans. si non misericordia duct' fecisti, furti teneris: si misericordia, in factum actio dari debet.

Qui non seruat pactum ad quod naturaliter, non ciuiliter est obligatus: tenetur læso actione de dolo, si aliud remedium deficit. B.

Seruus pro libertate pactionis reum domino dedit: ea cõditione, vt post libertatem transferatur in eum obligatio. manumissus non patitur in se obligationẽ transferri: Põponius scribit, locum habere de dolo actionem. sed si per patronũ stabit, quò minus obligatio transferatur: dicendum ait, patronum exceptione à reo submouendum.

uendum. Ego moueor. quemadmodum enim de dolo dabitur, cùm sit alia actio? nisi fortè quis dicat: quoniã exceptione patronus submoueri potest, si agat cũ reo: debere dici (quasi nulla actio sit, quæ exceptione repellitur) de dolo decernendam. Atquin patronus tunc submouetur: si nolit expromissioné ipsum manumissum accipere. expromissori planè aduersus manumissum dari debebit de dolo actio: aut si non sit soluendo expromissor, domino dabitur. Si dolo malo procurator passus sit vincere aduersarium meũ, ita vt absolueretur: an de dolo actio mihi aduersus eum, qui vicit, competat: potest quæri. & puto non cópetere: si paratus sit reus transferre iudicium in se sub exceptione hac, SI COLLVSVM SIT. alioquin de dolo actio erit danda: scilicet si cum procuratore agi non possit, quia non est soluẽdo. D E

Simplex mendacium non præsumitur dolosè dictum, & ideo nõ inducit actionẽ de dolo, nisi causa sui lucri quis mentiatur. Bartolus

Item Pomponius refert: Cecidianum prætorem non dedisse de dolo actionem aduersus eum, qui adfirmarat idoneum esse eum, cui mutua pecunia dabatur: quod verum est. nam nisi ex magna & euidenti calliditate, non debet de dolo actio dari.

VIII. CAIVS *lib.* IIII. *ad edictum prouinciale.*

QVòd si cùm scires eum facultatibus labi, lucri tui gratia adfirmasti mihi idoneum esse: meritò aduersus te (cùm mei decipiendi gratia alium falsò laudasti) de dolo iudicium dandum est. F

Contra mentientem de substantia hæreditatis datur actio ex eo contractu si interesit. alias de dolo. Bartolus.

IX. VLPIANVS *lib.* XI. *ad edictum.*

SI quis adfirmauerit minimam esse hęreditatem, & ita eã ab hærede emit: non est de dolo actio, cùm ex vendito sufficiat. Si auté mihi persuaserit, vt repudiem hæreditatem, quasi minus soluendo ea sit: vel vt optem seruum, quasi melior eo in familia nõ sit: dico de dolo dandam, si callidè hoc fecerit. Item si tabulæ testaméti, ne de inofficioso diceretur, diu suppressę sint, mox mortuo filio prolatæ: hæredes filij aduersus eos, qui suppresserunt, & lege Cornelia & de dolo posse experiri.

Sequester

Sequester non tenetur rem restituere, nisi finita lite: vel cùm per
A *actorem steterit. Item contra eum qui fecit fieri sequestrum indebitè, actione de dolo succurritur, vbi alia actio deficit. Bartolus.*

Labeo lib. septimo Posteriorũ scribit: si oleũm tuum quasi suum defendat Titius, & tu hoc oleum deposueris apud Seium, vt is hoc venderet, & precium seruaret, donec inter nos diiudicaretur, cuius oleum esset, neque Titius velit iudicium accipere: quoniam neque mandati, neque sequestraria Seium conuenire potes, nondum impleta conditione depositionis: de dolo aduersus Titium agendum. Sed Pomponius libro vicesimo septimo, posse cum sequestro præscriptis verbis actione agi: vel si is soluendo non sit cum Titio de dolo: quæ distinctio, vera esse videtur. B Et si seruum pignoratum noxæ mihi dederis: per iudicem absolutus, de dolo teneris, si apparuerit eum esse pignori datum. Hæc de dolo actio noxalis erit. ideo Labeo quoque libro tricesimo prætoris peregrini scribit, de dolo actionem serui nomine interdum de peculio, interdum noxalem dari. Nam si ea res sit, in qua dolus commissus est, ex qua de peculio daretur actio: tunc de peculio dandam. Si verò ea sit, ex qua noxalis: hoc quoque noxale futurum.

Hæc actio non datur pro modica quantitate, nec contra parentes vel patronos, vel personas honestiores: sed per actionem in factũ succurritur. Bartolus.

C Meritò caussæ cognitionem pretor inseruit. neque enim passim hęc actio indulgenda est. nam ecce in primis si modica summa sit,

X. PAVLVS *lib.* XI. *ad edictum.*

Id est vsque ad duos aureos,

XI. VLPIANVS *lib.* XI. *ad edictum.*

Non debet dari. Sed & quibusdam personis non dabitur: vt puta liberis vel libertis aduersus parentes patronósve, cùm sit famosa. Sed nec humili aduersus eum, qui dignitate excellit, debet dari: vtputa plebeio aduersus consularem receptæ authoritatis: vel luxurioso atque prodigo, aut aliâs vili aduersus hominem vitæ emendatioris: & ita Labeo. Quid ergo in horum persona? dicendum est, IN FACTVM verbis temperandam

randam de dolo actionem, vt bonæ fidei mentio fiat,

XII. PAVLVS *lib.* XI. *ad edictum.*

NE ex dolo ſuo lucrentur.

XIII. VLPIANVS *lib.* XI. *ad edictum.*

HAeredibus tamen harum perſonarum, item aduerſus hæredes de dolo actio erit danda. Item in cauſſæ cognitione verſari Labeo ait, ne in pupillum de dolo detur actio, niſi fortè nomine hæreditario conueniatur. Ego arbitror, & hunc ex ſuo dolo cōueniendum, ſi proximus pubertati eſt: maximè ſi locupletior ex hoc factus ſit.

XIIII. PAVLVS *lib.* XI. *ad edictum.*

QVid enim ſi impetrauerit à procuratore petitoris, vt ab eo abſolueretur? vel ſi de tutore mentitus, pecuniá acceperit? vel alia ſimilia admiſerit, quæ non magnam machinationem exigunt? B

XV. VLPIANVS *lib.* XI. *ad edictum.*

SEd & ex dolo tutoris (ſi factus eſt locupletior) puto in eum dandam actionem, ſicut exceptio datur.

Contra vniuerſitatem non datur de dolo actio: quia dolū non poteſt committere de facili, niſi ex perſonis adminiſtrātium. Bartolus.

Sed an in municipes de dolo detur actio, dubitatur. Et puto ex ſuo quidem dolo non poſſe dari (quid enim municipes dolo facere poſſunt?) ſed ſi quid ad eos peruenit ex dolo eorum, qui res eorum adminiſtrant: puto dandam. De dolo autem decurionum, in ipſos decuriones dabitur de dolo actio. Item ſi quid dolo procuratoris ad dominum peruenerit: datur in dominum de dolo actio, in quãtum ad eum peruenit. nam procurator ex ſuo dolo proculdubio tenebitur. In hac actione deſignari oportet, cuius dolo factum ſit: quamuis in metu non ſit neceſſe. F

XVI. PAVLVS *lib.* XI. *ad edictum.*

ITem exigit prætor, vt comprehēdatur, quid dolo malo factum ſit. ſcire enim debet actor, in qua re circunſcriptum ſit, nec in tanto crimine vagari.

Plures dolum committentes tenētur inſolidum: tamen vnius ſolutione cæteri liberantur. Bartolus.

XVII. VLPIANVS *lib.* XI. *ad edictum.*

Si plu-

A SI plures dolo fecerint, & vnus rem restituerit: omnes liberantur. quòd si vnus, quanti ea res est, præstiterit, puto adhuc cæteros liberari. Hæc actio in hæredem & in cæteros successores datur, dũtaxat de eo, quod ad eos peruenit.

Hæc actio est arbitraria: & ideo contra non restituentem iuratur in litem, si res tempore condemnationis extabat. Bartolus.

XVIII. PAVLVS *lib.* XI. *ad edictum.*

ARbitrio iudicis in hac quoque actione restitutio cõprehenditur: & nisi restitutio fiat, sequitur condemnatio quanti ea res est. Ideo autem hic & in metus caussa actione certa quãtitas non adiicitur: vt possit per contumaciam suam tanti reus condemnari, quanti actor

B in litem iurauerit: licet officio iudicis debeat in vtraq; actione taxatione iusiurandum refrenari. Non tamen semper in hoc iudicio arbitriũ iudicis dandú est. Quid enim si manifestum sit, rem restitui non posse: veluti si seruus dolo malo traditus, defunctus sit? ideóque protinus condemnari debet in id, quod intersit actoris. Si dominus proprietatis insulam, cuius vsusfructus legatus erat, incenderit: non est de dolo actio, quoniam aliæ ex hoc oriuntur actiones.

Contra commodantem falsa pondera vel mensuras, nõ datur hac actio de dolo: si inter contrahentes aliis actionibus potest esse cõsultum: aliàs recurritur ad actionem de dolo. Bartolus.

C De eo, qui sciens commendasset falsa pondera, vt venditor emptori merces adpéderet: Trebatius de dolo dabat actionem. Atquin si maiora pondera commendauit: id quod amplius mercis datum est, repeti conditione potest. si minora: vt reliqua merx detur, ex empto agi potest. Nisi si ea conditione merx venit, vt illis ponderib⁹ traderetur: cùm ille decipiendi caussa adfirmasset, se æqua pondera habere.

In eos qui falsis põderibus merces appendũt, est cõminatio Amos. c. 8.

Ad caussam seu litis instantiam peremptam non datur restitutio, sed per actionem de dolo succurritur contra eum, cuius dolo factum fuerit. Bartolus.

Si cuius dolo effectum est, vt lis temporib⁹ legitimis transactis pereat: Trebatius ait, aduersus eum de dolo dãdum iudicium, non vt arbitrio iudicis restituatur, sed

vt tãtum actor cõſequatur, quanti eius interfuit, id non eſſe factum: ne aliter obſeruantibus lex circũſcribatur. D

Si ſpeciem debitam tertius interimit, vel fideiuſſor, ante moram debitor liberatur, & creditori contra interimentem actione de dolo ſuccurritur. Bartolus.

Si ſeruum, quem tu mihi promiſeras, alius occiderit: de dolo malo pleriq; in eum dandam actionem rectè putant: quia tu à me liberatus ſis, ideóque legis Aquiliæ actio tibi denegetur.

Dolus ſolius fideiuſſoris non perpetuat obligationem eius, ſed parit actionem de dolo. Bartolus.

XIX. PAPINIANVS lib. XXXVII. *Quæſtionum.*

SI fideiuſſor promiſſum animal ante morã occiderit: de dolo actionem reddi aduerſus eum oportere, Neratius, Priſcus, & Iulianus reſponderunt: quoniã debitore liberato, per conſequẽtiam ipſe quoq; dimittitur. E

Dominus cuius hortatu ſeruus accepit pecuniam vt ſibi ſoluatur, actione de dolo tenetur. Bartolus.

XX. PAVLVS. lib. XI. *ad edictum.*

SEruus tuus cùm tibi deberet, nec ſoluendo eſſet: hortatu tuo pecuniam mutuam à me accepit, & tibi ſoluit. Labeo ait, de dolo malo actionem in te dãdam: quia nec de peculio vtilis ſit, cùm in peculio nihil ſit: nec in rem domini verſum videatur, cùm ob debitum dominus acceperit.

Si dolus rei dedit cauſſam abſolutiõi, de dolo tenetur. Item quod eſt iuramento deciſum, ratione periurii actione de dolo non retractatur. Bartolus. F

Si perſuaſeris, mihi nullam ſocietatẽ tibi fuiſſe cum eo, cuius hæres ſum: & ob id iudicio abſolui te paſſus ſim: dandam mihi de dolo actionem, Iulianus ſcribit.

XXI. VLPIANVS lib. XI. *ad edictum.*

QVod ſi deferẽte me iuraueris, & abſolutus ſis, poſtea periurium fuerit adprobatum: Labeo ait de dolo actionem in eum dãdam, Pomponius autem per iuſiurandum tranſactum videri. quam ſententiam & Marcellus libro ſeptimo Digeſtorum probat. ſtari enim religioni debet.

XXII. PAVLVS lib. XI. *ad edictum.*

Nam

NAm sufficit periurij pœna.† | †Periurij pœna diuina, exitium humana, dedec⁹. Cic.lib.2.de legibus.

A *Contra eum cuius persuasione indebitum soluitur, actione de dolo succurritur. Bartolus.*

XXIII. CAIVS *lib.* IIII. *ad edictum prouinciale.*

SI legatarius, cui supra modum legis Falcidiæ legatū sit, hæredi adhuc ignoranti substantiam hæreditatis, vltro iurando vel quadam alia fallacia persuaserit, tanquam satis abundéq; ad solida legata soluenda sufficiat hæreditas: atque eo modo solida legata fuerit consecutus: datur de dolo malo actio.

Contra eum cuius dolo sententia pro libertate in absentem profertur, actione de dolo succurritur. Bartolus.

XXIIII. VLPIANVS *lib.* XI. *ad edictum.*

B SI dolo acciderit eius, qui verba faciebat pro eo, qui de libertate contendebat, quò minus præsente aduersario secundū libertatem pronūciaretur: puto statim de dolo dandam actionem in eum: quia semel pro libertate dictam sententiā retractari non oportet.

Is, qui suo dolo est absolutus, actione prima conuenitur: & econtra exceptione rei iudicatæ de dolo replicabitur.

XXV. PAVLVS *lib.* XI. *ad edictum.*

CVm à te pecuniam peterem, eóq; nomine iudicium acceptum esset: falsò mihi persuasisti, tanquam eam pecuniam seruo meo, aut procuratori soluisses: eóque modo consecutus es, vt consentiente me absolutereris. C quærentibus nobis, an in te doli iudicium dari debeat: placuit de dolo actionem non dari. quia alio modo mihi succurri potest. nam ex integro agere possum: & si obiiciatur exceptio rei iudicatæ, replicatione iure vti potero.

Hæc actio datur in hæredem perpetuò, quatenus ad eum peruenit. Bartolus.

XXVI. CAIVS *lib.* IIII. *ad edictum prouinciale.*

IN hæredem eatenus daturum se eam actioné proconsul pollicetur, quatenus ad eum peruenit: id est, quatenus ex ea re locupletior ad eum hæreditas peruenit.

XXVII. PAVLVS *lib.* XI. *ad edictum.*

DOlóve malo eius factū est, quò minus perueniret.

XXVIII. CAIVS *lib.* IIII. *ad edictū prouinciale.*

ITaque ſi acceptò lata ſit tibi pecunia: omnimodo cum hærede tuo agetur. At ſi res tibi tradita ſit: ſiquidem mortuo te ea res exſtitit, agitur cum hærede tuo. ſi minus: non agitur. Sed vtique in hæredem perpetuò dabitur: quia non debet lucrari ex alieno damno. Cui conueniens eſt, vt & in ipſum, qui dolum commiſit: in id, quod locupletior eſt, perpetuò danda ſit in factum actio. D

XXIX. PAVLVS *lib.* XI. *ad edictum.*

SAbinus putat, calculi potius ratione, quàm maleficij hæredem conueniri: deniq; famoſum non fieri, ideóque in perpetuum teneri oportere.

XXX. VLPIANVS *lib.* XI. *ad edictum.*

NEque cauſſæ cognitio erit in hæredis perſona neceſſaria. E

Contra perſuadentem fugam datur actio de dolo ad intereſſe.

XXXI. PROCVLVS *lib.* II. ἐπιστολῶν.

CVm quis perſuaſerit familiæ meæ, vt de poſſeſſione decedat: poſſeſſio quidem non amittitur, ſed de dolo malo actio in eum competit, ſi quid dãni mihi acceſſerit.

Qui ſeruum in perniciem hæredum ante tempus manumittit, actione de dolo tenetur. Bartolus.

XXXII. SCAEVOLA *lib.* II. *Digeſtorum.*

FIlius legatum ſibi ſeruum per præceptionem rogatus manumittere poſt certum tempus, quàm rationes ipſi & cohæredibus fratribus reddidiſſet: ante diem, & ante redditas rationes, ad libertatem vindictà manumittendo perduxerat. quęſitum eſt, an ex fideicommiſſo fratribus teneretur, vt rationes pro portionibus eorum redderentur? Reſpõdi. cùm liberum fecit, ex cauſſa quidem fideicommiſſi non teneri: verùm ſi ideo properaſſet manumittere, ne rationes fratribus redderẽtur, poſſe de dolo actionem in eum exerceri. F

Qui rei tuæ venditionem impedit, tibi actione de dolo vel actione in factum tenetur. Bartolus.

XXXIII. VLPIANVS *lib.* IIII. *Opinionum.*

REi, quam venalem poſſeſſor habebat, litem proprietatis aduerſarius mouere cœpit: & poſtea, quàm opportunitatem emptoris, cui venundari potuit, peremit: deſtitit.

destitit. placuit possessori hoc nomine actionem in factum cum sua indemnitate competere.

A *Qui opus cœptum in suo ad mei vtilitatem, non permittit perficere, actione de dolo tenetur. Bartolus.*

XXXIIII. IDEM *lib.* XLIII. *ad Sabinum.*

SI cùm mihi permisisses saxum ex fundo tuo eiicere, vel cretam, vel arenam fodere: & sumptũ in hãc rem fecerim, nec patiaris me tollere: nulla alia, quàm de dolo, actio locum habebit.

Qui testamentum deleuit, tenetur legatario & haredi de dolo. Bartolus.

XXXV. IDEM *lib.* XXX. *ad edictum.*

B SI quis tabulas testaméti apud se depositas, post mortem testatoris deleuerit, vel alio modo corruperit: hęres scriptus habebit aduersus eum actionem de dolo. Sed & his, quibus legata data sunt, erit de dolo actio.

Dolus cum dolo compensatur. Bartolus.

XXXVI. MARTIANVS. *lib.* II. *Regularum.*

SI duo dolo malo fecerint, inuicé de dolo non agent.

XXXVII. VLPIANVS *lib.* XLIII. *ad Sabinum.*

QVod venditor, vt commendet, dicit: sic habédum, quasi neque dictum, neque promissum sit. Si verò decipiendi† emptoris caussa dictum est: æquè sic habendum est, vt non nascatur aduersus dictum promissúmve actio: sed de dolo actio detur.

†Huc pertinet quod Cic. copiosè differit li. 3. offi. in eo loco quo Pythii & Lanii meminit.

C XXXVIII. IDEM *lib.* V. *opinionum.*

QVidam debitor epistolam, quasi à Titio, mitti creditori suo effecit, vt ipse liberaretur. hac epistola creditor deceptus, Aquiliana stipulatione & acceptilatione eũ liberauit. postea epistola falsa, vel inanis reperta. creditor quidem maior annis vigintiquinq; de dolo habebit actionem: minor auté in integrũ restituetur.

XXXIX. CAIVS. *lib.* XXVI. *ad edictum prouinciale.*

SI te Titio obtuleris de ea re, quam non possidebas, in hoc vt alius vsucapiat: & iudicatum solui satisdederis: quamuis absolutus sis, de dolo malo tamen tenebetis: & ita Sabino placet.

XL. FVRIVS ANTHINVS *lib.* I. *ad edictum.*

IS qui decepit aliqué, vt hæreditatem non idoneã adiret, de dolo tenebitur: nisi fortasse creditor erat, & solus erat. tunc enim sufficit contra eũ doli mali exceptio. D

DE MINORIBVS VIGINTIQVINque annis. Titulus IIII.

VLPIANVS lib. XI. ad edictum.

HOc edictum prætor, naturalem æquitaté secutus, proposuit: quo tutelam minorũ suscepit. nam cùm inter omnes constet: fragile esse & infirmum huiusmodi ætatum cõsilium, & multis captionibus suppositum, multorúmq; insidiis expositum: auxilium eis prætor hoc edicto pollicitus est, & aduersus captiones opitulationem. E Prætor edicit. QVOD CVM MINORE, QVÀM VIGINTIQVINQVE ANNORVM NATV GESTVM ESSE DICETVR: VTI QVAEQVE RES ERIT: ANIMADVERTAM. Apparet minoribus annis vigintiquinque eum opem polliceri. nam post hoc tempus compleri virilem vigorem constat. Et ideo hodie in hanc vsque ætatem adolescentes curatorum auxilio reguntur: nec anté rei suæ administratio eis committi debet, quamuis bene rem suam gerentibus.

Numerus liberorum non supplet ætatem quo ad impediendam in integrum restitutionem, sed quo ad decernendũ honores. Bartolus. F

II. IDEM lib. XVIII. ad L. Iuliam & Papiam.

NEc per liberos suos rem suam maturius à curatoribus recipiãt. Quod enim legibus cauetur, vt singuli anni per singulos liberos† remittantur: ad honóres diuus Seuerus pertinere ait, non ad rem suam recipiendã.

†In hũc locũ Arist. li. 2. Polit. cap. 7.

Princeps potest minori administrationem bonorum suorum concedere, non iudex inferior. Bartolus.

III. IDEM lib. XI. ad edictum.

DEnique diuus Seuerus & Imperator noster, huiusmodi consulum vel præsidum decreta, quasi ambitiosa esse interpretati sunt. Ipsi autem perrarò minorib' rerum suarum administrationem extra ordinem indulserunt: & eo iure vtimur.

Si dolo

Si dolo aduersarii negocium contractum est vt in maiore ætate
A *perficiatur, vel si finis habet necessariam consequentiam ad principium, inspicimus principium: aliàs finis inspicietur.* Bart.

Si quis cum minore contraxerit, & cõtractus inciderit in id tẽpus, quo maior efficitur: vtrum initium spectamus an finem? & placet (vt est constitutum) si quis maior factus comprobauerit, quod minor gesserat: restitutionem cessare. Vnde illud non ineleganter Celsus Epistolarum libro vndecimo, & Digestorum secundo tractat, ex facto à Fuluio Respecto prætore consultus. Minor annis vigintiquinque, annos fortè vigintiquatuor agens, iudicium tutelæ hæredi tutoris dictauerat. mox factum, vt nõ finito iudicio, * iam eo maiore effecto vi- **al. vt finito iudicio.*
B gintiquinque annis, tutoris hæres absolutus proponeretur. in integrum restitutio desiderabatur. Celsus igitur Respecto suasit, non facilè hunc quondam minorem in integrum restitui: sed si ei probaretur, calliditate aduersarij id actum, vt maiore eo facto liberaretur. neque enim extremo (inquit) iudicij die videtur solùm deceptus hic minor, sed totum obstructum: vt maiore eo facto liberaretur. Idem tamen confitetur: si leuior sit suspitio aduersarij: quasi dolosè versati: non debere hunc in integrum restitui. Scio etiam illud aliquando incidisse. Minor vigintiquinq; annis miscuerat se paternæ hæreditati, maiorque factus exegerat aliquid à debito-
C ribus paternis. mox desiderabat in integrũ restitui, quò magis abstineret paterna hæreditate. cõtradicebatur ei, quasi factus maior comprobasset, quod minori sibi placuisset. Putauimus tamen restituendum in integrum, initio inspecto. Idem puto, & si alienam adiit hęreditatem.

Minor ætas inspicitur de momento ad momentum: & dies bisextilis cum præcedenti computatur pro vno. Bart.

MINORE QVÀM VIGINTIQVINQVE ANNORVM NATV. videndum est, an diem natalis sui ad hoc ducimus: an horam, * in qua natus est: vt si captus sit, cùm nondum compleuerit, restituatur. & ita erit dicendum: vt à momento in momentum tempus spectetur. Proinde etsi bissexto natus est (siue priore, siue posteriore die) Celsus scribit, nihil referre. nam id biduũ ** In hunc locũ Gel. li. 3. noct. att. cap. 2.*

pro vno die habetur, & poſterior dies Kalendarum intercalatur. D

Minor etiam filiusfamiliâs aduerſus obligationem reſtituitur, etiamſi iuſſu patris contraxerit, præterquam in mutuo. & beneficiũ filii minoris ad patrem non porrigitur. Bart.

Sed vtrùm ſolis patribusfamiliârum, an etiam filiisfamiliârum ſuccurri debeat, videndum. Mouet dubitationem, quòd ſi quis dixerit, etiam filiisfamiliârum in re peculiari ſubueniendum: efficiet, vt per eos etiam maioribus ſubueniatur, id eſt, patrib⁹ eorum: quod nequaquam fuit prætoris propoſitum. prætor enim minoribus auxilium promiſit, non maioribus. Ego autem veriſſimã arbitror ſententiam exiſtimantium, filiumfamiliâs minorem annis in integrum reſtitui poſſe ex his ſolùm cauſſis, quæ ipſius interſunt: puta ſi ſit obligatus. Proinde ſi iuſſu patris obligatus ſit: pater vtique poterit inſolidũ conueniri. filius autem cùm & ipſe poſſit, vel in poteſtate manens, vel etiam emancipatus, vel exhæredatus, in id quod facere poteſt: (& quidem & in poteſtate manẽs, inuito patre) ex condemnatione conueniri: auxiliũ impetrare debebit, ſi ipſe conueniatur. Sed an hoc auxiliũ patri quoque proſit, vt ſolet interdum fideiuſſori eius prodeſſe, videamus. & non puto. Si igitur filius conueniatur, poſtulat auxilium: ſi patrem conueniat creditor, auxilium ceſſat, excepta mutui datione. in hac enim ſi iuſſu patris mutuam pecuniam acceperit, nõ adiuuatur. Proinde etſi ſine iuſſu patris contraxit, & captus eſt: ſiquidem pater de peculio conueniatur, filius nõ erit reſtituendus. ſi filius conueniatur: poterit reſtitui. Nec eo mouemur, quaſi interſit filij peculium habere. magis etenim patris, quàm filij intereſt: licet aliquo caſu peculium ad filium ſpectet: vtputa ſi patris eius bona à fiſco propter debitum pecuniarium occupata ſunt. nam peculium eius ex conſtitutione diui Claudij ſeparatur. Ergo etiam filiamfamiliâs in dote captam: dum patri conſentit, non ſtatim dotem ſtipulanti, quam dedit, vel adhibenti aliquem, qui dotem ſtipularetur: puta reſtituẽdam. quoniã dos ipſius filię proprium patrimonium eſt.

E

F

Aduerſus adrogationem minor reſtituitur. Bart.

Si quis

Si quis minor vigintiquinque annis adrogandum se
A dederit, & in ipsa adrogatione se circunuentum dicat (finge enim à prædone eum hominem locupletem adrogatum) dico debere eum audiri, in integrum se restituentem.

Aduersus liberationem legati conditionalis vel cohærentis personæ filiusfamiliâs minor restituitur. Bart.

Si quid minori filiofamiliâs legatum fuerit post mortem patris, vel fideicommissum relictum, & captus est (fortè, dum consensit patri paciscenti, ne legatum peteretur) potest dici in integrum restituendum, quoniam ipsius interest propter spem legati, quod ei post mortem patris competit. Sed & si ei legatum sit aliquid, quod
B personæ eius cohæret (puta ius militiæ) dicendum est posse eum restitui in integrum. interfuit enim eius non capi: cùm hanc patri non adquireret, sed ipse haberet.

Aduersus negligentiam in nō denunciando adhibitam minor restituitur. Bart.

Et si hæres sit institutus, si à patre in diebus centum emancipatus sit: moxque patrem debuerit certiorare, nec fecerit: qui tamen emancipasset, si cognouisset: dicendum erit posse eum in integrum restitui, parato patre eum emancipare.

Pater vt successor filii, idem ipse filius minor in castrensi peculio restituitur. Bart.

C Pomponius adiicit: ex his caussis, ex quibus in re peculiari filiifamiliârum restituuntur: posse & patrē, quasi hæredem, nomine filij, post obitum eius impetrare cognitionem. Sin autem filiusfamiliâs sit, qui castrense peculium habeat: proculdubio ex his, quæ ad castrense peculium spectant, in integrum restituendus erit, quasi in proprio patrimonio captus.

Seruus ratione minoris ætatis non restituitur in iis quæ ad dominum spectant, secus si spectarent ad ipsum seruum, vt si libertatē respicerent. Bart.

Seruus autem minor vigintiquinque annis nullo modo restitui poterit: quoniam domini persona spectatur: qui sibi debebit imputare, cur minori rem commisit. Quarè & si per impuberem contraxerit, idem erit dicendum:

cendum : vt & Marcellus libro ſecundo Digeſtorum ſcribit. Et ſi fortè libera peculij adminiſtratio minori ſeruo ſit conceſſa: maior dominus ex hac cauſſa non reſtituetur. D

IIII. AFRICANVS *lib.* VII. *Quaestionum.*

ETenim quodcunque ſeruus ita gerit, voluntate domini gerere intelligendus eſt. & magis hoc apparebit, ſi aut de inſtitoria actione quæratur: aut ſi proponatur maiorem vigintiquinque annis negocium aliquod gerendum minori mandaſſe, & illum in ea re deceptum eſſe.

V. VLPIANVS *lib.* XI. *ad edictum.*

SI tamẽ ſeruus fuit is, cui fideicomiſſaria libertas debebatur præſens, & fuit captus, quoniam re mora ei ſit, poterit dici, prætorem ei ſuccurrere oportere. E

Licet quis non lædatur in commodo pecuniario, ſed vexatur litibus, poteſt reſtitui. Bart.

VI. IDEM *lib.* XI. *ad edictum.*

MInoribus vigintiquinque annis ſubuenitur per in integrum reſtitutionem, non ſolùm cùm de bonis eorum aliquid minuitur: ſed etiam cùm interſit ipſorũ, litibus & ſumptibus non vexari.

Verbum, geſtum, continet omnem contractum vel quaſi contractum. Item *ſolutionis exceptionem: aduerſus quam minor reſtituitur: niſi iudice præcipiente facta fuerit.* Bart.

VII. IDEM *lib.* XI. *ad edictum.* F

AIt prætor, GESTVM ESSE DICETVR. GESTVM ſic accipitur, qualiter qualiter: ſiue contractum ſit, ſiue quid aliud contigerit. proinde & ſi emit aliquid, ſi vendidit, ſi ſocietatem coiit, ſi mutuam pecuniam accepit, & captus eſt: ei ſuccurretur. Sed & ſi ei pecunia à debitore paterno, vel proprio ſoluta ſit, & hanc perdidit: dicendum eſt ei ſubueniri, quaſi geſtum ſit cũ eo. Et ideo ſi minor conueniat debitorem: adhibere debet curatorem, vt ei ſoluatur pecunia. cæterùm non ei cõpellitur ſoluere. Sed hodie ſolet pecunia in ædem deponi (vt Pomponius libro viceſimooctauo ſcribit) ne vel debitor vltrà vſuris oneretur, vel creditor minor perdat pecuniam: aut curatoribus ſolui, ſi ſint.

Permit-

Permittitur etiam ex constitutione principum debitori, compellere adolescentes ad petendos sibi curatores.
A Quid tamen, si prætor decernat soluendam pecuniam minori sine curatoribus, & soluerit? an possit esse securus, dubitari potest. Puto autem, si allegans minorem esse, compulsus sit ad solutionem: nihil ei imputandum: nisi fortè, quasi aduersus iniuriam, appellandum quis ei putet. Sed credo prætorem hunc minorem in integrum restitui volentem, auditurum non esse.

Minori quasi cum eo gestum sit succurritur, siue intercedat siue litiget, vel hæreditatem vel aliam successionem apprehendat. Bart.

Non solùm autem in his ei succurritur, sed etiam in interuentionibus: vtputa si fideiussorio nomine se vel
B rem suam obligauit. Pomponius videtur adquiescere distinguentibus: an arbiter ad fideiussores probandos cōstitutus eum probauerit, an verò ipse aduersarius. mihi autem semper succurrendum videtur, si minor sit, & se circunuentum doceat. Sed & in iudiciis subuenitur: siue dum agit, siue dum conuenitur, captus sit. Sed & si hæreditatem minor adit minus lucrosam: succurritur ei, vt se possit abstinere. nam & hic captus est. Idem & in bonorum possessione, vel alia successione.

Minor aduersus fideiussionem restituitur: etiam si sit tanquā idoneus per iudicem approbatus. Baldus.

Non solùm autem filius, qui se miscuit paternæ hæ-
C reditati: sed & si aliquis sit ex necessariis minor annis: simili modo restitutionē impetrabit. veluti si seruus sit cum libertate institutus. dicendum enim erit, si se miscuit, posse ei subueniri ætatis beneficio, vt habeat bonorum suorum separationem. Planè qui post aditam hæreditatem restituitur: debet præstare, si quid ex hæreditate in rem eius peruenit, nec periit per imbecillitatem ætatis.

Minoribus deceptis in eo quod non sunt lucrati, succurritur. Bar.

Hodie certo iure vtimur, vt & in lucro minorib⁹ succurratur. & Pomponius libro vicesimooctauo scribit, si sine dolo cuiusquam legatū repudiauerit: vel in optionis legato captus sit, dum elegit deteriorem: vel si duas res promiserit illam aut illam, & preciosiorem dederit:

debere

debere ſubueniri. Quæſitum eſt ex eo, quòd in lucro quoque minoribus ſubueniendum dicitur: ſi res eius venierit, & exiſtat, qui plus liceatur: an in integrum propter lucrum reſtituendus ſit? & quotidie prætores eos reſtituunt, vt rurſum admittatur licitatio. Idem faciunt & in his rebus, quæ ſeruari eis debent. quod circunſpectè erit faciendum. Cæterùm nemo accedat ad emptionem rerum pupillarium, nec ſi bona fide diſtrahantur. Et diſtrictè probandum eſt: in rebus, quæ fortuitis caſibus ſubiectæ ſunt, non eſſe minori aduerſus emptorem ſuccurrendum: niſi aut ſordes, aut euidens gratia tutorum ſiue curatorum doceatur. Reſtitutus autem, vt ſe hæreditati miſceat: vel vt eam adeat, quam repudiauit: rurſus reſtitui poterit, vt ſe abſtineat: & hoc reſcriptum & reſponſum eſt. D E

Subſtitutio vulgaris expirat adita hæreditate: & ea per reſtitutionem repudiata in hæredem neceſſariò vires reaſſumit ſi hæreditas non eſt ſoluendo. Item qui ſemel eſt hæres, per reſtitutionem non deſinit eſſe hæres directò ſed vtiliter. Bartolus.

Sed quod Papinianus libro ſecũdo Reſponſorũ ait, minori ſubſtitutum ſeruum neceſſariũ, repudiante quidem hæreditatem minore, neceſſarium fore: & ſi fuerit reſtitutus minor, liberum nihilominus manere: ſi autem prius minor adierit hęreditatem, mox abſtentus ſit, ſubſtitutum pupillo ſeruum cum libertate non poſſe hæredem exiſtere, neque liberum eſſe: non per omnia verum eſt. Nam ſi non eſt ſoluendo hæreditas, abſtinẽte ſe hærede: & diu' Pius reſcripſit, & imperator noſter (& quidem in extraneo pupillo) locum fore neceſſariò ſubſtituto. Et quod ait, LIBERVM MANERE: tale eſt, quaſi non etiam hæres maneat, cùm pupillus impetrat reſtitutionem poſtea, quàm abſtentus eſt. cùm enim pupillus hæres non fiat, ſed vtiles actiones habeat: ſine dubio hæres manebit, qui ſemel extitit. Item ſi non prouocauit intra diem: ſubuenitur ei, vt prouocet. finge enim hoc deſiderare. Item in eremodiciis† eis ſubuenitur. cõſtat autem omnis ætatis hominibus reſtaurationem eremodicij præſtari, ſi ſe doceant ex iuſta cauſa abfuiſſe. F

† Eremodiciũ quid. Alexã. ab Alex. li. 4 Genial. dierum. c. 15.

Contumacia

Contumacia non priuat minorem beneficio restitutionis in integrum. Bartolus.

A VIII. HERMOGENIANVS *lib.* I. *Iuris* ἐπιτομῶν.

Minor, etiam si quasi contumax condemnatus sit, in integrum restitutionis auxilium implorabit.

Minore restituto aduersus sententiam, intelligitur restitutus aduersus executionem, & etiam aduersus vẽditionem si magnũ damnum immineat.

IX. VLPIANVS *lib.* XI. *ad edictum.*

SI ex caussa iudicati pignora minoris capta sint, & distracta: mox restitutus sit aduersus sententiam præsidis vel procuratoris Cæsaris: videndum, an ea quæ sunt distracta, reuocari debeant. nam illud certum est, pecuniam ex caussa iudicati solutam, ei restituendam. sed si interest ipsius, corpora potius habere, puto interdũ permittendum, id est, si grande dãnum sit minoris. In dotis quoq; modo mulieri subuenietur: si vltra vires patrimonij, vel totum patrimonium circumscripta in dotem dederit.

B

Aduersus delictum dolo commissum minor non restituitur, nisi vt habeatur pro confesso vel transacto. Bartolus.

Nunc videndum, vtrum minoribus in contractibus captis duntaxat subueniatur, an etiam delinquentibus. vtputa si dolo aliquid minor fecit in re deposita, vel cõmodata, vel aliâs in cõtractu: an ei subueniatur, si nihil ad eum peruenit. Et placet in delictis minorib' nõ subueniri. nec hic itaque subuenietur. Nam & si furtum fecit, vel dãnum iniuria dedit: non subuenietur ei. Sed si cùm ex damno dato confiteri possit, ne dupli teneatur, maluit negare: in hoc solum restituendus est, vt pro cõfesso habeatur. Ergo & si potuit pro furto damnum decidere magis, quàm actionem dupli, vel quadrupli pati: ei subuenietur. si mulier, cùm culpa diuortisset, velit sibi subueniri: vel si maritus: puto restitutionem non habẽdam. est enim non modicum delictum. nam si adulterium minor commisit, ei nõn subuenitur.

C

Aduersus actum per quem status alicuius perimitur, restitutio nõ conceditur. Bartolus.

Pomponius ait: si maior annis viginti, minor autem vigin-

vigintiquinque ſe in ſeruitutem venire patiatur: nō ſolere reſtitui,& hoc meritò.quoniam res non capit reſtitutionem,cùm ſtatum mutat. Si in commiſſum incidiſſe vectigalis dicantur:erit in integrum reſtitutio. quod erit ſic accipiendum ſi non dolus ipſorum interueniat: alioquin ceſſabit reſtitutio. D

Aduerſus libertatē minor non reſtituitur niſi à principe ex cauſſa.ſed ad cætera dāna contra manumiſſum actione de dolo ſuccurritur. Bartolus.

Aduerſus libertatem minori quoque à prætore ſubueniri impoſsibile eſt:

X. PAVLVS *lib.* XI. *ad edictum.*

Niſi ex magna cauſſa hoc à principe fuerit cōſecut⁹:

XI. VLPIANVS *lib.* XI. *ad edictum.* E

Verùm de dolo vtilis actio erit in id,quod minoris interfuit,non manumitti.proinde quidquid hic haberet,ſi non manumiſiſſet,id ei nunc præſtabitur.

Aduerſus manumiſſum competunt actiones in rem pro rebus in ſeruitute diſtractis,non actiones ex delicto. Bartolus.

Sed & nomine earum rerum, quas dominicas ſeruus manumiſſus ſupprimebat: competunt aduerſus eum actiones ad exhibendum,& furti,& condictio:videlicet, quoniam & manumiſſus eas contrectabat. Cæterùm ex delicto in ſeruitute facto, domino aduerſus eum poſt libertatem actio non competit: & hoc reſcripto diui Seueri continetur. Quid ſi minor vigintiquinque annis, maior viginti,hac lege vēdiderit,vt manumittatur?ideo propoſui maiorem viginti, quoniam ſic & Scæuola ſcribit libro decimoquarto Quæſtionū.& magis eſt,vt ſententia cōſtitutionis diui Marci ad Aufidium Victorinū, hunc minorem non complectatur. quare videndum, an maiori viginti annis ſubueniatur.Et ſiquidem antè deſideret,quàm libertas cōpetat,audiatur. ſi verò poſtea:nō poſſit. Item quæri poteſt: ſi is,qui emit hac lege,minor ſit: an reſtitui poſſit? & ſiquidem libertas nondum competiit: dicēdum eſt, poſſe ei ſubueniri.ſi verò poſtea,quàm dies venit: voluntas maioris venditoris libertatem imponit. F

Aduerſus ſentētiam ipſo iure nullā minor nō reſtituitur: ſed res in priſtinum

in pristinum statum reducitur per iudicem cōpetentem. Bar.

A Ex facto quæsitum est. adolescentes quidam acceperant curatorem Saluianum quendam nomine. hic cū curam administrasset, & beneficio principis vrbicam procurationem esset adeptus: apud prætorem se à cura adolescētium excusauerat, absentibus eis. adolescētes adierant prætorem, desiderantes in integrum aduersus eum restitui, eò quod esset contra constitutiones excusatus: cùm susceptam tutelam nō alij soleant deponere, quàm qui trans mare reipublicę caussa absint, vel hi qui circa principē sunt occupati: vt in cōsiliarij Menandri Arrij persona esset indultum. Arrius Seuerus, quia dubitabat,
B ad Imperatorem Seuerum retulit. ad quam consultationem successori eius Ventidio Quieto rescripsit, nullas partes esse prætoris (neque enim contractum proponi cum minore annis vigintiquinque) sed principē interuenire, & reducere hunc ad administrationem, qui perperam esset per prætorem excusatus.

Restitutio ex hoc edicto conceditur caussa cognita. hoc est si est minor & læsus sui facilitate. secus si casu fortuito. Bartolus.

Sciendum est autem, non passim minoribus subueniri, sed caussa cognita, si capti esse proponantur. Ita non restituetur, qui sobriè rem suam administrans, occasione damni non inconsultè accidentis, sed fato: velit restitui. Nec enim euētus damni restitutionem indulget, sed
C inconsulta facilitas. & ita Pomponius libro vicesimo octauo scripsit. Vnde Marcellus apud Iulianum notat. si minor seruum sibi necessarium comparauerit, mox decesserit: non debere eum restitui. neque enim captus est, emendo sibi rem necessariam, licet mortalem. Si locupleti hæres extiterit, & subitò hæreditas lapsa sit(puta prædia fuerunt, quæ chasmate perierint, insulæ exustæ sunt, serui fugerunt aut decesserunt) Iulianus quidem libro vicesimosexto sic loquitur, quasi possit minor in integrum restitui. Marcellus autem apud Iulianum notat, cessare in integrum restitutionem. neque enim ætatis lubrico captum esse, adeundo locupletem hæreditatem: & quod fato contigit, cuiuis patrifamiliâs(quamuis diligentissimo) posse contingere. Sed hæc res adferre potest re-

teſt reſtitutionem minori: ſi adiit hæreditatem, in qua res erant multæ mortales, vel prædia vrbana ruinoſa, æs autem alienum graue: quòd non proſpexit poſſe euenire, vt demoriantur mancipia, prædia ruant: vel quòd nō citò diſtraxerit hæc, quę multis caſibus obnoxia ſunt. D

Si ſint duo priuilegiati pari priuilegio, præfertur ille qui certat de damno vitando. ſed ſi vterque certat de hoc, eſt potior cauſſa rei. ſed ſi ſint priuilegiati diſpari priuilegio, priuilegium potentioris præponitur. Bartolus.

Item quæritur: ſi minor aduerſus minorē reſtitui deſiderat, an ſit audiendus? & Pomponius ſimpliciter ſcribit, non reſtituendum. Puto autem inſpiciendum à prætore, quis captus ſit. proinde ſi ambo capti ſunt (verbi gratia, minor minori pecuniam dedit, & ille perdidit) melior eſt cauſſa ſecundum Pomponium eius, qui accepit, & dilapidauit, vel perdidit. Planè ſi minor annis cum filiofamiliâs maiore contraxerit: & Iulianus libro quarto Digeſtorum, & Marcellus libro ſecundo Digeſtorum ſcribit, poſſe in integrum reſtitui: vt magis ætatis ratio, quàm ſenatuſconſulti habeatur. E

XII. CAIVS *lib.* IIII. *ad edictum prouinciale.*

SI apud minorem mulier pro alio interceſſerit: non eſt ei actio in mulierem danda, ſed perinde atq; cæteri, per exceptionem ſubmoueri debet: ſcilicet, quia cō muni iure in priorē debitorem ei actio reſtituitur. hæc ſi ſoluendo ſit prior debitor: alioquin mulier non vtetur ſenatuſconſulti auxilio. F

Minor reſtituitur, non autem fideiuſſor. Item reſtituitur aduerſus principalem creditorem: & aduerſus fideiuſſorem actione mandati agentem. Bartolus.

XIII. VLPIANVS *lib.* XI. *ad edictum.*

IN cauſſæ cognitione verſabitur, vtrū ſoli ei ſuccurrēdum ſit: an etiam his, qui pro eo obligati ſunt, vtputa fideiuſſoribus. itaque ſi cùm ſcirem minorem, & ei fidē non haberem, tu fideiuſſeris pro eo: non eſt ęquum fideiuſſori in necem meam ſubueniri. ſed potius ipſi deneganda erit mandati actio. In ſumma perpendendum erit prætori, cui potius ſubueniat: vtrum creditori, an fideiuſſori. nam minor captus neutri tenebitur. facilius in mandatore

mandatore dicendum erit, non debere ei subueniri. hic
A enim velut adfirmator fuit & suasor, vt cum minore cõtraheretur. Vnde tractari potest, vtrum minor in integrum restitutionem aduersus creditorem, an & aduersus fideiussorem implorare debeat. & puto tutius aduersus vtrunque. Caussa autem cognita, & præsentibus aduersariis, vel si per contumaciam desint, in integrum restitutiones perpendendæ sunt.

In integrum restitutio est scripta in rem: & ideo datur in subsidium contra eum ad quem res peruenit: licet cum minore non contraxit. Bartolus.

Interdum autem restitutio & in rem datur minori, id est, aduersus rei eius possessorem, licet cum eo non sit
B contractum. vtputa rem à minore emisti, & alij vendidisti, potest desiderare interdum aduersus possessorem restitui, ne rem suam perdat, vel re sua careat: & hoc vel cognitione prætoria, vel rescissa alienatiõe, dato in rem iudicio. Pomponius quoque libro vicesimooctauo scribit Labeonem existimasse: si minor annis vigintiquinque fundum vendiderit, & tradiderit, & emptor rursus cum alienauerit: si quidem emptor sequens scit rem ita gestam: restitutionem aduersus eum faciendam: si ignorauit, & prior emptor soluendo est: non esse faciendam. Si verò non est soluendo: æquius esse, minori succurri, etiam aduersus ignoranté: quãuis bona fide emptor est.

C XIIII. PAVLVS *lib.* XI. *ad edictum.*

PLanè quàm diu is, qui à minore rem accepit, aut hæres eius, idoneus sit: nihil noui constituendum est in eum, qui rem bona fide emit: idemque & Pomponius scripsit.

XV. CAIVS *lib.* IIII. *ad edictum prouinciale.*

SEd vbi restitutio datur, posterior emptor reuerti ad auctorem suum poterit. Per plures quoque personas si emptio ambulauerit, idem iuris erit.

Auxilium extraordinariũ in subsidium introductum nõ cõcurrit cum ordinario. Bartolus.

XVI. VLPIANVS *lib.* XI. *ad edictum.*

IN caussæ cognitione etiam hoc versabitur: num fortè aliqua actio possit competere, citra in integrum restitutionem.

stitutionem. Nam si communi auxilio & mero iure munitus sit, non debet ei tribui extraordinarium auxilium: vtputa cum pupillo contractum est sine tutoris authoritate, nec locupletior factus est. Ita relatum est apud Labeonem: si minor circumscriptus societatem coierit, vel etiam donationis caussa: nullam esse societatem, ne inter maiores quidem: & ideo cessare partes prætoris. Idem & Ofilius respondit. satis enim ipso iure munitus est. Pomponius quoque refert libro vicesimooctauo: cùm quidam hæres rogatus esset, fratris filiæ complures res dare ea conditione, vt si sine liberis decessisset, restitueret eas hæredi: & hæc defuncto hærede, hæredi eius cauisset se restituturã: Aristonem putasse in integrum restituendam. Sed & illud Pomponius adiecit, quòd potuit incerti condici hæc cautio etiam à maiore. non enim ipso iure, sed per conditionem munita est. Et generaliter probandum est: vbi contractus non valet, pro certo prætorem se non debere interponere. Idem Pomponius ait: in precio emptionis & venditionis naturaliter licere contrahentibus se circumuenire†. D E

† Ne quis tamen in negociocir cũmueniat fratrẽ suũ monet Paulus.

Qui habent merum & mistum imperium, possunt in integrum restituere etiam contra suam sententiam, & minor iudex non potest restituere contra sententiam maiorum. Bartolus.

Nunc videndum, qui in integrum restituere possint. & tam prefectus vrbi, quàm alij magistratus pro iurisdictione sua restituere in integrũ possunt: tam in aliis omnibus caussis, quàm contra sententiam suam. F

XVII. HERMOGENIANVS *lib. I.* ἐπιτομῶν *Iuris.*

PRæfecti etiam prætorio ex sua sententia in integrũ possunt restituere, quamuis appellari ab iis nõ possit. Hæc idcirco tam variè. quia appellatio quidem iniquitatis sententiæ querelam: in integrum verò restitutio erroris proprij veniæ petitionem, vel aduersarij circumuentionis allegationem continet.

XVIII. VLPIANVS.

MInor autem magistratus, contra sententiam maiorum non restituet.

Aduersus

Aduersus sententiam principis non admittitur quis ad petendam
A *restitutionem in integrum: nisi ex caussa omissa allegationis vel praeuaricationis aduocati. Item solus princeps restituit aduersus suã sententiam & sui delegati.* Bartolus.

Si autem princeps sententiã dixit: perrarò solet permittere restitutionem, & induci in auditorium suũ eum, qui per infirmitatem ætatis captũ se dicat: dum ea, quæ pro caussa sunt, non dicta allegat, vel ab aduocatis præuaricatum queratur. Denique Glabrionem Atilium diuus Seuerus & Imperator Antoninus non audiuerunt, incoloratè restitui desiderantem aduersus fratrem, post speciem in auditorio eorum finitam. Rursus Pescennio Seuero contra res bis iudicatas in integrum restitui de-
B siderantí, diuus Seuerus & Imperator Antoninus permiserunt, in auditorio suo examinari. Idem Imperator Licinio Frontoni rescripsit: insolitum esse, post sententiam vice sua ex appellatione dictam, alium in integrũ restitutionem tribuere, nisi solum principem. Sed & si ab Imperatore iudex dat⁹ cognoscat: restitutio ab alio, nisi à principe, qui iudicem destinauit, non fiet. Non solùm autẽ minoribus, verũ successoribus quoq; minorum datur in integrum restitutio, & si sint ipsi maiores.

XIX. IDEM *lib.* XI. *ad edictum.*

INterdum tamen successori plus, quàm annum dabimus, vt edicto est expressum: si fortè ætas ipsius sub-
C ueniat. nam post annum vicesimumquintum habebit legitimum tempus. hoc enim ipso deceptus videtur: quod cùm posset restitui intra tempus statutũ ex persona defuncti, hoc non fecit. Planè si defunctus ad in integrum restitutionem modicum tempus ex anno vtili habuit: huius hæredi minori post annum vicesimumquintum completum, non totum statutum tempus dabimus ad in integrum restitutionem: sed id dumtaxat tempus, quod habuit is, cui hæres exstitit.

Absens ex caussa necessaria tantùm non restituitur, si potuit procuratorem dimittere. Bartolus.

XX. IDEM *lib.* XI. *ad edictum.*

PApinianus libro secundo Responsorum ait: exuli reuerso non debere prorogari tempus in integrum

reſtitutionis ſtatutum, quia abfuit: cùm potuerit adire prætorem per procuratorem. nec dixit, vel præſidem, vbi erat. Sed quod idem dicit, id indignum eſſe propter irrogatam pœnam: non rectè. quid enim commune habet delictum cum venia ætatis? Si quis tamen maior vigintiquinque annis, intra tempus reſtitutioni ſtatutum, litem cõteſtatus, poſtea deſtiterit: nihil ei proficiet ad in integrum reſtitutionem conteſtatio, vt eſt ſæpiſſimè reſcriptum. D

XXI. IDEM *lib.* X. *ad edictum.*

Ca.10.de iudic. DEſtitiſſe autem is videtur, non qui diſtulit, ſed qui liti renunciauit in totum.

Quando minor eſt reſtitutus aduerſus aditionem, geſta per eum non reſcinduntur. Item eo reſtituto aduerſus repudiationem, geſta per procuratorem non irritantur. Bartolus. E

XXII. IDEM *lib.* XI. *ad edictum.*

IN integrum verò reſtitutione poſtulata aduerſus aditionem à minore factam: ſi quid legatis expenſum eſt, vel precia eorum, qui ad libertatem aditione eius peruenerunt: à minore refundenda non ſunt. quemadmodum per contrarium, cùm minor reſtituitur ad adeundam hæreditatem, quæ antè geſta erant per curatorem bonorum, decreto prętoris ad diſtrahenda bona ſecũdum iuris formã conſtitutum: rata eſſe habenda, Calpurnio Flacco Seuerus & Antoninus reſcripſerunt.

In iis quæ minor facit vt procurator, non reſtituitur ad commodum domini. Item vbi alia actio competit contra alium, denegatur reſtitutio, niſi ille alius exiſteret non ſoluendo. Bar. F

XXIII. PAVLVS *lib.* XI. *ad edictum.*

CVm mandatu patris filiusfamiliâs res patris adminiſtrat, non habet beneficium reſtitutionis. nam & ſi alius ei mandaſſet, non ſuccurreretur: cùm eo modo potius maiori conſuleretur, cuius damno res ſit ceſſura. Sed ſi in euentu damnum minor paſſurus ſit: quia quod præſtitit, ſeruari ab eo, cuius negocia geſſit, non poteſt (quia is non erit ſoluendo) ſine dubio prætor interueniet. Si autem ipſe dominus minor ſit, procurator verò maioris ætatis: nõ poteſt facilè dominus audiri: niſi mãdatu eius geſtũ erit, nec à procuratore ſeruari res poſſit. Ergo

ſit. Ergo & ſi procuratorio nomine minor circumſcriptus ſit: imputari debet hoc domino, qui tali commiſit
A ſua negocia: idq́ue & Marcello placet.

Si minor aliena negocia geſſerit abſque mandato, poteſt reſtitui: aliàs ſibi actio denegatur: niſi in integrum reſtitutionem cedere ſit paratus. Bartolus.

XXIIII. IDEM *lib.* I. *Sententiarum.*

QVòd ſi minor ſua ſponte negociis maioris interuenerit: reſtituẽdus erit, ne maiori damnum accidat. Quòd ſi hoc facere recuſauerit: tunc ſi cõuentus fuerit NEGOCIORVM GESTORVM, aduerſus hanc actionem non reſtituitur: ſed compellendus eſt, ſic cedere auxilio in integrum reſtitutionis, vt pro-
B curatorem eum in rem ſuam faciat: vt poſſit per hunc modum, damnum ſibi propter minorem contingens reſarcire. Non ſemper autem ea, quæ cum minoribus geruntur, reſcindenda ſunt, ſed ad bonum & æquum redigenda: ne magno incommodo huius ætatis homines adficiantur, & nemine cum his contrahente, quodammodo commercio eis interdicatur. Itaque niſi aut manifeſta circũſcriptio ſit, aut tam negligenter in ea cauſſa ſint verſati, prætor interponere ſe non debet. Scæuola noſter aiebat: ſi quis iuuenili leuitate ductus, omiſerit vel repudiauerit hæreditatem, vel bonorum poſſeſſionem: ſi quidem omnia integra ſint, omnimodo au-
C diendum eſſe. ſi verò iam diſtracta hæreditate, & negociis finitis, ad paratam pecuniam laborib⁹ ſubſtituti veniat: repellendum. multoq́ue parcius ex hac cauſſa hæredem minoris reſtituendum eſſe.

In integrum reſtitutio datur contra patrem vel dominum cum adiectione de peculio, vel de in rem verſo. Item ex dolo datur noxalis. Bartolus.

Si ſeruus vel filiusfamiliâs minorem circumſcripſerit: pater dominúsve, quod ad eum peruenit, reſtituere iubendus eſt. quòd ſi non peruenit: ex peculio eorum præſtare. ſi ex neutro ſatisfiet, & dolus ſerui interuenerit: aut verberibus caſtigandus, aut noxæ dedendus erit. ſed ſi filiusfamiliâs hoc fecerit: ob dolum ſuum cõdemnabitur.

Per restitutionem omnia reponuntur in pristinum statum: praeter ea de quibus minor laederetur. Bartolus. D

Restitutio autem ita facienda est, vt vnusquisque integrum ius suum recipiat. Itaque si in vendendo fundo circumscriptus restituetur: iubebit prætor emptorem fundum cum fructibus reddere, & precium recipere: nisi si tunc dederit, cùm eum perditurum non ignoraret: sicuti facit in ea pecunia, quæ ei consumpturo crederetur. Sed parcius in venditione: quia æs alienum ei soluitur, quod facere necesse est: credere autem, nō est necesse. Nam & si origo contractus ita constitit, vt infirmā da sit: si tamen necesse fuit precium solui, non omnimodo emptor damno adficiendus est.

Hæc restitutio petitur per officiū iudicis, non iure actionis. Bar. E

Ex hoc edicto nulla propria actio vel cautio proficiscitur. Totum enim dependet ex prætoris cognitione.

XXV. CAIVS *lib.* IIII. *ad edictum prouinciale.*

ILlud nullam habet dubitationem, quin si minor non debitum soluerit ex ea caussa, ex qua iure ciuili repetitio non est danda, sit ei vtilis actio ad repetendum: cū & maioribus vigintiquinque annis iustis ex caussis dari soleat repetitio.

Restitutionem debet quis petere per se vel per alium procuratorem habentem speciale mandatum: de quo si dubitetur, cum cautione de rato admittitur. Bartolus.

Si talis interueniat iuuenis, cui pręstanda sit restitutio: ipso postulante præstari debet, aut procuratori eius, cui idipsum nominatim mandatum sit. qui verò generale mandatum de vniuersis negociis gerendis alleget, non debet audiri. F

XXVI. PAVLVS *lib.* XI. *ad edictum.*

QVòd si de speciali mādato dubitetur, cū restitutio postulat̄: īterposita stipulatiōe, RATAM REM DOMINVM HABITVRVM, rei poterit mederi. Quòd si is, qui circūscripsisse dicēt, absit: defensor eius satis IVDICATVM SOLVI dare debebit.

In casibus in quibus requiritur speciale mādatum coniūcta persona admittitur si prætendit propriū interesse: aliàs secus. Bar.

XXVII. CAIVS *lib.* IIII. *ad edictum prouinciale.*

Patri

A Patri pro filio omnimodo præstanda restitutio est, licet filius restitui nolit: quia patris periculum agitur, qui de peculio tenetur. Ex quo apparet, cæteros cognatos vel adfines alterius esse conditionis: nec aliter audiri oportere, quàm si ex voluntate adolescentis postulent: aut eius vitæ sit iste adolescens, vt meritò etiam bonis ei interdici debeat.

Minor aduersus creditorem qui mutuauit restituitur si pecuniam dißipauit: vel ex ea debitorem non idoneum acquisiuit: vel prædium emerit precio cariori: quo casu restituet minori quatenus est locupletior. Bartolus.

Si pecuniam, quã mutuam minor accepit, dissipauit: denegare debet procõsul creditori aduersus eum actionem.

B Quòd si egenti minor eam credidit: vlterius procedendum non est, quàm vt iubeatur iuuenis actionibus suis, quas habet aduersus eũ, cui ipse credidisset, cedere creditori suo. Prædium quoque, si ex ea pecunia pluris, quàm oportet, emerit: ita temperanda res erit, vt iubeatur venditor reddito precio recipere prædium: ita vt sine alterius damno etiam creditor à iuuene suum consequatur. Ex quo scilicet simul intelligimus, quid obseruari oporteat, si sua pecunia pluris, quàm oportet, emerit. vt tamẽ hoc & superiore casu venditor, qui precium reddidit: etiam vsuras, quas ex ea pecunia percepit, aut percipere potuit, reddat: & fructus, quibus locupletior

C est factus iuuenis, recipiat. Itẽ ex diuerso, si minore precio, quàm oportuit, vendiderit adolescens: emptor quidem iuberi debebit, prædia cum fructibus restituere: iuuenis autem eatenus ex precio reddere, quatenus ex ea pecunia locupletior est.

Minori restituitur actio contra ipsum creditorem & fideiussorem & correos, si aliquem liberauit acceptilatione. Bartolus.

Si minor annis vigintiquinque sine caussa debitori acceptum tulerit: non solum in ipsum, sed & in fideiussorem, & in pignora actio restitui debet. Et si ex duobus reis alteri acceptum tulerit, in vtrumque restituenda est actio. Ex hoc intelligimus, si dãnosam sibi nouationem fecerit (fortè si ab idoneo debitore ad inopem nouandi caussa transtulerit obligationem) oportere eum in prio-

rem debitorem restitui. Aduersus eos quoque restitutio præstanda est, quorum de dolo agere non permittitur: nisi si quædam personæ speciali lege exceptæ sint, vt pater & patronus. D

Restituta actione tutelæ, non restituitur contraria. Bartolus.

XXVIII. CELSVS *lib. II. Digestorum.*

CVm minor, quàm quinque & viginti annorum, aduersus eum, cum quo tutelæ egit, restituitur: non ideo tutori contrarium tutelæ iudicium restituendum est.

Etiã vbi interuenit patris authoritas, minor restituitur. Bartolus.

XXIX. MODESTINVS *lib. II. Responsorum.*

ETiam si patre, eodémque tutore authore, pupillus captus probari possit: curatorem postea ei datum, nomine ipsius in integrum restitutionem postulare, non prohiberi. E

Si per restitutionem vnum capitulum sententiæ rescinditur, cætera firma remanent, si illi non sunt connexa. aliàs secus. Bartolus.

Ex caussa curationis condemnata pupilla, aduersus vnum caput sententiæ restitui volebat: quia videbatur in cæteris litis speciebus releuata fuisse. actor maior ætate, qui adquieuit tunc temporis sẽtẽtiæ, dicebat: totam debere litem restaurari Herennius Modestinus respondit. si species, in qua pupilla in integrum restitui desiderat, cæteris speciebus non cohæret: nihil proponi, cur à tota sententia recedi actor postulans, audiendus sit. F

Restitutio concessa non citatis iis quorum interest, in eorũ præiudicium nil valet. Bartolus.

Si hæreditate patris, ætatis beneficio in integrum restitutus abstinuit, nemine de creditoribus paternis præsente, vel ad agendum à præside euocato: an ea restitutio rectè facta videatur, quæritur? Herennius Modestinus respondit. cùm non euocatis creditoribus, in integrum restitutionis decretum interpositum proponatur: minimè id creditoribus præiudicasse.

Per vnũ actum contrarium quis videtur renũciare in integrum restitutioni. Item ille actus qui tolleret illud ad quod petitur restitutio, tollit restitutionem. Bartolus.

XXX. PAPINIANVS *lib. III. Quæstionum.*

Si filius

A SI filius emancipatus non accepta contra tabulas possessione, post inchoatam restitutionis quæstionem, legatum ex testamento patris maior vigintiquinque annis petisset: liti renunciasse videtur: cùm & si bonorum possessionis tempus largiretur, electo iudicio defuncti, repudiatum beneficium prætoris existimaretur.

Minore restituto aduersus aditionem hæreditatis libertates datæ & solutiones creditoribus factæ non rescindũtur. Bartolus.

XXXI. IDEM *lib.* IX. *Responsorum.*

SI mulier postquam hæres exstitit, propter ætatẽ abstinendi caussa in integrum restituta fuerit: seruos hęreditarios ex fideicommisso ab ea rectè manumissos, retinere libertatem respondi. Nec erunt cogendi viginti B aureos pro libertate retinenda dependere, quam iure optimo consecuti videntur. Nam & si quidam ex creditoribus pecuniam suam ante restitutionem ab ea recuperassent: cæterorum querela contra eos, qui acceperunt, vt pecunia communicetur, non admittetur.

Aetas ex aspectu iudicis probatur: & pronũciatio ex aspectu nõ prodest eis qui sciebant contrarium: sed ignorantes & pronunciationi adquiescentes excusat. Bartolus.

XXXII. PAVLVS *lib.* I. *Quæstionum.*

MInor vigintiquinque annis, adito præside, ex adspectu corporis falso probauit perfectam ętatem, curatores cùm intellexissent esse minorem, perseuerauec runt in administratione. medio tempore post probatam ætatem, ante impletum vigesimum quintum annum, solutæ sunt adolescenti pecuniæ debitæ, eásque malè consumpsit. quæro, cuius sit periculum? Et quid si curatores quoque eo modo in eodem errore perseuerassent, curationem etiam restituissent? an periculum temporis, quod post probatam ætatem intercessit, ad eos pertineat? Respondi. hi, qui debita exsoluerũt, liberati iure ipso, non debent iterum conueniri. Planè curatores, qui scientes eum minorem esse, perseuerauerunt in eodẽ officio: non debuerunt eum pati accipere pecunias debitas, & debebunt hoc nomine cõueniri. Quòd si & ipsi decreto prędidis crediderunt, & administrare cessauerunt, vel etiam rationem reddiderunt: similes sunt cęteris debitoribus, ideóque

ideóque non conueniuntur.

Minori per restitutionem remittitur onus manumissionis, si est paratus restituere legatum quod accepit. Bartolus. D

XXXIII. ABVRNIVS VALENS. *lib.* V. *Fideicommissorum.*

SI minor vigintiquinque annis seruum suum, qui pluris est, quàm in testamento ei legatum sit, manumittere rogatus fuerit, & legatum acceperit: non cogendum libertatem præstare, si legatum reddere paratus sit, Iulianus respondit. Vt quemadmodum maioribus liberum sit, non accipere, si nolunt manumittere: sic huic reddenti legatum, necessitas manumittendi remittatur.

Inter duos minores melior est conditio conuenti si vterque certat de damno vitãdo: si alter certat secus de lucro. Bartolus. E

XXXIIII. PAVLVS *lib.* I. *Sententiarum.*

SI minor vigintiquinq; annis filiofamiliâs minori pecuniam credidit, melior est caussa consumentis: nisi locupletior in hoc inueniatur litis contestatæ tempore, qui accepit. Minores si in iudicem compromiserunt: licet tutore authore stipulati sunt: integri restitutionem aduersus talem obligationem iure desiderant.

Propter interesse affectionis minor restituitur. Bartolus.

XXXV. HERMOGENIANVS *lib.* I. ἐπιτομῶν.

SI in emptionem penes se collocatã, minor adiectione ab alio superetur: implorans in integrum restitutionem audietur, si eius interesse emptam ab eo rem fuisse, adprobetur: veluti, quod maiorũ eius fuisset. ita tamẽ vt id quod ex licitatione accessit, ipse offerat venditori. F

Minor restituitur vt omissam allegationem seu probationem iterum inducat. Bartolus.

XXXVI. PAVLVS *lib.* V. *Sententiarum.*

MInor vigintiquinque annis omissam allegationem, per in integrum restitutionis auxilium repetere potest.

In actionibus competẽtibus ad vindictam cessat in integrum restitutio. Item aduersus dolum præsumptum in futurum minor nõ restituitur. Item nec aduersus verum dolum præteritum, n: si pœna minuatur. Bartolus.

XXXVII. TRIPHONINVS *lib.* III. *Disputationum.*

Auxilium

A AVxilium in integrum restitutionis in exemptionibus pœnarum paratum non est. Ideóque iniuriarum iudiciũ semel omissum, repeti nõ potest: & in sexaginta diebus præteritis, in quib⁹ iure mariti sine calũnia vir accusare mulierẽ adulterij potest, denegatˢ ei in integrũ restitutio. quia ius omissum si nunc repetere vult, quid aliud quàm delicti veniam, id est calumniæ deprecatur? & cùm neque in delictis, nec calũniatoribus prætorem succurrere oportere, certi iuris sit: cessabit in integrum restitutio. In delictis autem minor annis viginti quinque non meretur in integrum restitutionem (vtique in atrocioribus) nisi quatenus interdum miseratio ætatis ad mediocrem pœnam iudicem produxerit. Sed

B (vt ad legis Iuliæ de adulteriis coërcendis præcepta veniamus) vtique nulla deprecatio adulterij pœnæ est, si se minor annis adulterium fateatur commisisse. sed nec si quid eorum commiserit, quę pro adulterio eadem lex punit: velut si adulterij damnatam sciens, vxorem duxerit, aut in adulterio deprehẽsam vxorem non dimiserit, quæstúmve de adulterio vxoris fecerit, preciúmve pro comperto stupro acceperit, aut domum præbuerit ad id stuprum adulteriúmve in eam committendum. & non fit ætatis excusatio aduersus præcepta legũ ei, qui dum leges inuocat, contra eas committit.

C *Si præscriptio conuentionalis incipiat cum defuncto maiore, & finiat cum minore, currit sine spe restitutionis: nisi cum minore aliquid gestum fuerit vel aliquid interueniat: ex quo etiam maior restitueretur. Bartolus.*

XXXVIII. PAVLVS *lib. 1. Decretorum.*

AEmylius Larianus ab Ouinio fundum Puteolanum lege commissoria emerat, data parte pecuniæ: ita vt si intra duos menses ab emptione reliqui precij partem dimidiam non soluisset, inemptus esset. item si intra alios duos mẽses reliquum precium non numerasset, similiter esset inemptus. intra priores duos mẽses Lariano defuncto, Rutiliana pupillaris ætatis successerat, cuius tutores in solutione cessauerunt. venditor denũciationibus tutoribus sæpe datis, post annum eandẽ possessionẽ Claudio Telemacho vẽdiderat. pupilla in integrũ restitui

restitui desiderabat. victa tam apud prætorem, quàm apud præfectum vrbi prouocauerat. Putabam bene iudicatum: quòd pater eius, non ipsa contraxerat. Imperator autem motus est, quòd dies committendi in tempus pupillæ incidisset: eaque effecisset, ne pareretur legi venditionis. Dicebam, magis posse eam ea ratione restitui: quòd venditor denunciando post diem, quo placuerat esse commissum, & precium petēdo, recessisse à lege sua videretur. nec me mouere, quòd dies postea transisset: non magis, quàm si creditor pignus distraxisset post mortem debitoris, die solutionis finita. Quia tamen lex cōmissoria displicebat ei: pronunciauit in integrum restituendam. Mouit & illud Imperatorem quòd priores tutores, qui non restitui desiderassent, suspecti pronūciati erant. Id quod dicitur, non solere filiisfamiliârum post emancipationem adhuc minoribus succurri in his, quæ omisissent manentes in potestate: tūc rectè dicitur, cùm patri adquirere possunt. D E

Ab interlocutoria quæ quasi totam causam dirimit, & in aliis præiudicium parat, potest appellari: & pendente appellatione ab interlocutoria iudicis officium conquiescit super principali: & tempus in ea non currit. Item si appellans ab interlocutoria succumbat, caussa redit ad primum iudicem. Bart.

XXXIX. SCAEVOLA *lib.* II. *Digestorum.*

INtra vtile tempus restitutionis apud præsidem petierunt in integrum restitutionem minores, de ætate sua probauerunt. dicta pro ætate sententia, aduersarij, vt impedirent cognitionem præsidis, appellauerunt ad Imperatorem. præses in euentum appellationis cætera cognitionis distulit. Quæsitum est: si finita appellationis apud Imperatorem cognitiōe, & iniusta appellatione pronunciata, egressi ætatem deprehendantur: an cætera negocia implere possint, cùm per eos non steterit, quò minus res finem accipiat? Respondi: secundum ea, quæ proponerentur, perinde cognosci, atque si nunc intra ætatem essent. F

Si minor omittit auxilium ordinarium contra curatores seu administratores: & intentat extraordinarium contra possessores: tenetur restituere omnes expensas possessoribus. Bar.

Venden-

Vendentibus curatoribus minoris fundum, emptor
A exſtitit Lucius Titius:& ſex ferè annis poſſedit,ac longè lateq́ue rem meliorem fecit.Quæro, cùm ſint idonei curatores: an minor aduerſus Titium emptorem in integrum reſtitui poſſit?Reſpondi.ex omnibus, quæ proponerentur,vix eum eſſe reſtituendum: niſi maluerit omnes impenſas,quas bona fide emptor feciſſe adprobauerit,ei præſtare:maximè cùm ſit ei paratum auxilium, curatoribus eius idoneis conſtitutis.

Stipulatio per quam nouatur actio iudicati, non habet paratam executionem:& ad hoc minor poteſt reſtitui. Bart.

XL. VLPIANVS *lib.* VI. *Opinionum.*

MInor annis vigintiquinque, cui fideicommiſſum
B ſolui pronunciatum erat,cauerat id ſe accepiſſe:& cautionem eidem debitor quaſi creditæ pecuniæ, fecerat.in integrum reſtitui poteſt:quia partam ex cauſſa iudicati perſecutionem, nouo contractu ad initium alterius petitionis redegerat.

Vſuræ ab vno debitæ cum fructibus perceptis ab aliis compenſantur.

Prædia patris ſui minor annis vigintiquinque ob debita rationis tutelæ aliorum, quam pater adminiſtrauerat,inſolutum inconſultè dedit. ad ſuam æquitatem per in integrum reſtitutionem reuocanda res eſt: vſuris pecuniæ,quam conſtiterit ex tutela deberi,reputatis:& cum
C quantitate fructuum perceptorum compenſatis.

Beneficio mihi cõpetente ex perſona tua non vtor te inuito. Bar.

XLI. IVLIANVS *lib.* XXV. *Digeſtorum.*

SI iudex circumuento in venditione adoleſcenti,iuſſit fundum reſtitui, eumq́ue precium emptori reddere:& hic nolit vti hac in integrum reſtitutione, pœnitentia acta: exceptionem vtilem aduerſus petentem precium, quaſi ex cauſſa iudicati adoleſcens habere poterit:quia vnicuique licet contemnere hæc, quæ pro ſe introducta ſunt.nec queri poterit venditor, ſi reſtitutus fuerit in eandem cauſſam, in quam ſe ipſe conſtituerat: & quam mutare non potuiſſet, ſi minor auxilium prætoris non imploraſſet.

Iudex poteſt reſtituere contra ſententiam ſuam vel prædeceſſoris ſui.

sui.Bartolus.

XLII. VLPIANVS *lib.II.de offic.proconsulis.* D

PRæses prouinciæ minorem in integrum restituere potest,etiam contra suam,vel decessoris sui sententiam.quod enim appellatio maioribus interposita præstat,hoc beneficio ætatis consequuntur minores.

Ea quæ pariunt magnum præiudicium, sunt cum plena caussæ cognitione tractanda.Bart.

XLIII. MACER *lib.I.de officio præsidis.*

DE ætate eius, qui se maiorem annis vigintiquinq; dicit,caussa cognita probandum est:quia per eam probationem in integrum restitutioni eiusdem adolescentis in aliis caussis præiudicatur.

Minores restituuntur cum læduntur.aliàs secus.Bart. E

XLIIII. VLPIANVS *lib.V.Opinionum.*

NOn omnia, quæ minores vigintiquinque annis gerunt, irrita sunt:sed ea tantùm, quæ caussa cognita eiusmodi deprehensa sunt:vt ab aliis circumuenti, vel sua facilitate decepti,aut quod habuerũt,amiserint: aut quod adquirere emolumentum potuerunt, omiserint: aut oneri,quod non suscipere licuit,se obligauerint.

Aduersus præscriptionem completam dum quis erat in vtero restituitur.Bart.

XLV. CALLISTRATVS *lib.I.edicti monitorii.*

ETiam ei,qui prius, quàm nasceretur, vsucaptum amisit:restituendam actionem, Labeo scribit. Imperator Titus Antoninus rescripsit:eum,qui fraude tutoris aduersarium suum diceret absolutum, & agere cũ eo ex integro vellet:licentiam habere prius cum tutore agere. F

In integrum restitutio non transit ad defensorem sine mandato.

XLVI. PAVLVS *lib.II.Responsorum.*

EVm,qui ex sua voluntate minorem annis in iudicio defendit,& condemnatus est:ex caussa iudicati posse conueniri:nec eius, quem defendit, ætatem ad restitutionem impetrandam ei prodesse: cùm caussam iudicati recusare non possit.Ex quo apparet:nec eum,cuius nomine cõdemnatus est, auxilium restitutionis propter eam sententiam implorare posse.

Denunciatio

Denunciatio eius qui non habet ius denunciandi, non constituit
A *aliquem bonæ fidei. Item cõtra bonæ fidei cõtractum minor restituitur. Bart.*

XLVII. SCAEVOLA *lib. I. Responsorum.*

TVtor vrgentibus creditoribus, rem pupillarem bona fide védidit, denunciante tamen matre emptoribus. quæro, cùm vrgentibus creditoribus distracta sit, nec de sordibus tutoris meritò quidpiam dici possit: an pupillus in integrum restitui potest? Respondi. cognita caussa æstimandum: nec idcirco, si iustum sit restitui, denegandum id auxilium, quòd tutor delicto caret.

Si per restitutionem à parte contractus receditur, potest ille con-
B *tra quem agitur à toto recedere. Bar.*

Curator adolescentium prædia communia sibi & his, quorum curam administrauerat, vendidit. Quæro, si decreto prætoris adolescentes in integrum restituti fuerint, an eatenus venditio rescindenda sit, quatenus adolescentium pro parte fundus communis fuit? Respondi, eatenus rescindi: nisi si emptor à toto contractu velit discedi, quòd partem empturus non esset. Itẽ quæro: vtrũ emptor à Seio & Sempronio adolescentibus preciũ cũ vsuris recipere deberet, an verò ab hærede curatoris? Respondi, hæredem quidem curatoris teneri: verùm & in Seium, & Sempronium pro parte, qua eorum fundus fuit, actiones dandas. vtique si ad eos accepta pecunia
C pro eadem parte peruenisset.

Restituto fideiussore non videtur restitutus principalis. Bart.

XLVIII. PAVLVS *lib. I. Sententiarum.*

MInor se in id, quod fideiussit vel mandauit, in integrum restituendo: reum principalem non liberat.

Minor ancillam vendidit. si eam emptor manumiserit, ob hoc in integrum restitui non poterit: sed aduersus emptorem, quanti sua interest, actionem habebit.

Mulier minor vigintiquinque annis, si pactione dotis deterior conditio eius fiat: & tale pactũ inierit, quod nunquam maioris ætatis constituta pacisceretur, atque ideo reuocare velit: audienda est.

Aduersus venditionem validam minor restituitur. Bart.

XLIX. VLPIANVS *lib. XXV. ad edictum.*

Si res

SI res pupillaris vel adoleſcentis diſtracta fuerit, quā lex diſtrahi non prohibet: venditio quidem valet, D
veruntamen ſi grande damnum pupilli vel adoleſcentis verſatur (etiam ſi colluſio non interceſſit) diſtractio per in integrum reſtitutionem reuocatur.

Minore reſtituto reſtituitur actio in priſtinum debitorē in eo ſtatu in quo erat tempore nouationis.

I. POMPONIVS *lib.* I X. ἐπιςολῶν.

IVnius Diophātus Pomponio ſuo ſalutem. Minor viginti quinque annis nouādi animo interceſſit pro eo, qui temporali actione tenebatur, tūc cùm adhuc ſupererant decem dies: & poſtea in integrum reſtitutus eſt. vtrum reſtitutio, quæ creditori aduerſus priorem debitorem datur, decem dierum ſit, an plenior? Ego didici: E
ex tempore in integrum reſtitutionis tantundem temporis præſtandum, quātum ſupererat. tu quid de eo putas, velim reſcribas. Reſpondit. ſine dubio, quòd de temporali actione, in qua interceſſit minor, ſenſiſti: puto veri° eſſe. ideoq́ue & pignus, quod dederat prior debitor, manet obligatum.

DE CAPITE MINVTIS.

Tit. V.

CAIVS *lib.* IIII. *ad edictum prouinciale.*

Capitis deminutio eſt ſtatus mutatio.

II. VLPIANVS *lib.* X I. *ad edictum.* F

PErtinet hoc edictum ad eas capitis deminutiones, quæ ſalua ciuitate contingūt. cæterùm ſiue amiſſione ciuitatis, ſiue libertatis cōtingat capitis deminutio: ceſſabit edictum, neque poſſunt hi penitus conueniri. dabitur planè actio in eos, ad quos bona eorum peruenerunt. Ait prætor. QVI QVAE'VE POSTEA, QVÀM QVID CVM HIS ACTVM CONTRACTV'MVE SIT, CAPITE MINVTI MINVTAE'VE ESSE DICENTVR: IN EOS EA'SVE PERINDE, QVASI ID FACTVM NON SIT, IVDICIVM DABO.

Hi qui capite minuuntur: ex iis cauſſis, quæ capitis deminutionē pręceſſerunt, manēt obligati naturaliter. cæterùm

terùm si postea: imputare quis sibi debebit, cur contraxerit, quantum ad verba huius edicti pertinet. Sed
A interdum si contrahatur cum his post capitis deminutionem, danda est actio. Et quidem si adrogatus sit, nullus labor est. nã perinde obligatur, vt filiusfamiliâs. Nemo delictis exuitur, quãuis capite minutus sit. Ei, qui debitorem suum adrogauit, nõ restituitur in eum actio, postquàm sui iuris fiat. Hoc iudicium perpetuum est, & in hæredes, & hæredibus datur.

III. PAVLVS *lib.* XI. *ad edictum.*

Liberos, qui adrogatum parentem sequuntur, placet minui capite: cùm in aliena potestate sunt, & familiã mutauerunt. Emancipato filio, & cæteris personis ca-
B pitis deminutio manifestè accidit: cùm emancipari nemo possit, nisi in imaginariam seruilem caussam deductus. Aliter atque cùm seruus manumittitur: quia seruile caput nullum ius habet, ideoque nec minui potest.

IIII. MODESTINVS *lib.* X. πανδεκτῶν.

EO die enim incipit statum habere.

V. PAVLVS *lib.* XI. *ad edictum.*

AMissione ciuitatis fit capitis deminutio, vt in aquæ & ignis interdictione. Qui deficiunt, capite minuuntur. deficere autem dicuntur, qui ab his, quorũ sub imperio sunt, desistunt, & in hostium se numerum conferunt. sed & ij, quos senatus hostes iudicauit, lege lata:
C vtique vsque adeo, vt ciuitatem amittãt. Nunc respiciendum, quæ capitis deminutione iura pereant: & primò de ea capitis deminutione, quæ salua ciuitate accidit, per quam publica iura non interuerti constat. nã manere magistratum, vel senatorem, vel iudicem certũ est.

VI. VLPIANVS *lib.* I. *ad Sabinum.*

NAm & cætera officia, quæ publica sunt, in eo nõ finiuntur. Capitis enim deminutio priuati hominis & familiæ eius iura, non ciuitatis amittit.

Quod alicui sub nomine appellatiuo conceditur, illo perempto perit concessio: aliàs secus. Item capitis deminutione nomina iuris pereunt, non nomina naturalia. Bart.

VII. PAVLVS *lib.* XI *ad edictum.*

TVtelas etiam non amittit capitis minutio: exceptis

r his,

his, quæ in iure alieno personis positis deferuntur. Igitur testamento dati vel ex lege, vel ex senatusconsulto, erũt nihilominus tutores: licet legitimæ tutelæ ex duodecim tabulis interuertantur eadem ratione, qua & hæreditates exinde legitimæ, quæ adgnatis deferunt. quia desinunt esse, familia mutata. Ex nouis autem legibus & hæreditates & tutelæ plerunque sic deferuntur, vt personæ naturaliter designentur: vt ecce deferunt hæreditatem senatusconsulta matri & filio. Iniuriarum & actionum ex delicto venientium obligationes cũ capite ambulant. Si libertate adempta, capitis deminutio subsecuta sit, nulli restitutioni aduersus seruum locus est: quia nec prætoria iurisdictione ita seruus obligatur, vt cum eo actio sit. sed vtilis actio aduersus dominum danda est, vt Iulianus scribit: & nisi insolidum defendatur, permittendum mihi est in bona, quę habuit, mitti. Item cùm ciuitas amissa est: nulla restitutionis æquitas est aduersus eum, qui amissis bonis, & ciuitate relicta, nudus exulat. D E

Obligationes quæ caussam naturalem respiciũt, capitis deminutione non pereunt. & loquitur ista lex de obligationibus actiuè cõpetentibus iis qui capite minuuntur. Bar.

VIII. CAIVS *lib.* IIII. *ad edictum prouinciale.*

EAs obligationes, quæ naturalem præstationem habere intelligũtur, palam est capitis deminutione nõ perire: quia ciuilis ratio naturalia iura corrumpere non potest. Itaque de dote actio (quia in bonum & æquum concepta est) nihilominus durat, etiam post capitis deminutionem. F

IX. PAVLVS *lib.* XI. *ad edictum.*

ET quandoque emancipata aget.

X. MODESTINVS *lib.* VIII. *Differentiarũ.*

LEgatum in annos singulos vel menses relictum, vel si habitatio legetur: morte quidem legatarij legatũ intercidit, capitis deminutione tamen interueniẽte perseuerat: videlicet quia tale legatũ in facto potius, quàm in iure consistit.

XI. PAVLVS *lib.* II. *ad Sabinum.*

CApitis deminutionis tria genera sunt: maxima, media,

dia,minima.tria enim ſunt,quæ habemus:libertatem, ci
A uitatem,familiam.Igitur cùm hęc omnia amittimus,hoc
eſt libertatem,& ciuitatem, & familiam : maximam eſſe
capitis deminutionem.Cùm verò amittimus ciuitatem,
& libertatem retinemus : mediam eſſe capitis deminu-
tionem. Cùm autem & libertas & ciuitas retinetur , fa-
milia tantùm mutatur:minimam eſſe capitis deminutio-
nem conſtat.

EX QVIBVS CAVSSIS MA- *iores in integrum reſtituantur.* Tit. VI.

VLPIANVS *lib.* XII. *ad edictum.*

HVius edicti cauſſam nemo non iuſtiſſimam
B eſſe confitebitur. læſum enim ius per id tē-
pus,quo quis reipublicæ operam dabat, vel
aduerſo caſu laborabat, corrigitur: necnon
& aduerſus eos,qui vel abſentes reipublicę
cauſſa fuerant,vel apud hoſtes detenti, ſuccurritur : ne
vel obſit,vel proſit,quod euenit. Verba autem edicti
talia ſunt. SI CVIVS QVID DE BONIS,
CVM IS METV, AVT SINE DOLO REIPV-
BLICAE CAVSSA ABESSET: SIVE IN
VINCVLIS, SERVITVTE, HOSTIVMVE
POTESTATE ESSET: POSTEAVE CVIVS
ACTIONIS EORVM CVI DIES EXISSE
C DICETVR. ITEM SI QVIS QVID VSV
FECISSE SVVM, AVT QVOD NON VTEN-
DO AMISSVM SIT, CONSECVTVS ESSE,
ACTIONEVE QVA SOLVTVS OB ID QVOD
DIES EIVS EXIERIT, CVM ABSENS NON
DEFENDERETVR, INVE VINCVLIS ES-
SET, SECVMVE AGENDI POTESTATEM
NON FACERET: AVT CVM EVM INVI-
TVM IN IVS VOCARE NON LICERET,
NEQVE DEFENDERETVR: SIVE CVI
PER MAGISTRATVS FACTVM SINE DO-
LO MALO IPSIVS ACTIO EXEMPTA ES-
SE DICETVR. EARVM RERVM ACTIO-
NEM INTRA ANNVM, QVO PRIMVM DE

EA RE EXPERIVNDI POTESTAS ERIT: ITEM SI QVA ALIA MIHI IVSTA CAVSSA ESSE VIDEBITVR, IN INTEGRVM RESTITVAM. QVOD EIVS PER LEGES, PLEBISCITA, SENATVSCONSVLTA, EDICTA, DECRETA PRINCIPVM LICEBIT. D

II. CALLISTRATVS *lib. II. edicti monitorii.*

HOc edictum, quod ad eos pertinet, qui eo continẽtur, minus in vſu frequentatur. Huiuſmodi enim perſonis extra ordinem ius dicitur ex ſenatuſconſultis & principalibus cõſtitutionibus. Hoc autem capite adiuuantur in primis hi, qui metus cauſſa abfuiſſent: ſcilicet ſi non ſuperuacuo timore deterriti abfuiſſent.

III. VLPIANVS *lib. XII. ad edictum.* E

MEtus autem cauſſa abeſſe videtur, qui iuſto timore mortis, vel cruciatu corporis conterritus, abeſt: & hoc ex affectu eius intelligitur. Sed nõ ſufficit quolibet terrore adductum timuiſſe, ſed huius rei diſquiſitio iudicis eſt.

IIII. CALLISTRATVS *lib. II. edicti monitorii.*

ITem hi, qui reipublicæ cauſſa ſine dolo malo abfuiſſent. Dolum malum eò pertinere accepi: vt qui reuerti poſſet, neque reuerteretur: in eo, quod per id tempus aduerſus eum factum eſſet, non adiuuetur. Veluti ſi alterius grandis cõmodi captandi gratia id egerit, vt reipublicæ cauſſa abeſſet, reuocetur ab iſto priuilegio. F

V. VLPIANVS *lib. XII. ad edictum.*

SEd & qui data opera & ſine lucro hoc adfectauit, vel qui maturius profect⁹ eſt, vel litis gratia cœpit reipublicæ cauſſa abeſſe. Sed hæc adiectio doli mali ad reipublicæ cauſſa abſentes refertur, nõ ad eum qui metus cauſſa: quoniã nullus metus eſt, ſi dolus intercedit. Sed qui Romæ reipublicæ operã dant, reipublicæ cauſſa non abſunt.

VI. PAVLVS *lib. XII. ad edictum.*

VT ſunt Magiſtratus.

VII. VLPIANVS *lib. XII. ad edictum.*

MIlites planè qui Romæ militant, pro reipublicæ cauſſa abſentibus habentur.

VIII. PAVLVS *lib.* II. *breuis edicti.*

A Legatis quoque municipiorum succurritur ex principum Marci & Commodi constitutione.

IX. CALLISTRATVS *lib.* II. *edicti monitorii.*

Svccurritur etiam ei, qui in vinculis fuisset. quod nō solùm ad eū pertinet, qui publica custodia coërcet: sed ad eū quoq;, qui à latronibus, aut prædonibus, vel potentioribus vi oppressus, vinculis coërceatur. vincu-lorū autē appellatio latius accipitur. nā etiam inclusos (veluti latumiis) vinctorū numero haberi placet: quia nihil intersit, parietibus, an cōpedibus teneatur. Custodiam autem solam publicam accipi Labeo putat.

X. VLPIANVS *lib.* XII. *ad edictum.*

B In eadem caussa sunt, & qui à militibus, statoribusq́;, vel à municipalibus ministeriis adseruantur: si probentur rei suæ superesse nō potuisse. In vinculis autem etiam eos accipimus, qui ita alligati sunt, vt sine dedecore non possint in publico apparere.

XI. CALLISTRATVS *lib.* II. *edicti monitorii.*

Ei quoq; succurritur, qui in seruitute fuerit: siue bona fide seruiat homo liber, siue detentus.

XII. VLPIANVS *lib.* XII. *ad edictum.*

Is autem, qui de statu suo litigat: ex quo lis inchoata est, hoc edicto nō continetur. tam diu igitur in seruitute esse videbitur, quādiu non est eiusmodi lis cœpta.

C XIII. PAVLVS *lib.* XII. *ad edictum.*

Rectè Labeo ait eū nō contineri, qui liber & hæres institutus est, anteq̃ sit heres: quia nec bona habet, & prętor de liberis loquitur hominibus. puto tamen filiūfamiliâs in castrēsi peculio pertinere ad hoc edictū.

XIIII. CALLISTRATVS *lib.* II. *edicti monitorii.*

Item ei succurritur, qui in hostium potestate fuit, id est, ab hostibus captus. Nam trāsfugis nullum credēdum est beneficium tribui, quib⁹ negatum est postliminium. Poterant tamen qui in hostium potestate essent: & illa parte edicti contineri, quæ loquitur de his, qui in seruitute fuerint.

XV. VLPIANVS *lib.* XII. *ad edictum.*

Ab hostibus captis postliminio reuersis succurritur,

aut ibi mortuis:quia nec procuratorem habere possunt, cũ aliis suprascriptis per procuratoré possit subueniri: D
præter eos,qui in seruitute detinentur. Ego auté etiam nomine eius,qui hostiũ potitus est:si curator(vt plerũque)fuerit bonis cõstitutus,auxiliũ cõpetere existimo.

Non minus autem ab hostibus capto, q̃ ibi nato, qui postliminium habet,succursum videtur. Si damni infecti missum sit in ædes militis: siquidem præsente eo iussit prætor possideri,nõ restituitur.si verò absente eo: dicendum,subueniri ei debere.

Quod disponitur de tempore absentiæ, intelligitur de modico tẽpore quod excurrit postea si in eo quis non fuit negligens: quod arbitrio iudicis determinabitur. Bar.

Sed quod simpliciter prætor edixit, POSTEAVE, E
ita accipiendum est:vt si inchoata sit bonæ fidei possessoris detentio ante absentiam, finita autem eo reuerso: restitutionis auxilium locum habeat, nõ quandocunq;: sed ita demum,si intra modicum tẽpus,quàm rediit,hoc contingat:id est,dum hospitium quis cõducit, sarcinulas componit,quærit aduocatum. nam eum, qui differt restitutionem,non esse audiendum, Neracius scribit.

XVI. PAVLVS *lib.*XII.*ad edictum.*

NOn enim negligentibus subuenitur,sed necessitate rerum impeditis. Totumque illud arbitrio prætoris tẽperabitur:id est,vt ita demũ restituat,si non negligentia,sed temporis angustia non potuerunt litem contestari. F

XVII. VLPIANVS *lib.*XII.*ad edictum.*

IVlianus libro quarto scribit,nõ solũ aduersus possessoré hæreditatis succurrendũ esse militi,verũ aduersus eos quoq;,qui à possessore emerunt:vt vindicari res possint,si miles hæreditaté agnouerit. quòd si nõ agnouerit:ex post facto vsucapioné processisse manifestatur.

Eũ quoq;,cui sic legatũ sit, IN ANNOS SINGVLOS, QVIBVS IN ITALIA ERIT: restituẽdum,vt capiat,atque si in Italia fuisset,Labeo scribit, & Iulianus libro quarto,& Pomponius libro tricesimo primo probant.non enim dies actionis exiit,vt prætoris auxilium necessarium sit,sed conditio in caussa est.

Restituti

Restitutio ex hoc edicto non fit vbi quis certat de lucro cum al-
A *terius iniuria, nec ex fictione postliminii, cum postliminium non porrigatur ad ea quæ sunt facti & cessat restitutio vbi æquitas cessat. Bartolus.*

XVIII. PAVLVS *lib.* XII. *ad edictum.*

SCiendum est, quòd in iis casibus restitutionis auxilium maioribus damus, in quibus rei dũtaxat persequendæ gratia queruntur: nõ cùm & lucri faciendi caussa, ex alterius pœna vel damno, auxilium sibi impertiri desiderant.

XIX. PAPINIANVS *lib.* III. *Quæstionum.*

DEnique si emptor prius, quã per vsum sibi adquireret, ab hostibus captus sit: placet interruptã pos-
B sessioné postliminio non restitui: quia hæc sine possessione nõ constitit. possessio autem plurimũ facti habet, caussa verò facti non continetur postliminio.

XX. IDEM *lib.* XII. *Quæstionum.*

NEc vtilem actionem ei tribui oportet: cùm sit iniquissimũ, auferre dominiũ, quod vsus nõ abstulit. nec enĩ intelligitur amissum, quod ablatũ alteri nõ est.

Quod quis acquisiuit propter suam absentiam cùm non esset defensus, in integrum restituitur. Item qui dicit aliquem non defensum, debet probare. Bartolus.

XXI. VLPIANVS *lib.* XII. *ad edictum.*

ITEM (ait prætor) SI QVIS QVID VSV SV-
C VM FECISSE, AVT QVOD NON VTENDO AMISSVM SIT, CONSECVTVS ESSE: ACTIONÉVE QVA SOLVTVS OB ID, QVOD DIES EIVS EXIERIT, CVM ABSENS NON DEFENDERETVR. Quam clausulam prætor inseruit, vt quemadmodum succurrit supradictis personis, ne capiãtur. ita & aduersus ipsas succurrat, ne capiant. Et erit notandum, quod plus prætor expressit, cùm aduersus eos restituit, quam cũ ipsis subuenit. nam hic non certas personas enumerauit, aduersus quas subueniat, vt suprà: sed adiecit clausulam, qua omnes, qui absentes non defenduntur, complexi sunt.

Hæc autem restitutio locum habet: siue per se, siue per subiectas sibi personas vsu adquisierint, qui absen-

tes non defendebantur: & id,ſi nemo eorum defenſor. Nam ſi fuit procurator: cùm habueris, quem conuenias,non debet inquietari. Cæterùm ſi non exiſtebat defenſor,æquiſſimum erit ſubueniri:eo potius, quod qui non defenduntur(ſi quidem latitent)prætor pollicetur ex edicto in bona eorum mittere: vt ſi res exegerit, etiam diſtrahantur: ſi verò non latitent,licet non defendantur, in bona tantùm mitti. Defendi autem non is tantùm videtur,cuius ſe defenſor ingerit: ſed & qui requiſitus ab actore,non eſt defenſioni defuturus.Plenaq; defenſio accipietur,ſi & iudicium non detrectetur, & iudicatum ſolui ſatiſdetur. D

XXII. PAVLVS *lib.* XI. *ad edictum.*

ERgo ſciendũ eſt,nõ aliter hoc edictum locũ habere, quàm ſi amici eius interrogati fuerint,an defendãt: aut ſi nemo ſit, qui interrogari poteſt. Ita enim abſens defendi nõ videtur: ſi actor vltrò interpellat,nec quiſquàm defenſioni ſe offerat:eaq; teſtatione complecti oportet.Sicut igitur damno eos adfici non vult,ita lucrũ facere non patitur.Quod edictum etiam ad furioſos, & infantes,& ciuitates pertinere Labeo ait. E

Contra præſentem qui ex cauſſa ſecum agendi poteſtatem nõ facit,in integrum reſtitutio nõ conceditur. Bartolus.

XXIII. VLPIANVS *lib.* XII. *ad edictum.*

AIt prætor, IN VE VINCVLIS ESSET. hæc particula meritò adiecta eſt.fieri enim poterat, vt quis in vinculis præſens eſſet: veluti in publica, vel in priuata vincula ductus.nam & eum, qui in vinculis eſt, (ſi modò non ſit in ſeruitute)poſſeſſu adquirere cõſtat. igitur & is,qui in vinculis eſt,ſi defendatur,ceſſat reſtitutio. Is autem,qui apud hoſtes eſt, nihil per vſum ſibi adquirere poteſt: nec cœptam poſſeſſionem poterit implere,dum eſt apud hoſtes.hoc amplius: nec poſtliminio reuerſus,recuperabit per vſum dominij adquiſitionem. Item ei, qui per captiuitatem fundi poſſeſſioné, vel vſusfructus quaſi poſſeſſionem amiſit: ſuccurrendũ eſſe,Papinianus ait.& fructus quoque medio tempore ab alio ex vſufructu perceptos, debere captiuo reſtitui, æquum putat. F

Captiui

A *Captiui per subiectas personas possunt præscribere, & ab actionibus competentibus liberari. & eo casu contra ipsos restitutio conceditur. Bartolus.*

Hi planè, qui fuerũt in potestate captiui, vsu rẽ adquirere possunt ex re peculiari: & æquũ erit, ex hac clausula præsentibus subueniri: si cùm non defenderétur, vsucaptum quid sit. Sed & si dies actionis, quę aduersus captiuum cõpetebat, exierit: aduersus eũ succurritur.

Qui non patitur secũ litem contestari ex caussa iusta vel iniusta: contra eum restitutio cõceditur si quid ex hoc quæsierit. Bartolus.

Deinde adiicit prætor, SECV'MVE AGENDI POTESTATEM NON FACERET: vt si, dum hoc faciat, per vsum sit adquisitio impleta, vel quid ex
B suprà scriptis contigerit: restitutio concedatur, meritò. nec enim sufficit semper in possessionem bonorum eius mitti: quia interdum species esse potest, vt in bonis latitantis mitti non pòssit, aut non latitet. Finge enim dum aduocationem postulat, diem exisse: vel dum alia mora iudicij contingit.

XXIIII. PAVLVS *lib.* XII. *ad edictum.*

SEd & ad eos pertinet, qui conuenti frustrantur: & qualibet tergiuersatione & solertia efficiunt, ne cũ ipsis agi possit.

XXV. CAIVS *lib.* IIII. *ad edictum prouinciale.*

C QVod quidem simili modo ad eum quoque pertinere dicimus, qui non frustrãdi gratia id faceret, sed quod multitudine rerum distringeretur.

XXVI. VLPIANVS *lib.* XII. *ad edictum.*

SEd & si per prætorem stetit, restitutio indulgebitur. Aduersus relegatũ restitutionem faciendã ex generali clausula Pomponius ait, sed non & ipsi cõcedendam: quia potuit procuratorem relinquere. ex caussa tamen, puto etiam ipsi succurrendũ. Ait prætor, AVT CV'M EVM INVITVM IN IVS VOCARE NON LICERET. hæc clausula ad eos pertinet, quos iure magistratus sine fraude in ius vocare nõ licet: vt cõsulem, prætorem, cæterosq́;, qui imperiũ potestatémve quam habent. Sed non ad eos pertinet hoc edictũ, quos prætor prohibet sine permissu suo in ius vocari: quoniam

niam aditus potuit permittere: patronos puta & parentes. Deinde adiicit, NEQVE DEFENDERETVR, quod ad omnes ſuprà ſcriptos pertinet: præter quàm ad eũ, qui abſens quid vſucepit: quoniam plenè de eo ſuprà cautum eſt. D

Si per negligentiam vel per dolum iudicis contingeret vt pereat ius agendi, reſtituitur, ſecus ſi culpa actoris. Bartolus.

Ait prætor, SIVE CVI PER MAGISTRATVS FACTVM, SINE DOLO MALO IPSIVS ACTIO EXEMPTA ESSE DICETVR: hocque, vt ſi per dilationes iudicis effectum ſit, vt actio eximatur, fiat reſtitutio. Sed & ſi magiſtratus copia non fuit, Labeo ait reſtitutionem faciendã. PER MAGISTRATVS autem FACTVM, ita accipiendum eſt, ſi ius non dixit. alioquin ſi cauſſa cognita denegauit actionem, reſtitutio ceſſat: & ita Seruio videtur. Item MAGISTRATVS FACTVM videtur, ſi per gratiam, aut ſordes magiſtratus ius non dixerit. quo caſu & hæc pars locum habebit, necnõ & ſuperior, SECVMVE AGENDI POTESTATEM NON FACERET. Nam id egit litigator, ne ſecum agatur, dum iudicem corrupit. ACTIO EXEMPTA ſic erit accipienda, ſi deſiit agere poſſe. & adiicitur SINE DOLO MALO IPSIVS: videlicet, vt ſi dolus eius interueniat, nec ei ſuccurratur. Ipſis enim delinquentibus prętor non ſubuenit. Proinde ſi dum vult apud ſequentem prætorem agere, tempus fruſtratus eſt: non ei ſubuenietur. Sed & ſi dum decreto prætoris non obtemperat, iuriſdictionem ei denegauit: non eſſe eum reſtituturum, Labeo ſcribit. Idemq; ſi ex alia iuſta cauſſa nõ fuerit ab eo auditus. Si feriæ extra ordinem ſint indictæ (ob res puta proſperè geſtas, vel in honorem principis) & propterea magiſtratus ius non dixerit: Caius Caſſius nominatim ſe dicebat reſtituturum, quia per prætorem videretur factum. Solennium enim feriarum rationẽ haberi non debere, quia proſpicere eas potuerit, & debuerit actor, ne in eas incideret: quod verius eſt, & ita Celſus libro ſecundo digeſtorum ſcribit. Sed cùm feriæ tempus eximunt: reſtitutio dumtaxat ipſorum dierum E F

faciendà

faciéda est,nõ totius téporis, & ita Iulianus libro quar-
A to digestorũ scribit. Ait enim rescissionem vsucapionis ita faciendã: vt hi dies restituantur, quibus actor agere voluit,& interuentu feriarum impeditus est.

Vsucapione rescissa tempus absentiæ tantùm restituitur. Bar.

Quoties per absentiam quis nõ toto tempore aliqué exclusit(vtputa rem tuã possedi vno minus die, statuto in vsucapionibus tépore)deinde reipublicæ caussa abesse cœpi: restitutio vnius diei aduersum me facienda est. ITEM(inquit prętor) SI QVA ALIA MIHI IVSTA CAVSSA VIDEBITVR, IN INTEGRVM RESTITVAM. Hęc clausula edicto inserta necessaria est.multi enim casus interuenire poterunt,
B qui deferant restitutionis auxilium, nec singulatim tamen enumerari potuerunt. vnde quoties æquitas restitutioné suggerit, ad hanc clausulam erit descendendũ. vtputa legatione quis pro ciuitate functus est. æquissimum est eum restitui, licet reipublicæ caussa nõ absit:& sæpissimè constitutũ est,adiuuari eũ debere,siue habuit procuratorem,siue nõ.Idem puto, & si testimonij caussa sit euocatus quis ex qualibet prouincia, vel in vrbem, vel ad principem. nam & huic subueniri sæpissimè rescriptum est. Sed & his, qui cognitionis gratia,vel appellationis peregrinati sunt,similiter subuenitur.Et generaliter quotiescunque quis ex necessitate, non ex vo-
C luntate abfuit:dici oportet,ei subueniendum.

XXVII. PAVLVS *lib.* XII. *ad edictum.*

ET siue quid amiserit,siue lucratus non sit,restitutio facienda est: etiam si non ex bonis quid amissum sit.

XXVIII. VLPIANVS *lib.* XII. *ad edictum.*

NEcnon & si quis de caussa probabili abfuerit, deliberare debet prætor, an ei subueniri debeat (puta studiorũ caussa)fortè ꝓcuratore suo defuncto, ne decipiatur per iustissimam absentiæ caussam. Item si quis nec in custodia,nec in vinculis sit, sed sub fideiussorum satisdatione: & dum propter hoc, quod recedere non potest, captus sit: & restituetur, & aduersus eũ dabitur restitutio. QVOD EIVS (inquit prętor) PER LEGES, PLEBISCITA, SENATVSCONSVLTA,

EDICTA

EDICTA, DECRETA PRINCIPUM LICEBIT. quæ clausula nõ illud pollicetur: restituturum scilicet, si leges permittant: sed si leges non prohibeant. D

Si quis sæpius reipublicæ caussa abfuit, ex nouissimo reditu tempus restitutionis esse ei computãdum, Labeo putat. Sed si omnes quidem absentiæ annum colligant, singulæ minus anno: vtrum annum ei damus ad restitutionem, an verò tantum temporis, quantum nouissima eius absentia occupauit, videndum. & puto annũ dãdum.

Qui est in loco vbi potest conueniri, præsens esse videtur: nisi habeat exceptionem fori. Bartolus.

Si cùm in prouincia domicilium haberes, esses autem in vrbe: an mihi annus cedat, quasi experiundi potestatem habeam? & ait Labeo, non cedere. Ego autem puto hoc ita verum, si ius reuocandi domum aduersarius habuit. si minus: videri esse experiundi potestatem, quia & Romæ contestari litem potuit. Exemplo rescissoriæ actionis etiam exceptio ei, qui reipublicæ caussa abfuit, competit: fortè si res ab eo, possessionémve nacto vindicetur. E

Sicut actio rescissoria non potest intentari nisi restitutione præhabita, ita nec exceptio potest obiici ab eo contra quem est præscriptũ, nisi primò redierit & conueniatur à præscribente. Bartolus.

In actione rescissoria, quæ aduersus militem competit: æquissimum esse Pomponius ait, eius quoque temporis, quo absens defensus non est, fructus eum præstare. Ergo & militi debebunt restitui, & vtrique actio erit. F

XXIX. AFRICANVS *lib.* VII. *Quæstionum.*

VIdelicet vt ne cui officium publicum vel damno, vel compendio sit.

XXX. PAVLVS *lib.* XII. *ad edictum.*

CVm miles, qui vsucapiebat, decesserit: & hæres impleuerit vsucapionem: æquum est rescindi, quod postea vsucaptum est: vt eadem in hæredibus, qui in vsucapionem succedunt, seruanda sint. quia possessio defuncti quasi iniũcta descendit ad hæredem, & plerũque nondũ hæreditate adita cõpletur. Si is, qui reipublicę caussa abfuit, vsuceperit, & post vsucapioné alienauerit rem: restitutio facienda erit, & (licet sine dolo malo abfuerit,

fuerit, & vsuceperit) lucro eius occurri oportet. Item
A ex reliquis omnibus caussis restitutio facienda erit: veluti si aduersus eum pronunciatum sit.

XXXI. IDEM *lib.* IIII. *ad edictum.*

SI is, cuius rem vsuceperit reipublicæ caussa absens, possessionem suæ rei ab illo vsucaptæ nactus sit: & si postea amiserit: non temporalem, sed perpetuam habet actionem.

XXXII. MODESTINUS *lib.* VIII. *Regularum.*

ABesse reipublicæ caussa intelligitur & is, qui ab vrbe profectus est: licet nondum prouinciam excesserit. sed & is, qui excessit, donec in vrbem reuertatur. & hoc etiam ad proconsules legatósque eorum, & ad eos,
B qui prouinciis præsunt, procuratorésve principum, qui in prouinciis tenentur, pertinet: & ad tribunos militũ, & præfectos, & comites legatorum, qui ad ærarium, aut in commentarium principis relati sunt.

XXXIII. IDEM *lib. singulari de enucleatis casibus.*

INter eos, qui ex generali clausula adiuuantur, & fisci patronus connumeratur. Eos, qui notis scribunt acta præsidum, reipublicæ caussa non abesse, certum est.

Militum medici (quoniam officium, quod gerunt, & publicè prodest, & fraudem eis adferre non debet) restitutionis auxilium implorare possunt.

XXXIIII. IABOLENUS *lib.* XV. *ex Cassio.*

C MIles commeatu accepto, si domi suæ est, reipublicæ caussa abesse non videtur. Qui operas in publicum, quod vectigalium caussa locatum est, dat: reipublicæ caussa non abest.

XXXV. PAULUS *lib.* IIII. *ad L. Iuliam & Papiam.*

QUi mittuntur, vt milites ducerent, aut reducerent, aut legendi curam gererent: reipublicæ caussa absunt. hi quoque, qui missi sunt ad gratulandum principi. Item procurator Cæsaris, non solũ cui rerum prouinciæ cuiusque procuratio mandata erat: sed & is, cui rerum, quamuis non omnium. Itaque plures ibi procuratores diuersarum rerum reipublicæ caussa abesse intelliguntur. Præfectus quoque Aegypti reipublicæ caussa abest, quíve aliam ob caussam reipublicæ gratia ex

tia extra vrbem abierit. Sed & in vrbanicis militibus idem diuus Pius constituit. Quæsitum est, & de eo, qui ad compescendos malos homines missus est, an reipublicæ caussa abesset? & placuit reipublicæ caussa eum abesse. Item paganum, qui in expeditionem consulari iussu transierat, ibique in acie ceciderat. heredi enim eius succurrendum est. Qui reipublicæ caussa Romam profectus est, abesse reipublicæ caussa videtur. Sed & si extra patriam suam reipublicæ caussa profectus sit: etiam si per vrbem ei iter competit, reipublicæ caussa abest. Similiter qui in prouincia est, vt primum aut domo sua profectus est: aut cùm in eadem prouincia degit, reipublicæ administrandæ caussa: simul atque agere rempublicam cœpit, ad similitudinem absentis habetur. Et dum eat in castra, ac redeat miles, reipublicæ caussa abest: quod & eundum sit in castra militaturo, & redeundum. Viuianus scribit Proculum respondisse: militē, qui cum commeatu absit, dum domum vadit aut redit, reipublicæ caussa abesse: dum domi sit, non abesse. D E

XXXVI. VLPIANVS *lib.* VII. *ad.* L. *Iuliam & Papiam.*

REipublicę caussa abesse eos solos intelligimus, qui non sui commodi caussa, sed coacti absunt.

XXXVII. PAVLVS *lib.* IIII. *ad.* L. *Iuliam & Papiā.*

HI qui in prouincia sua vltra tempus à constitutionibus concessum adsident: ex publica caussa abesse non intelliguntur. F

XXXVIII. VLPIANVS *lib.* VII. *ad.* L. *Iuliam & Papiam.*

SI cui in prouincia sua princeps adsidere speciali beneficio permiserit: puto eum reipublicæ caussa abesse. quod si non ex permissione hoc fecerit: consequenter dicemus: cùm crimē admisit, non habere eum priuilegia eorum, qui reipublicæ caussa absunt. Tam diu reipublicæ caussa abesse quis videbitur, quamdiu officio alicui præest. quod si finitum fuerit officiū, iam desinit abesse reipublicę caussa. Sed ad reuertendum illi tempora cōputabim⁹, statim atq; desiit reipub. caussa abesse quibus reuerti in vrbem potuit: & erit moderatum, tempora ei dare, quæ lex reuertētibus præstitit. Quare si quid excesserit

excesserit suæ rei caussa, non dubitabimus, id tempus ei
A non proficere: habitáque dinumeratione temporis, quo reuerti debuit, statim eum dicemus desiisse reipublicæ caussa abesse. Planè si infirmitate impeditus, continuare iter non potuit: habebitur ratio humanitatis; sicuti haberi solet & hyemis, & nauigationis, & cæterorum, quæ casu contingunt.

XXXIX. PAVLVS *lib.* I. *Sententiarum.*

IS qui reipublicæ caussa absfuturus erat, si procuratorem reliquerit, per quem defendi potuit: in integrum volens restitui, non audietur.

XL. VLPIANVS *lib.* V. *Opinionum.*

B SI qua militi accusatio competat eo tépore, quo reipublicæ operam dedit, non perimetur.

Absens caussa necessaria tantum restituitur. Bartolus.

Quod eo tempore quo in insula quis fuit ex pœna ei irrogata, cuius restitutionem à principe impetrauit: ab alio vsurpatum ex bonis, quę non adempta erant, probatum fuerit: suæ caussæ restituendum est.

Absenti restituitur actio cum onere suo. Bartolus.

XLI. IVLIANVS *lib.* XXXV. *Digestorum.*

SI quis Titio legauerit, si mortis suæ tempore in Italia esset, aut in annos singulos, quod in Italia esset: & ei succursum fuerit, quia ob id quod reipublicæ caussa abfuit, exclusus fuerit à legato: fideicommissum ab eo
C relictũ præstare cogitur. MARCELLVS NOTAT. quis enim dubitauit, salua legatorum & fideicommissorum caussa, militi restitui hæreditatem: quam ob id perdidit, quod reipublicæ caussa abfuit?

XLII. ALFENVS *lib.* V. *Digestorum.*

NOn verè dicitur reipublicæ caussa abesse, qui sui priuati negocij caussa in legatione est.

Sicut actio amissa restituitur, ita actio nõ nata post in integrum restitutionem restituitur. Bartolus.

XLIII. AFRICANVS *lib.* VII. *Quæstionum.*

SI quis stipulatus sit in annos singulos, quod in Italia esset vel ipse, vel promissor: & alteruter reipublicæ caussa abesse cœperit: officium prętoris est, introducere vtilem actionem. Eadem dicemus, & si ita cócepta stipu

latio

latio fuerit, si quinquennio proximo Romæ fuerit : vel
ita, si non fuerit: centum dare spondes? D

XLIIII. PAVLVS *lib. II. ad Sabinum.*

IS qui reipublicæ caussa abest : in aliqua re læsus non restituitur, in qua etiam, si reipublicæ caussa non abfuisset, damnum erat passurus.

XLV. SCAEVOLA *lib. I. Regularum.*

MIlites omnes, qui discedere à signis sine periculo non possunt, reipublicæ caussa abesse intelliguntur.

Absens contra absentem restituitur. Bartolus.

XLVI. MARTIANVS *lib. II. Regularum.*

QVi reipublicæ caussa abfuit, etiam aduersus eum, qui pariter reipublicæ caussa abfuit, restituendus E
est: si aliquid damni iustè queritur.

DE ALIENATIONE IVDICII MVtandi caussa facta. Tit. VII.

Qui rem alienat caussa mutandi iudicium, actori ad interesse tenetur. Bartolus.

CAIVS. *lib. IIII. ad edictum prouinciale.*

OMnibus modis proconsul id agit, ne cuius deterior caussa fiat ex alieno facto. Et cùm intelligeret, iudiciorum exitum interdũ duriorem constitui, opposito nobis alio aduer- F
sario: in eam quoq; rem prospexit. vt si quis alienando rem, alium nobis aduersarium suo loco substituerit, idque data opera in fraudem nostram fecerit: tanti nobis in factum actione teneatur, quanti nostra interfit, alium aduersarium nos non habuisse. itaque & si alterius prouinciæ hominem, aut potentiorem nobis opposuerit aduersarium: tenebitur.

II. VLPIANVS *lib. XII. ad edictum.*

AVt alium, qui vexaturus sit aduersarium.

III. CAIVS *lib. IIII. ad edictum prouinciale.*

QVia etiam si cum eo, qui alterius prouinciæ est, experiar : in illius prouincia experiri debeo : & potentioribus pares esse non possumus. Sed & si homi-

si hominem, quem petebamus, manumiserit: durior no-
A stra conditio fit, quia prætores fauent libertatibus.

Si actio contra eum, cui facta est alienatio, competit: in minus alienator hoc edicto tenetur. Bartolus.

Item si locũ, in quo opus feceris, cuius nomine interdicto QVOD VI AVT CLAM vel actione AQVAE PLVVIAE ARCENDAE tenebaris, alienaueris: durior nostra conditio facta intelligitur: quia si tecum ageretur, tuis impensis id opus tollere deberes. nunc verò cùm incipiat mihi aduersus aliũ actio esse, quàm qui fecerit: compellor meis impensis id tollere. quia qui ab alio factum possidet: hactenus istis actionib' tenetur, vt patiatur id opus tolli.

B *Si alienatio, obligatio, vel actio extinguitur: alienator hoc edicto tenetur. Bartolus.*

Opus quoque nouum si tibi nunciauerim, túque eum locum alienaueris, & emptor opus fecerit: dicitur hoc te iudicio teneri, quasi neque tecum ex operis noui nunciatione agere possim, quia nihil feceris: neque cum eo, cui id alienaueris, quia ei nunciatum non sit.

Hæc actio datur ad interesse expensarum, vel alterius incommoditatis. Bartolus.

Ex quibus apparet, quòd procõsul in integrum restituturum se pollicetur: vt hac actione tantum officio iudicis consequatur actor, quãtum eius intersit, alium ad-
C uersarium non habuisse: fortè si quas impensas fecerit, aut si quam aliam incommoditatem passus erit, alio aduersario substituto. Quid ergo, si is, aduersus quem talis actio competit, paratus sit vtile iudiciũ pati, perinde ac si possideret? rectè dicitur, denegandã esse aduersus eum ex hoc edicto actionem.

IIII. VLPIANVS *lib.* XII. *ad edictum.*

Item si res fuerint vsucaptæ ab eo, cui alienatæ sunt, nec peti ab eo possint: locum habet hoc edictum.

Si alienatur caussa mutandi iudicium, & cessat dolus, non habet locum hac actio. Idem si dolus adest, non tamẽ alienatur caussa mutandi iudicium. Bartolus.

Itémque fieri potest, vt sine dolo quidem malo desierit possidere, verùm iudicij mutandi caussa id fiat. Sunt

 & alia

& alia complura talia. Poteſt etiam aliquis dolo malo deſinere poſſidere, nec tamen iudicij mutandi cauſſa id feciſſe, nec hoc edicto teneri. neque enim alienat, qui dumtaxat omittit poſſeſſionem. Non tamen eius factum improbat prætor: qui tanti habuit rē carere, ne propter eam ſæpius litigaret. hæc enim verecundia & cogitatio eius, qui lites exſecratur, non eſt vituperanda: ſed eius dūtaxat, qui cùm rem habere vult, litem ad alium transfert, vt moleſtum aduerſarium pro ſe ſubiiciat. Pedius libro nono non ſolum ad dominij tranſlationem hoc edictum pertinere ait, verùm ad poſſeſſionem quoque. alioquin & is, cum quo in rem agebatur (inquit) ſi poſſeſſione ceſſit, non tenebitur. Si quis autem ob valetudinē, aut ætatem, aut occupationes neceſſarias litem in alium tranſtulerit: in ea cauſſa non eſt, vt hoc edicto teneatur, cùm in hoc edicto doli mali fiat mentio. Cęterùm interdictū erit per procuratores litigare, dominio in eos plerunque ex iuſta cauſſa trāſlato. Ad iura etiam prædiorum hoc edictum pertinet: modò ſi dolo malo fiat alienatio. Hæc actio in id, quod intereſt, competit. proinde ſi res non fuit petitoris, aut ſi is qui alienatus eſt, ſine culpa deceſſit: ceſſat iudicium, niſi quid actoris prętereà interfuit. Hæc actio non eſt pœnalis, ſed rei perſecutionem arbitrio iudicis continet. quare & hæredi dabitur: in hæredem autem, D E

V. PAVLVS *lib.* XII. *ad edictum.* F

Vel ſimilem,

VI. VLPIANVS *lib.* XII. *ad edictum.*

Vel poſt annum non dabitur.

VII. CAIVS *lib.* IIII. *ad edictum prouinciale.*

Quia pertinet quidem ad rei perſecutionem, videtur autem ex delicto dari.

VIII. PAVLVS *lib.* XII. *ad edictum.*

Ex hoc edicto tenetur, etiam qui rem exhibet: ſi arbitratu iudicis priſtinam cauſſam iudicij nō reſtituit.

Alienatio intelligitur facta cauſſa mutandi iudicii de futuro. B.

Ait prætor, QVAE VE ALIENATIO IVDICII MVTANDI CAVSSA FACTA FVERIT. id eſt, futuri iudicij cauſſa: nō eius, quod iam fit. Abalienare intelligi-

intelligitur, & qui alienam rē vendiderit. Sed hæredem
A instituendo, vel legando si quis alienet: huic edicto locus nō erit. Si quis alienauerit, deinde receperit: non tenebitur hoc edicto. Qui vēditori suo redhibet, non videtur iudicij mutandi caussa alienare.

IX. PAVLVS *lib. I. ad edictum ædilium curulium.*

QVia redhibito homine omnia retrò agūtur. & ideo non videtur iudicij mutandi caussa alienare, qui redhibet: nisi fortè propter hoc ipsum redhibet, non redhibiturus aliâs.

X. VLPIANVS *lib. XII. ad edictum.*

NAm & si obligat⁹ soluero, quod à me petere velles: huic edicto locus non erit. Si tutor pupilli vel ad-
B gnatus furiosi alienauerit: vtilis actio cōpetit, quia consilium huius fraudis inire non possunt.

Actor in quem facta est alienatio caussa mutandi iudicium, exceptione repellitur: & primus cedens agere compellitur. Bartolus.

XI. IDEM *lib. V. Opinionum.*

CVm miles postulabat, suo nomine litigare de possessionibus, quas sibi donatas esse dicebat: responsum est, si iudicij mutādi caussa donatio facta fuerit, priorem dominum experiri oportere: vt rem magis, quàm litem in militem transtulisse credatur.

Qui partem rei suæ alienat caussa euitandi iudiciū diuisorium: ipsum iudicium non poterit euitare pro fructibus vel pro re: nec ille
C *in quem facta est alienatio.* Bartolus.

XII. MARTIANVS *lib. XIIII. Institutionum.*

SI quis iudicij communi diuidundo euitandi caussa rem alienauerit: ex lege Licinia interdicitur ei ne cōmuni diuidundo iudicio experiatur. Verbi gratia, vt potentior emptor per licitationē vilius eam accipiat, & per hoc iterū ipse recipiat. Sed & ipse quidē, qui partē alienauit, communi diuidundo iudicio si agere velit, non audietur. Is verò, qui emit, si experiri velit: ex illa parte edicti vetatur, qua cauetur, ne qua alienatio iudicij mutandi caussa fiat.

DE RECEPTIS, QVI ARBITRIVM receperunt, ut sententiā dicant. Tit. VIII.

PAVLVS *lib. I. ad edictum.*

✱ in hunc locum Cic. in oratiõe pro Roſcio comœdo.

COmpromiſſum✱ ad ſimilitudinem iudiciorũ redigitur, & ad finiendas lites pertinet. D

II. VLPIANVS *lib. IIII. ad edictum.*

EX compromiſſo placet exceptionem non naſci, ſed pœnæ petitionem.

Eo caſu quo iudicis ſententia nõ tenet: illo ſi arbitri ſententiæ non paretur pœna cum effectu non petitur. Bartolus.

III. IDEM *lib. XIII. ad edictum.*

LAbeo ait: ſi cõpromiſſo facto ſentẽtia dicta eſt, qua quis à minore vigintiquinque annis tutelę abſolueretur: ratum id à prætore non habendum, neque pœnæ eo nomine cõmiſſæ petitionem dari. Tametſi neminem prætor cogit arbitrium recipere: (quoniam hęc res libera & ſoluta eſt, & extra neceſſitatem iuriſdictionis poſita) attamen vbi ſemel quis in ſe receperit arbitrium, ad curam & ad ſollicitudinem ſuam hanc rẽ pertinere prętor putat: non tam quòd ſtuderet, verùm quoniam deberet decipi, qui eum quaſi virum bonum diſceptatorem inter ſe elegerunt. finge enim poſt cauſſam iam ſemel atque iterum tractatam, poſt nudata vtriuſque intima, & ſecreta negocij aperta: arbitrũ vel id gratiæ dantem, vel ſordibus corruptum, vel ex alia cauſſa nolle ſententiam dicere: quiſquam ne poteſt negare æquiſſimum fore, prætorẽ interponere ſe, vt officium, quod in ſe recepit, impleat? Ait prætor. QVI ARBITRIVM, POENA COMPROMISSA, RECEPERIT. Tractemus de perſonis arbitrantium. & quidem arbitrum cuiuſque dignitatis coget officio perfungi, quod ſuſcepit, etiam ſi ſit conſularis: niſi fortè in aliquo magiſtratu poſitus, vel poteſtate: (conſul fortè vel prætor) quoniam in hoc imperium non habet. E F

IIII. PAVLVS *lib. XIII. ad edictum.*

† Huc pertinet quod de Nonio quæſtore refert Sueto. in Iulio

NAm magiſtratus ſuperiores, aut pari imperio qui ſunt, nullo modo poſſunt cogi.† nec intereſt: ante, an in ipſo magiſtratu arbitrium ſuſceperint. ſed inferiores poſſunt.

V. VLPIANVS *lib. XIII. ad edictum.*

SEd & filiusfamil. âs compelletur.

VI. CAIUS.

A QVin etiam & de re patris dicitur filiumfamiliâs arbitrum esse. nam & iudicem eum esse posse, plerisque placet.

Potest compromitti in libertum & etiam in infamem. Bartolus.

VII. VLPIANVS *lib.* XIII. *ad edictum.*

PEdius libro nono, & Pomponius libro tricesimotertio scribũt: parui referre, ingenuus quis, an libertinus sit: integræ famæ quis sit arbiter, an ignominiosus.

Si compromittatur in duos quorum vnus non potest esse arbiter, alter sententiam dicere non cogetur: nec sententia valet, n si esset ad iectum insolidum. Bartolus.

In seruum Labeo compromitti nõ posse scribit libro B vndecimo, & est verum. Vnde Iulianus ait: Si in Titium & seruum compromissum sit: nec Titium cogendum sententiam dicere, quia cum alio receperit: quamuis serui (inquit) arbitrium nullum sit. Quid tamẽ, si dixerit sententiam Titius? pœna non committetur: quia non, vt recepit, dixit sententiam.

VIII. PAVLVS *lib.* XIII. *ad edictum.*

SEd si ita compromissum sit, vt vel alterutrius sententia valeat: Titium cogendum.

IX. VLPIANVS *lib.* XIII. *ad edictum.*

SEd si in seruum compromittatur, & liber sententiam dixerit: puto, si liber factus receperit, consentienti- C bus partibus: valere. Sed neque in pupillum, neque in furiosum, aut surdum, aut mutum compromittetur, vt Pomponius scribit.

In iudicem ordinarium illius caussæ non potest compromitti etiam eo iubente. Bartolus.

Si quis iudex sit: arbitriũ recipere eiusdẽ rei, de qua iudex est, inve se cõpromitti iubere, prohibetur lege Iulia: & si sententiam dixerit, non est danda pœnæ persecutio. Sunt & alij, qui sententiã dicere non coguntur: vtputa si sordes, aut turpitudo arbitri manifesta sit. Iulianus ait, si eum infamarunt litigatores: non omnimodo prætorẽ debere eum excusare, sed caussa cognita. Idem & si spreta authoritate eius ad iudicium,

X. PAVLVS *lib.* XIII. *ad edictum.*

Vel alium arbitrum,

XI. VLPIANVS lib. XIII. ad edictum.

Litigatores ierunt, mox ad eundem arbitrum redierunt: prætoré non debere eum cogere inter eos disceptare, qui ei contumeliam hanc fecerint, vt eum spernerent, & ad alium irent. Arbitrum non esse cogendum sententiam dicere, nisi compromissum interuenerit: & quod ait prætor POENA COMPROMISSA, accipere nos debere, non si vtrinque pœna numaria, sed & si alia res vice pœnæ, si quis arbitri sententię non steterit, promissa sit: Pōponius scribit. Quid ergo, si res apud arbitrum depositæ sint eo pacto, vt ei daret, qui vicisset: vel vt eam daret, si non pareretur sententiæ? an cogendus sit sententiam dicere? & puto cogēdum. tantundem est, & si quantitas certa ad hoc apud eum deponatur. proinde & si alter rem, alter pecuniam stipulanti promiserit: plenum compromissum fit, & cogetur sententiam dicere. Interdum (vt Pomponius scribit) rectè nudo pacto fiet compromissum: vtputa si ambo debitores fuerūt: & pacti sunt, ne petat, quod sibi debetur, qui sententiæ arbitri non paruit. Item Iulianus scribit, non cogendum arbitrum sententiam dicere, si alter promiserit, alter non. Idem dicit, & si sub conditione fuerit pœna compromissa: veluti si nauis ex Asia venerit, tot milia. non enim prius arbitrum cogendum sententiam dicere, quàm conditio exstiterit: ne sit inefficax deficiente cōditione. & ita Pomponius libro tricesimotertio ad edictum scribit.

XII. PAVLVS lib. XIII. ad edictum.

Qvo casu ad prætorem pertinebit in eo forsitan solo, vt si possit dies compromissi proferri, proferatur.

XIII. VLPIANVS lib. XIII. ad edictum.

Pomponius ait, & si alteri acceptò lata pœna sit compromissi: non debere eum compelli sententiam dicere.

Licet de controuersiis vnius partis tantum sit compromissum, arbiter non cogitur sententiam dicere: si ab vna tantū parte pœna promissa est: etiam si actor fuerit stipulatus. Bartolus.

Idem

Idem Pomponius scribit. Si de meis solis controuersiis sit compromissum, & de te pœnam sim stipulat⁹: videndum, ne non sit compromissum. sed cui rei moueatur, non video. nam si ideo, quia de vnius controuersiis solùm compromissum sit, nulla ratio est. licet enim & de vna re compromittere. si verò, quia ex altera dumtaxat parte stipulatio interuenerit, est ratio: tanquàm si petitor sit, qui stipulatus est, possit dici plenum esse compromissum: quia is, qui conuenitur, tutus est pacti exceptione: is verò qui conuenit, si arbitrio non pareatur, habet stipulationem. Sed id verum esse non puto. neque enim sufficit exceptionem habere, vt arbiter sentẽtiam dicere cogatur. Recepisse autem arbitrium videtur (vt Pedius libro nono dicit) qui iudicis partes suscepit, finemq́ue se sua sententia controuersiis impositurũ pollicetur. Quod si (inquit) hactenus interuenit, vt experiretur, an consilio suo vel authoritate discuti litẽ paterentur: non videtur arbitrium recepisse. Arbiter ex compromisso his diebus non cogitur sententiam dicere, quibus iudex non cogeretur, nisi dies compromissi exitura sit, nec proferri possit. Proinde si fortè vrgeatur à prætore ad sententiam: æquissimum erit, si iuret sibi de caussa nondum liquere, spacium ei ad pronunciandum dari.

XIIII. POMPONIVS *lib.* XI. *ad Q. Mutium.*

SEd si compromissum sine die confectum est: necesse est arbitro, omnimodo diem statuere, partibus consentientibus, & ita demum caussam disceptare. quod si hoc prætermissum sit: omni tempore cogendus est sententiam dicere.

XV. VLPIANVS *lib.* XIII. *ad edictum.*

LIcet autem prætor districtè dicat, sententiam se arbitrum dicere coacturum: attamen interdum rationem eius habere debet, & excusationem recipere, caussa cognita: vtputa si fuerit infamatus à litigatoribus: aut si inimicitiæ capitales inter eum & litigatores, aut alterum ex litigatoribus intercesserint: aut si ætas, si valetudo, quæ postea contingit, id ei munus remittat: aut occupatio negociorum propriorum, vel profectio vrgens,

aut munus aliquod reipublicæ caussa.& id Labeo.

XVI. PAVLVS *lib.* XIII. *ad edictum.*

AVt si qua alia incommoditas ei post arbitrium susceptum incidat. Sed in caussa valetudinis similibúsve, caussa cognita differre cogitur. Arbiter iudicij sui nomine, quod publicum vel priuatum habet, excusatus esse debet à compromisso: vtique si dies compromissi proferri non potest. Quòd si potest: quare non cogat eum, cùm possit proferre? quod sine vlla districtione ipsius interdum futurum est. Si tamen vterque velit eum sententiam dicere: an (quamuis cautum non sit de die proferenda) non aliâs impetret (quia iudicium habet, ne cogatur) quàm si consentiat denuo in se compromitti? hæc si dies exitura est, D

XVII. VLPIANVS *lib.* XIII. *ad edictum.* E

ITem si vnus ex litigatoribus bonis suis cedat. Iulianus libro quarto digestorum scribit, non esse cogendum arbitrum sententiam dicere: cùm neque agere, neque conueniri possit. Si multò post reuertantur ad arbitrum litigatores: non esse cogendum sententiam dicere, Labeo scribit. Item si plures sunt, qui arbitrium receperunt: nemo vnus cogendus erit sententiam dicere: sed aut omnes, aut nullus. Inde Pomponius libro tricesimotertio ad edictũ quærit: si ita sit compromissum, vt quod Titio disceptatori placet, id Seius pronunciet: quis sit eorum cogendus? Et puto tale arbitrium non valere, in quo libera facultas arbitri sententiæ futura non est. Sed si ita sit compromissum, arbitratu Titij aut Seij fieri. Pomponius scribit, & nos putamus compromissum valere: sed is erit cogendus sententiam dicere, in quem litigatores consenserint. Si in duos fuerit compromissum: sic vt si dissentirent, tertium adsumant: puto tále compromissum non valere. Nã & in adsumendo possunt dissentire. Sed si ita sit, vt tertius adsumeretur. Sẽpronius: valet compromissum, quoniam in adsumendo dissentire non possunt. Principaliter tamen, si in duos arbitros sit compromissum: non debet prætor eos cogere sententiam dicere: quia res ferè sine exitu futura est, propter naturalem hominum ad dissentiendum facilitatem. F

tem. In impari enim numero idcirco compromissum admittitur: non quoniam consentire omnes facile est, sed
A quia (& si dissentiant) inuenitur pars maior, cuius arbitrio stabitur. Sed tamen vsitatum est etiam in duos compromitti: & debet prætor cogere arbitros, si non consentiant, tertiam personam certam eligere, cuius authoritati pareatur.

Duo possunt iudicare contradicente tertio, vel tacente: secus eo absente. Idem in duobus iudicibus contradicente tertio: dum tamen omnes iudicent. Bart.

Celsus quoque libro tertio digestorum scribit: si in tres fuerit compromissum, sufficere duorum cõsensum, si præsens fuerit & terti⁹: alioquin absente eo, licet duo consentiant, arbitrium non valere: quia in plures fuit
B compromissum, & potuit præsentia eius trahere eos in aliam sententiam.

XVIII. POMPONIVS *lib.* XVII. ἐπιστολῶν.

SIc & tribus iudicibus datis, quod duo ex consensu, absente tertio, iudicauerunt: nihil valet. quia ita demum quod maior pars omnium iudicauit, ratum est: cũ & omnes iudicasse palàm est.

XIX. PAVLVS *lib.* XIII. *ad edictum.*

QValem autem sententiam dicat arbiter, ad prætorem non pertinere, Labeo ait: dũmodo dicat, quod ipsi videtur. Et ideo si sic fuit in arbitrũ cõpromissum, vt certam sententiam dicat: nullum esse ar-
C bitrium, nec cogendum sententiam dicere, Iulianus libro quarto digestorum scribit.

Sententia dicta videtur quando per eam à tota lite disceditur. Item interlocutoria potest mutari: diffinitiua vero non potest mutari: nec ex caussa corrigi errores. Bart.

Dicere autem sententiam existimamus eum, qui ea mente quid pronunciat, vt secundum id discedere eos à tota controuersia velit. Sed si de pluribus rebus sit arbitrium receptum: nisi omnes controuersias finierit, nõ videtur dicta sententia, & adhuc erit à prætore cogendus. Vnde videndum erit, an mutare sententiam possit. & aliâs quidẽ est agitatum, si arbiter iussit dari, mox vetuit: vtrum eo quòd iussit, an eo quòd vetuit, stari

debeat.

debeat. Et Sabinus quidem putauit posse, Cassius verò sententiam magistri sui bene excusat. Et ait de ea sententia Sabinum non sensisse, quæ arbitrium finiat, sed de præparatione caussæ: vtputa si iusserit litigatores Kalendis adesse, mox Idibus iubeat. nam mutare eum diem posse. Cæterùm si condemnauit, vel absoluit: quando arbiter esse desierit, mutare sententiam non posse. D

XX. CAIVS *lib. V. ad edictum prouinciale.*

Quia arbiter, & si errauerit in sententia dicéda, corrigere eam non potest.

Non videtur dicta sententia, si forma compromissi non est seruata. Bart.

XXI. VLPIANVS *lib. XIII. ad edictum.*

Quid tamen, si de pluribus controuersiis sumptus est, nihil sibi communibus: & de vna sententiam dixit, de aliis nondum? nunquid desiit esse arbiter? Videamus igitur, an in prima controuersia possit mutare sententiam, de qua iam dixerat. Et multum interest, de omnibus simul vt dicat sentétiam, compromissum sit, an non. nam si vt de omnibus: poterit mutare. nondum enim dixit sententiam. Quòd si vt separatim: quia plura sunt compromissa, & ideo (quantum ad illam controuersiam pertinet) arbiter esse desiit. Si arbiter ita pronunciasset, nihil videri Titium debere Seio: tametsi Seium non vetuisset petere, tamen si quid petisset, videri contra sententiam arbitri fecisse: & id Ofili[9] & Trebatius responderunt. Solutioni diem posse arbitrum statuere puto: & ita etiam Trebatius videtur sentire. Pomponius ait, inutiliter arbitrum incertam sententiam dicere: vtputa quantum ei debes, redde: diuisioni vestræ stari placet: pro ea parte, quam creditorib[9] tuis soluisti, accipe. E F

Arbiter non potest pronunciare super pœna. Bart.

Item si arbiter pœnam ex compromisso peti vetuerit: in libro tricesimotertio apud Pomponium scriptum habeo, non valere, & habet rationem: quia non de pœna compromissum est.

Si per arbitrum stet quò minus daretur sententia: cogitur pati de nouo

nouo in se compromitti.Bart.

A Papinianus libro tertio quæstionum ait, si cùm dies compromissi finiretur, prolato die litigatores denuo in eum compromiserint, nec secundi compromissi arbitrium receperit: non esse cogendum recipere, si ipse in mora non fuerit, quò minus partibus suis fungeretur. Quòd si per eum factum sit: æquissimum esse, cogi eum à prætore sequens recipere. Quæ quæstio ita procedit: si nihil in priore compromisso de die proferendo cauebatur. Cæterùm si cauebatur, & ipse protulit: mansit arbiter. Plenum compromissum appellatur, quod de rebus controuersiisúe omnibus compositum est. nam ad omnes controuersias pertinet. sed si fortè de vna re sit disceptatio: licet plenum compromissum factum sit, tamen Martianus ex cæteris caussis actiones superesse ait. id enim venire in compromissum, de quo actum sit, vt veniret. Sed est tutius, si quis de certa re compromissum facturus sit, de ea re sola exprimere. Non debent autem in compromisso obtemperare litigatores, si arbiter aliquid inhonestum iusserit. Si intra diem compromissi aditus arbiter, post diem compromissi adesse iusserit: pœna non committitur.

Impeditus ex iusta caussa contra petitionem pœnæ est tutus exceptione. si paratus est denuo compromittere.Bart.

C Si quis ex litigatoribus ideo non adfuerit, quòd valetudine, vel reipublicæ caussa absentia impeditus sit, aut magistratu, aut alia iusta caussa: pœnam committi Proculus & Atilicinus aiunt. Sed si paratus sit in eundem compromittere: actionem denegari, aut exceptione tutum fore. Sed hoc ita demum verum erit, si arbiter recipere in se arbitrium fuerit paratus. nam inuitum non esse cogendum, Iulianus libro quarto digestorum rectè scribit. ipse autem nihilominus pœna absoluitur.

In ea ciuitate est ferenda sententia in dubio, in qua factum est compromissum: vel in continentibus ædificiis secundum qualitatem personarum. Item citatio facta ad locum inhonestum non arctat citatum.Bart.

Si arbiter iusserit (puta) in prouincia adesse litigatores,

res, cùm Romæ esset in eum compromissum: an ei impunè non pareatur, quæritur. Et est verius, quod Iulianus ait libro quarto: eum locum compromisso inesse, de quo actum sit, cùm cõpromitteretur. Impunè igitur ei nõ parebitur, si alio loco adesse iusserit. Quid ergo, si nõ appareat, de quo loco actum sit? melius dicetur eũ locum contineri, vbi compromissum est. Quid tamen, si eò loci, qui sit circa vrbem, adesse iusserit? Pegasus admittit valere iussum. Quod puto verum esse, si eius sit authoritatis arbiter: vel in secessibus soleat agere, & litigatores facilè eò loci venire possint. Sed & si in aliquẽ locum inhonestum adesse iusserit, puta in popinam, vel lupanarium: sine dubio (vt Iulianus ait) impunè ei non parebitur. quã sentẽtiam & Celsus libro secundo digestorum probat. Vnde eleganter tractat: si is sit locus, in quem alter ex litigatoribus honestè venire non possit, alter possit: & is non venerit, qui sine sua turpitudine eò venire possit, & is venerit, qui inhonestè venerat: an cõmittatur pœna compromissi, quasi non præbita opera. & rectè putat, nõ committi. absurdum enim esse, iussum in alterius persona ratum esse, in alterius non. D E

Vbi est pœna, & non dies: admittitur purgatio moræ vsque ad litem contestatam, vbi verò est pœna & dies, moræ purgatio non admittitur de necessitate: sed si sponte receperit, petitio pœnæ tollitur. Bartolus.

† Intra quantum autem temporis, nisi detur, quod arbiter iussit, committatur stipulatio, vidẽdum est. Et si quidem adiectus dies non sit: Celsus scribit libro secundo digestorum, inesse quoddam modicũ tempus: quod vbi præterierit, pœna statim peti possit. vt tamen (inquit) si dederit ante acceptum iudicium, agi ex stipulatu non possit. F

XXII. PAVLVS *lib.* XIII. *ad edictum.*

VTique nisi eius interfuerit, tunc solui.

XXIII. VLPIANVS *lib.* XIII. *ad edictum.*

CElsus ait, si arbiter intra Kalendas septembris dari iusserit, nec datum erit: licet postea offeratur, attamẽ semel commissam pœnam compromissi nõ euanescere: quoniam semper verum est, intra Kalendas datum

tum non esse. Si autem oblatum acceperit: pœnam pe-
A tere non posse, aut doli exceptione remouendum. Contrà, vbi dumtaxat dari iussit.

Si casu vel facto creditoris steterit, quo minus intra diem pecunia soluatur, ex posteriori mora rei pœna committitur. Bartolus.

Idem ait, si iusserit me tibi dare, & valetudine sis impeditus, quò minus accipias, aut alia iusta caussa: Proculum existimare, pœnã non committi, nec si post Kalẽdas, te parato accipere, non dem. Sed ipse rectè putat; duo esse arbitri præcepta: vnum pecuniam dari, aliud intra Kalendas dari. licet igitur in pœnam non committas, quod intra Kalendas non dederis; quoniam per tè non steterit: tamen committis in eam partem, quòd non
B das. Idem ait, nihil aliud esse, arbitri sententiæ stare: quàm id agere (quantum in ipso sit) vt arbitri sententiæ pareatur. Idem Celsus ait, si arbiter me tibi certa die pecuniam dare iusserit, tu accipere noluisti: posse defendi ipso iure, pœnam non committi.

XXIIII. PAVLVS *lib.* XIII. *ad edictum.*

Sed si postea paratus ille sit accipere, non impunè me non daturum. non enim antè feceram.

Licet non valeat sententia: valet prorogatio diei. Item diem prorogare intelligitur cum omnibus qualitatibus præcedentibus: de quibus nihil potest mutare. Bartolus.

XXV. VLPIANVS *lib.* XIII. *ad edictum.*

C Labeo ait: si arbiter, cùm in compromisso cautum esset, vt in eadem die de omnibus sententiam diceret, & vt posset diem proferre: de quibusdam rebus dictã alioquin sententia, de quibusdam non dicta, diem protulit: valere prolationem diei, sententiæque eius posse impunè non pareri. & Pomponius probat Labeonis sententiam, quod & mihi videtur: quia officio in sententia functus nõ est. Hæc autẽ clausula DIEM COMPROMISSI PROFERRE, nullã aliam dat arbitro facultatem, quàm diem prorogandi. & ideo conditionem primi compromissi, neque minuere, neque mutare potest: & ideo cætera quoque discutere debet, & pro omnibus vnam sententiam ferre.

In prorogatione termini debent fideiussores iterum promittere: vel

vel alii similes adhiberi. Bartolus.

Sed si per fideiussores fuerit cautum in primo compromisso, & sequens similiter proferendum Labeo ait: sed Pomponius dubitat, vtrum iisdem, an & aliis tam idoneis. quid enim (inquit) si iidem fideiubere noluerint. sed puto, si fideiubere noluerint, tunc alios non absimiles adhibendos. D

XXVI. PAVLVS *lib.* XIII. *ad edictum.*

NE in potestate sit fideiussorum, postea se non obligantium, vt pœna committatur. Idemque & si decesserint.

XXVII. VLPIANVS *lib.* XIII. *ad edictum.*

DIem proferre vel præsens, vel per nuncium, vel per epistolam potest. E

Compromissum non transit ad hæredem nisi sit actum. Effectus autem sententiæ arbitri ad hæredem porrigitur. Bartolus.

Si hæredis mentio, vel cæterorum facta in compromisso non fuerit, morte soluetur compromissum. nec vtimur Labeonis sententia, qui existimauit: si arbiter aliquem pecuniam dare iusserit, & is decesserit, antequã daret: pœnam committi, licet hæres eius paratus sit offerre. Stari autem debet sententiæ arbitri, quam de re dixerit, siue æqua, siue iniqua sit: & sibi imputet, qui compromisit. Nam (vt diui Pij rescripto adiicitur) vel minus probabilem sententiam æquo animo ferre debet.

Si plures arbitri fuerint, & diuersas sententias dixerint, licebit sententiæ eorum non stari. sed si maior pars consentiat, ei stabitur: alioquin pœna committitur. Inde quæritur apud Iulianum, si ex tribus arbitris vnus quindecim, alius decem, tertius quinque condemnent, num sententiæ stetur? & Iulianus scribit, quinque debere præstari: quia in hanc summam omnes consenserunt. Si quis litigatorum defuerit: quia per eum factum est, quò minus arbitretur, pœna committetur. Proinde sententia quidem dicta non coram litigatoribus, non valebit: nisi in compromisso hoc specialiter expressum sit, vt vel vno, vel vtroque absente sentẽtia promatur. pœnam autem is, qui defuit, committit: quia per eum factũ est, quò minus arbitretur. Coram autem dicere sentẽtiam F

tiam videtur, qui eam ſapientibus dicit: cæterùm coram
A furioſo, vel demente non videtur dici. Item coram pupillo non videri ſententiam dictam, niſi tutor præſens fuerit: & ita de aliis omnibus, Iulianus libro quarto digeſtorum ſcribit. Et ſi quis præſens arbitrum ſententiam dicere prohibuit, pœna committitur. Sed ſi pœna non fuiſſet adiecta compromiſſo, ſed ſimpliciter ſententiæ ſtari quis promiſiſſet: incerti aduerſus eum foret actio.

XXVIII. PAVLVS *lib.* XIII. *ad edictum.*

NOn autem intereſt: certa, an incerta ſumma promiſſa ſit: vtputa quanti ea res erit:

B *Si ab eo petatur ad quem exceptio rei iudicatæ porrigitur: pœna compromiſſi committitur: aliàs ſecus.* Bartolus.

XXIX. VLPIANVS *lib.* XIII. *ad edictum.*

ADuerſus ſententiam arbitri fit, ſi petatur ab eo, à quo arbiter peti vetuit. Quid ergo, ſi à fideiuſſore eius petatur? an pœna committatur? & puto committi, & ita Sabinus ſcribit. nam τῇ δυνάμει à reo petitur. Sed ſi cum fideiuſſore compromiſi, & à reo petam: niſi interſit fideiuſſoris, pœna non committetur.

Is cuius facto ſoluitur compromiſſum, incidit in pœnam. Item *pœna quæ apponitur loco contemptus, poteſt peti vnà cum principali.* B.

XXX. PAVLVS *lib.* XIII. *ad edictum.*

SI quis rem, de qua compromiſſum ſit, in iudiciũ de-
C ducat: quidam dicunt, prætorem non interuenire, ad cogendum arbitrum ſententiam dicere: quia iam pœna non poteſt eſſe, atque ſi ſolutum eſt compromiſſum. Sed ſi hoc obtinuerit: futurum eſt, vt in poteſtate eius, quem pœnitet compromiſiſſe, ſit compromiſſum eludere. Ergo aduerſus eum pœna committenda eſt: lite apud iudicem ſuo ordine peragenda.

Sic quidem pœna compromiſſi habet in ſe tacitam conditionem, vt contra eius exactionem doli obiiciatur exceptio. Bartolus.

XXXI. VLPIANVS. *lib.* XIII. *ad edictum.*

ITa demum autem committitur ſtipulatio, cùm aduerſus eam quid fit: ſi ſine dolo malo ſtipulantis factum eſt. ſub hac enim conditione committitur ſtipulatio, ne quis doli præmium ferat. Sed & ſi quidem compromiſſo

adiiciatur,

adiiciatur, SI QVID DOLO IN EA RE FACTVM SIT: ex stipulatu conueniri, qui dolo fecit, potest. Et ideo siue arbitrum quis corrupit vel pecunia vel ambitione, vel aduocatum diuersæ partis, vel aliquẽ ex his, quibus caussam suam commiserat: siue aduersarium callidè circumuenit, & omnino si in hac lite dolo versatus est: locum habebit ex stipulatu actio. Et ideo si velit de dolo actionem aduersarius exercere: non debebit, cùm habeat ex stipulatu actionem. quòd si huiusmodi clausula in compromisso adscripta non est: tunc de dolo actio, vel exceptio locum habebit. Hoc autem compromissum plenum est, quod etiam doli habet mentionem. D

XXXII. PAVLVS *lib.* XIII. *ad edictum.* E

NOn distinguemus in compromissis: minor, an maior sit pœna, quàm res, de qua agitur. Non cogetur arbiter sententiam dicere, si pœna cõmissa sit. Si mulier alieno nomine compromittat, non erit pœna cõpromissa propter intercessionẽ. Summa rei est, vt prętor se non interponat: siue initio nullum sit compromissum: siue sit, sed pendeat, an ex eo pœna exigi possit: siue postea deficiat pœna, compromisso soluto die, morte, acceptilatione, iudicio, pacto. Sacerdotio obueniente, videbimus, an cogatur arbiter sententiam dicere. Id enim non tantùm honori personarum, sed & maiestati dei indulgetur, cuius sacris vacare sacerdotes oportet. Cæterùm si postea suscepit: iste quoque omnimodo sententiam ferre debet. Item non est cogendus, si de negocio transactum est, vel homo mortuus est, de quo erat compromissum: nisi si posteriore casu aliquid litigantium intersit. F

De caussa meri & misti imperii, vel de caussa status non potest compromitti. Bartolus.

Iulianus indistinctè scribit: si per errorem de famoso delicto ad arbitrum itum est, vel de ea re, de qua publicum iudicium cõstitutum sit (veluti de adulteriis, sicariis, & similibus) vetare debet prætor sententiam dicere, nec dare dictæ executionem. De liberali caussa compromisso facto, rectè non compelletur arbiter sententiam

tentiam dicere: quia fauor libertatis est, vt maiores iudices habere debeat. Eadem dicenda sunt, siue de ingenuitate, siue de libertinitate quæstio sit: & si ex fidei cõmissi caussa libertas deberi dicatur. Idem dicendum est in populari actione. Si seruus compromiserit, nõ cogendum dicere sententiam arbitrum: nec si dixerit, pœnæ exsecutionem de peculio dandam, putat Octauenus. Sed an, si liber cũ eo cõpromiserit, exsecutio aduersus liberũ detur, videamus. sed magis est, vt non detur.

A

Legatus tẽpore legationis cogitur coram arbitro litigare illis casibus quibus coram iudice ordinario cogeretur: & non aliter. Bar.

Item si quis Romæ cõpromiserit, mox Romã in legationem venerit: nõ est cogendus arbiter sententiam dicere: nõ magis, quàm cogeretur, si litem antè cõtestatus esset, nunc eã exercere. nec interest, tunc quoq; in legatione fuerit, an nõ. Sed si in legatione cõpromittat, puto cogendũ arbitrum sentẽtiam dicere: quia & si iudicium spontè accepisset, cogeretur peragere. Sunt tamẽ, qui de isto nõ rectè dubitant. qui vtiq; nullo modo dubitabũt, si de ea re in legatione cõpromisit, quã in legatione cõtraxit: quia & iudiciũ eo nomine accipere cogeretur. Illud in prima specie potest dispici: an si antea cõpromisit legatus, cogẽdus sit arbiter sententiã dicere, si ipse legatus postulet. quod prima ratione poterit videri iniquũ, vt in ipsius potestate sit. sed hoc tale erit, quale si actionẽ velit dictare, quod facere ei licet. Sed cõpromissum cõparauimus ordinariæ actioni: vt nõ aliâs audiatur desiderans, vt arbiter sentẽtiam dicat, quàm si se defendat. Si is faciat controuersiam hæreditatis, qui cum defuncto cõpromiserat: futurũ est præiudiciũ hæreditati, si arbiter sententiam dicat. ergo interea inhibẽdus est arbiter. Dies compromissi proferri potest, nõ ex conuentione, sed cũ iussu arbitri eam proferri necesse est, ne pœna cõmittatur. Si arbiter sese cælare tentauerit, prætor eum inuestigare debet: & si diu nõ apparuerit, multa aduersus eum indicenda est.

B

C

Dictio quilibet, distribuit actum in quemlibet separatim: dictio omnis coniunctum. Bartolus.

Cùm in plures cõpromissum est, ea cõditione, vt quã

quilibet vel vnus sententiã dixisset, ei staretur: absentibus cæteris, nihilominus qui præsens est, cogetur. At si ea cõditione, vt omnes dicãt, vel quod de maioris partis sentẽtia placuerit: nõ debet singulos separatim cogere. quia singulorũ sentẽtia ad pœnam nõ facit. Cùm quidam arbiter ex aliis caussis inimicus manifestè apparuisset: testationibus etiã conuẽtus, ne sententiam diceret: nihilominus, nullo cogente, dicere perseuerasset: libello cuiusdã id quærentis Imperator Antoninus subscripsit, posse eum vti doli mali exceptione. Et idem cùm à iudice cõsuleretur, apud quem pœna petebatur, rescripsit: etiam si appellari nõ posset, doli mali exceptionem in pœnæ petitionem obstaturam. per hanc ergo exceptionem quædam appellandi species est, cùm liceat retractare de sententia arbitri. D E

Arbiter nihil potest vltra illud quod est sibi in compromisso concessum. Bartolus.

De officio arbitri tractantibus, sciendum est, omnem tractatum ex compromisso sumendum. nec enim aliud illi licebit, quàm quod ibi, vt efficere possit, cautum est. non ergo quidlibet statuere arbiter poterit, nec in qua re libet: nisi de qua re compromissum est, & quatenus compromissum est.

Arbiter debet dicere sententiam per quam lis finiatur: nec potest per aliũ delegare: nisi hoc sibi commissum fuerit. Bartolus.

Quæsitum est de sententia dicenda. & dictum est, non in quolibet: licet à quibusdam variatũ sit. & puto de re non cõmitti: si dicat, ad iudicẽ de hoc eundũ, vel se, vel aliũ: vel etiã in alium cõpromittendũ. Nam & Iulianus impunè ait ei nõ pareri, si iubeat ad aliũ arbitrũ iri, ne finis nõ sit. sed nec si hoc modo dixerit: vt arbitrio Publij Mæuij fundus tradat, aut satisdatio detur: parendũ esse sententiæ. Item Pedius probat: ne propagẽtur arbitria, aut in alios, interdum inimicos agentium, trãsferãtur: sententia sua finem controuersiæ eum imponere oportere. nõ autem finiri controuersiam, cùm aut differatur arbitrium, aut in alium transferatur: partemq; sententiæ esse, quemadmodum satis ei detur, quibusque fideiussoribus: idque delegari non posse, nisi ad hoc cõ- F

promissum

promiſſum ſit: vt arbiter ſtatueret, cuius arbitratu ſatiſdaretur. Item ſi iubeat, ſibi alium coniungi: cùm id in
A cōpromiſſo non ſit, non dicit ſententiam. Nam ſententia eſſe debet de re cōpromiſſa. de hoc autem compromiſſum non eſt. Si domini, qui inuicem ſtipulati ſunt, per curatores ſuos agere apud arbitrum velint: poteſt iubere ipſos etiam adeſſe. Sed & ſi hæredis in compromiſſo mentio fit: poteſt iubere etiam hæredem eorum adeſſe. Arbitri officio continetur, & quemadmodum detur vacua poſſeſſio. An & ſatis rem ratam dominum habiturum? Sextus Pedius putat, quòd nullam id rationem habeat. nam & ſi ratum non habeat dominus: committetur ſtipulatio. Arbiter nihil extra compromiſſum facere poteſt. Et ideo neceſſarium eſt, adiici de die
B compromiſſi proferenda: cæterùm impunè iubenti non parebitur.

XXXIII. PAPINIANVS *lib.* I. *Quæſtionum.*

ARbiter ita ſumptus ex compromiſſo, vt & diem referre poſſit: hoc quidem facere poteſt, proferre autem contradicentibus litigatoribus non poteſt.

Si ſententia per arbitrum fertur pro vel contra vnum ex duob' reis, ſi ab altero petitur, vel contra alterum, pœna committitur ſi ſocii ſunt: aliàs ſecus. Bartolus.

XXXIIII. PAVLVS *lib.* XIII. *ad edictum.*

SI duo rei ſint aut credendi aut debendi, & vnus cō-
C promiſerit, isq́; vetitus ſit petere, aut ne ab eo petatur: videndum eſt, an ſi alius petat, vel ab alio petatur, pœna committatur. Idem in duobus argentariis, quorũ nomina ſimul erunt. & fortaſſe poterimus ita fideiuſſoribus coniungere, ſi ſocij ſint: aliâs nec à te petitur, licet ego petam: nec meo nomine petitur, licet à te petatur.

Semel commiſſa pœna, ſolui compromiſſum rectius puto dici: nec amplius poſſe committi, niſi id actum ſit, vt in ſingulas cauſſas toties committatur.

XXXV. CAIVS *lib.* V. *ad edictum prouinciale.*

SI pupillus ſine tutoris authoritate compromiſerit, non eſt arbiter cogendus pronunciare: quia & ſi cōtra eum pronunciatur, pœna non tenetur: præter quàm ſi fideiuſſorem dedit, à quo pœna peti poſſet: idq́ue

& Iulianus ſentit.

Sententia lata cogente Pratore die feriata ob neceſsitatem hominum valet. ſecus Pratore non cogente: niſi hoc ſit actum. Bartolus. D

XXXVI. VLPIANVS *lib.* XXVII. *ad edictum.*

SI feriatis diebus cogēte prætore arbiter dicat ſentētiam, & petatur ex cōpromiſſo pœna: exceptionē locum nō habere conſtat: niſi aliqua lege eadem feriata, in qua ſententia dicta eſt, fuerit excepta.

XXXVII CELSVS *lib.* II. *Digeſtorum.*

QVamuis arbiter alterū ab altero petere vetuit: ſi tamē hæres petit, pœnā cōmittet. nō enī differēdarū litiū cauſſa, ſed tollēdarū ad arbitros itur.

In pœnis non inſpicimus intereſſe quando offenditur is, cui principaliter eſt promiſſa. Bartolus. E

XXXVIII. MODESTINVS *lib.* VI. *Differētiarū.*

CVm pœna ex compromiſſo petitur, is qui compromiſit, damnandus eſt: nec intereſt, an aduerſarij eius interfuerit, arbitri ſententiæ ſtari, necne.

Arbiter poteſt multare contumacem, ſi hoc fuit ſibi conceſſum, niſi aliquid iniuſtum præciperet. Bartolus.

XXXIX. IABOLENVS *lib.* XI. *ex Caſſio.*

NOn ex omnibus cauſſis, ex quibus arbitri ſententiæ paritum non eſt, pœna ex compromiſſo committitur: ſed ex his dūtaxat, quæ ad ſolutionem pecuniæ, aut operam præbendam pertinent. Siquidem & contumaciam litigatoris arbiter punire poterit, pecuniam eum aduerſario dare iubendo. Quo in numero haberi non oportet, ſi teſtium nomina ex ſententia arbitri exhibita non ſint. Cùm arbiter diem compromiſſi proferri iuſſit, cùm hoc ei permiſſum ſit: mora alterius ad pœnā committendam prodeſt. F

Qui non venit eo tempore quo venire non expediebat, contumax non cenſetur. Bartolus.

XL. POMPONIVS *lib.* XI. *ex variis lectionibus.*

ARbiter Kalendis Ianuariis adeſſe iuſſit, & ante eū diem deceſſit. alter ex litigatoribus non adfuit. proculdubio pœna minimè commiſſa eſt. Nam & Caſſium audiſſe ſe dicentem Ariſto ait: in eo arbitro, qui ipſe nō veniſſet, non eſſe commiſſam. Quem ad modum

Seruius

Seruius ait: si per stipulatorem stet, quo minus accipiat, non committi pœnam.

A *Minor viginti annis non potest esse arbiter. Bartolus.*

XLI. CALLISTRATVS. *lib.* I. *edicti monitorii.*

Cvm lege Iulia cautum sit, ne minor viginti annis iudicare cogatur: nemini licere minorem viginti annis compromissarium iudicem eligere, ideoq; pœnam ex sententia eius nullo modo committi. Maiori tamen viginti annis, si minor vigintiquinq; sit: ex hac caussa succurrendum, si temerè auditorium receperit, multi dixerunt.

Sententia arbitri super pœna non valet etiam si fisco sit inferenda: sed super alio sententia remanet firma, & compromissi pœna committitur. Bartolus.

B XLII. PAPINIANVS *lib.* II. *Responsorum.*

Arbiter intra certũ diem seruos restitui iussit: quibus non restitutis, pœnæ caussa fisco secundum formam compromissi condemnauit. ob eam sententiam fisco nihil adquiritur: sed nihilominus stipulationis pœna committitur, quòd arbitrio statuto non sit obtemperatum.

Si compromissum est generale, petitio generalis, prosecutio specialis, sententia generalis: si non prosecuta petatur, pœna non committitur: nisi malitiosè prosecutio fuerit omissa. Bartolus.

XLIII. SCAEVOLA. *lib.* I. *Responsorum.*

C De rebus controuersiisque omnibus compromissum à Lucio Titio & Mæuio Sempronio factum est: sed errore quædam species in petitione à Lucio Titio ductæ non sunt, nec arbiter de his quicquam pronũciauit. quæsitum est, an species omissæ peti possunt. Respondit peti posse, nec pœnam ex compromisso committi. quod si malignè hoc fecerit: petere quidem potest, sed pœnæ subiugabitur.

In iis quæ habent caussam successiuam: non sufficit ab initio factum nisi perseuerantia subsequatur. Bartolus.

XLIIII. IDEM *lib.* II. *Digestorum.*

Inter Statillianum & Seium cõtrouersia de finib⁹ orta est: & arbiter electus est, vt arbitratu eius res termi netur. ipse sententiã dixit præsentib⁹ partibus, & termi-

nos posuit. Quęsitũ est, an si ex parte Statilliani arbitrio paritũ nõ esset, pœna ex cõpromisso commissa esset? Respondi. si in eo, quod vtroq; pręsente arbitratus est, arbitro paritũ non esset: pœnam commissam. D

XLV. VLPIANVS *lib.* XXV. *ad Sabinum.*

IN compromissis arbitrium personæ insertum, personam non transgreditur.

XLVI. PAVLVS *lib.* XII. *ad Sabinum.*

DE his rebus, & cõtrouersiis, & rationibus iudicare arbiter potest: quæ ab initio fuerunt inter eos, qui cõpromiserunt, non quæ postea superuenerunt.

Si compromissum transeat in pupillum vel furiosum: præsentia tutoris vel curatoris requiritur. Bartolus.

XLVII. IVLIANVS *lib.* IIII. *Digestorum.* E

SI compromissum ita factum sit, vt præsente vtroque, aut hæredibus eorum arbiter sententiam dicat: & alter ex litigatoribus decesserit, hærede pupillo relicto: non aliter videtur senten tia dicta esse, nisi tutoris authoritas interposita fuerit. Item si alter ex compromittentibus furere cœperit,

XLVIII. MODESTINVS *lib.* IIII. *Regularum.*

ARbiter ad ferendã sententiam non compellitur.

XLIX. IVLIANVS *lib.* IIII. *Digestorum.*

SEd & interpellatur, quò minus sentẽtiam dicat: quia nihil corã furioso fieri intelligit. Quòd si furiosus curatoré habeat, vel habuerit adhuc litigio pẽdente: potest quidem præsente curatore sententia dici. Arbiter adesse litigatores vel per nunciũ, vel epistolam iubere potest. Si ab altera dũtaxat parte hæredis mentio comprehensa fuerit, cõpromissum soluetur morte cuiusuis ex litigatoribus: sicut solueretur altero mortuo, si neutrius hæredis persona comprehenderetur. F

Si arbiter iubet vltra quàm possit, impunè sibi non paretur.

L. ALFENVS *lib.* VI. *Digestorum.*

ARbiter ex compromisso sumptus, cum ante eum diem, qui compromisso constitutus erat, sentẽtiam dicere non posset: diem compromissi proferri iusserat. alter ex litigatoribus dicto audiens non fuerat. consulebatur, posséte ab eo pœna ex compromisso peti? respondi

ſpondi, non poſſe: ideo quòd non eſſet arbitro in cõpro-
A miſſo permiſſum, vt id iuberet.

In re ſua nemo poteſt eſſe arbiter. Bartolus.

LI. MARTIANVS *lib.* II. *Regularum.*

SI de re ſua quis arbiter factus ſit, ſententiam dicere nõ poteſt: quia ſe facere iuberet, aut parere prohiberet. neque autem imperare ſibi, neque prohibere quiſquam poteſt.

LII. IDEM *lib.* IIII. *Regularum.*

SI quis ab arbitro iuſſus eſt ex cõpromiſſo ſoluere pecuniam, & moram fecit: pœnam ex compromiſſo debet. ſed poſtea ſoluendo, pœna liberatur.

B NAVTAE, CAVPONES, STABVlarij, *ut recepta reſtituant.* Tit. IX.

VLPIANVS *lib.* XIII. *ad edictum.*

It Prætor. NAVTAE, CAVPONES, STABVLARII, QVOD CVIVSQVE SALVVM FORE RECEPERINT, NISI RESTITVANT, IN EOS IVDICIVM DABO. Maxima vtilitas eſt huius edicti: quia neceſſe eſt plerunque eorum fidem ſequi, & res cuſtodiæ eorum committere. Nec quiſquam putet, grauiter hoc aduerſus eos conſtitutum. nam eſt in ipſorum arbitrio, ne quæquam recipiant†. Et niſi hoc eſſet ſtatutum: materia daretur, cum furibus aduerſus eos, quibus recipiunt, coëundi: cùm ne nunc quidem abſtineant huiuſmodi fraudibus. Qui ſint igitur, qui teneantur, videndum eſt. & ait prætor, NAVTAE. Nautam accipere debemus eum, qui nauem exercet. quamuis nautæ appellantur omnes, qui nauis nauigandæ cauſſa in naui ſunt: ſed de exercitore ſolummodo prætor ſentit. neque enim debet (inquit Pomponius) per remigem, aut meſonautam obligari: ſed per ſe, vel nauis magiſtrum: quanquam ſi ipſe alicui è nautis committi iuſſit, ſine dubio debeat obligari. Et ſunt quidam in nauibus, qui cuſtodiæ gratia nauibus præponuntur, vt ναυφύλακες. Si quis igitur ex his receperit, puto in exercitoré dãdam actionem: quia is, qui eos huiuſmodi officio præponit, cõmitti eis

†In hanc ſententiam pulchrè Ci. in Verrem Acti. 4.

t iiij

ti eis permittit: quanquã ipse vel nauicularius, vel magister id faciat, quod Græci χειρέμβολον appellãt. sed & D si hoc non exstet, tamen de recepto nauicularius tenebitur. De exercitoribus ratium, item lyntrariis nihil cauetur: sed idem constitui oportere, Labeo scribit, & hoc iure vtitur. Caupones autẽ & stabularios, eque eos accipimus, qui cauponam vel stabulum exercent, institorésve eorũ. Cæterùm si quis opera mediastini fungitur, non continetur: vtputa atriarij, & focarij, & his similes.

Caupones an reip. vtiles, Plato dial. II. de legib.

Ait prætor, QVOD CVIVSQVE SALVVM FORE RECEPERINT: hoc est, quãcunq; rem, siue mercem receperint. Inde apud Iulianum relatum est, ad eas quoq; res hoc edictum pertinere, quę mercibus accederent: veluti vestimenta, quibus in nauibus vterentur, & E cætera, quę ad quotidianũ vsum habemus. Item Pomponius libro tricesimoquinto scribit: parui referre, res nostras, an alienas intulerimus: si tamẽ nostra intersit, saluas esse. Etenim nobis magis, quàm quorum sunt, debent solui. & ideo si pignori merces accepero: mihi magis, quàm debitori nauta tenebitur, si à me eas susceperit. Recipit autẽ saluum fore, vtrũ si in nauem res missę ei adsignatę sunt: an & si non sunt adsignatæ, hoc tamẽ ipso, quod in nauẽ missæ sunt, receptæ videntur? Et puto omniũ eum recipere custodiam, quæ in nauim illatæ sunt: & factum non solùm nautarum præstare debere, sed & vectorum.

II. CAIVS *lib. V. ad edictum prouinciale.*

SIcut & caupo viatorum. F

III. VLPIANVS *lib. XIII. ad edictum.*

ET ita de facto vectorũ etiam Pomponius libro tricesimoquinto scribit. Idem ait, etiã si nondũ sint res in nauẽ receptæ, sed in littore perierint, quas semel recepit: periculum ad eum pertinere. Ait enim prætor, NISI RESTITVANT, IN EOS IVDICIVM DABO. Ex hoc edicto in factũ actio proficiscitur. sed an sit necessaria, videndũ: quia agi ciuili actione ex hac caussa poterit. Siquidẽ enim merces interuenerit, ex locato & conducto. & si tota nauis locata sit: qui cõduxit, ex cõducto etiã de rebus, quæ desunt, agere potest. Si verò res perferẽdas nauta cõduxit, ex locato conuenietur.

Sed

Sed si gratis res susceptæ sunt,ait Pōponius, depositi a-
A gi potuisse. Miratur igitur, cur honoraria actio sit indu-
cta,cū sint ciuiles.Nisi forte(inquit)ideo,vt innotesce-
ret,prætorē curā agere reprimēdæ improbitatis hoc ge-
nus hominū:quia in locato& cōducto culpa,in deposito
dolus dumtaxat præstatur: at hoc edicto omnimodo qui
recepit tenetur,etiā si sine culpa eius res perierunt, vel
damnū datum est:nisi si quid dāno fatali cōtigerit. Inde
Labeo scribit,si quid naufragio,aut per vim piratarū pe
riit,aut damnū datū est:non esse iniquum exceptionē ei
dari.Idem erit dicendum,& si in stabulo aut in caupona
vis maior cōtigerit. Eodē modo tenentur & caupones
& stabularij,si quod exercentes negociū suum recipiūt.
Cæterū si extra negociū receperint:non tenebūtur. Si
B filiusfamiliâs aut seruus receperit,& volūtas patris do-
minįve interuenerit:insolidū erit cōueniendus. Item si
seruus exercitoris subripuit,vel damnum dedit:noxalis
actio cessabit,quia ob receptū dominus suo nomine con
uenitur.Si verò sine volūtate exerceant,de peculio dabi
tur. Hæc autem actio rei persecutionem continet, vt
Pomponius ait:& ideo in hæredem & perpetuò datur.

Quando competunt alicui plures actiones quarum vna est de iu re communi, & alia de iure speciali, vna tollitur per aliam quatenus in ea plus est. Bartolus.

Nouissimè videndū,an eiusdem rei nomine,& de re-
C cepto honoraria actione,& furti agendum sit. Et Pōpo-
nius dubitat.sed magis est, vt vel officio iudicis,vel do
li exceptione alterutra contentus esse debeat.

IIII. PAVLVS *lib.* XIII. *ad edictum.*

Sed & ipsi nautę furti actio cōpetit,cuius sit periculo: nisi ipse subripuit,& postea ab eo subripiatur: aut alio subripiente, ipse nauta soluendo non sit. Si nauta nautæ,stabularius stabularij, caupo cauponis res receperit:æquè tenebitur.Viuianus dixit, etiam ad eas res hoc edictum pertinere,quæ post impositas merces in nauem collocatásque inferentur,& si earum vectura non debetur(vt vestimentorum,penoris quotidiani)quia hęc ipsa cæterarum rerum locationi accedunt.

V. CAIVS *lib.* V. *ad edictum prouinciale.*

Nauta,

NAuta,& caupo,& stabularius mercedem accipiunt, nō pro custodia: sed nauta vt traiiciat vectores, caupo vt viatores manere in caupona patiatur, stabularius vt permittat iumenta apud eum stabulari: & tamē custodiæ nomine tenētur. Nam & fullo & sarcinator non pro custodia, sed pro arte mercedem accipiunt: & tamen custodiæ nomine ex locato tenentur. Quæcūque de furto diximus, eadē & de damno debent intelligi. non enim dubitari oportet, quin is, qui saluum fore recipit: non solum à furto, sed etiam à damno recipere videatur. D

VI. PAVLVS *lib.* XIII. *ad edictum.*

LIcet gratis nauigaueris, vel in cauponā gratis diuerteris: non tamen actiones tibi in factum denegabuntur, si damnum in iniuria passus es. Si seruo meo in naui vel in caupona vtaris, & damnū mihi det, vel furtum faciat: quanquam furti actio, & damni iniuriæ mecum sit noxalis: hæc tamen actio, quæ in factum est, etiam serui mei nomine aduersus te cōpetit. Idem dicetur, & si communis seruus sit: tu tamē, quod mihi præstiteris eius nomine, vel communi diuidūdo, vel pro socio actione: aut si partem eius, vel totum conduxisti, etiam ex conducto habebis me obligatum. Sed si damnum in eo datum sit ab alio, qui in eadē naui vel caupona est: cùm id factum prætor æstimare soleat, non putat Pomponius eiusdem nomine hanc actionē vtilem futuram. In factum actione caupo tenetur pro his, qui habitādi caussa in caupona sunt. hoc autem non pertinet ad eum, qui hospitio repentino recipitur, veluti viator. Possumus autē furti vel damni iniurię actione vti, etiam cum nautis, vt certi hominis factum arguamus: sed vna contenti esse debemus. Et si cum exercitore egerimus, præstare ei debemus actiones nostras: quamuis ex conducto actio aduersus eos competat exercitori. Sed si absolutus sit exercitor hac actione, deinde agatur cum nauta: exceptio dabitur, ne sæpius de eiusdem hominis admisso quæratur. Et contrà, si de admisso vnius hominis actum sit, deinde in factum actione agatur: exceptio dabitur. E F

VII. VLPIANVS *lib.* XIII. *ad edictum.*

DEbet exercitor omniū nautarū suorum (siue liberi

sint,

ſint, ſiue ſerui) factum præſtare: nec immeritò factũ eo-
A rum præſtat, cùm ipſe eos ſuo periculo adhibuerit. ſed non aliàs præſtat, quàm ſi in ipſa naue damnum datum ſit. Cæterùm ſi extra nauem, licet à nautis: non præſtabit. Item ſi prædixerit, vt vnuſquiſq; vectorum res ſuas ſeruet, neque damnum ſe præſtaturum: & conſenſerunt vectores prædictioni: non conuenietur. Hæc actio in factum in duplum eſt. Sed ſiquidem nautæ inter ſe damnum dederint, hoc ad exercitorem non pertinet. Sed ſi quis ſit nauta & mercator, debebit illi dari. Ecquod * ſi quis ſit ex iis, quos volgo ναυτεπιβάτας dicunt? & huic tenetur, & huius factum præſtat, cùm ſit & nauta. Si ſeruus nautæ damnum dederit: licet ſeruus nautæ non ſit: æquiſſimum erit, in exercitorem actionem vtilem dare. *Et quid

B Hac autem actione ſuo nomine exercitor tenetur: culpæ ſcilicet ſuę imputatur*, qui tales adhibuerit: & ideo, & ſi deceſſerint, non reuelabitur. Seruorum autem ſuorum nomine noxali dũtaxat tenetur. nam cũ alienos adhibet, explorare eum oportet, cuius fidei, cuius innocẽtiæ ſint: in ſuis venia dignus eſt, ſi quales quales ad inſtruendam nauem adhibuerit. Si plures nauem exerceant, vnuſquiſque pro parte, qua nauem exercet, conuenitur.

Hæc iudicia, quamuis honoraria ſint, tamen perpetua ſunt: in hæredem autem non dabuntur. Proinde cùm ſeruus nauem exercuit, & mortuus eſt: de peculio non datur
C actio in dominum, nec intra annum. Sed cum voluntate domini vel patris ſeruus vel filius exercet nauem, vel cauponam, vel ſtabulum: puto etiam hãc actionem inſolidum eos pati debere: quaſi omnia, quæ ab illis contingunt, inſolidum receperint.

Finiunt τὰ πρῶτα.

INCIPIT SECVNDA PARS DIGESTORVM DE IVDICIIS.

DIGESTORVM SEV PANdectarum liber quintus. D

DE IVDICIIS,† ET VBI QVIS agere uel conueniri debeat. Tit. I.

†Iudicia quam ob cauſã reperta, Cic. in oratiõe pro Cecina. & de diuerſis iudiciorum ſpeciebus. Ariſt. li. 5. politi. capi. 16.

VLPIANVS *lib. I. ad edictum.*

SI SE SVBIICIANT aliqui iuriſdictioni, & conſentiant: inter cõſentientes cuiuſuis iudicis, qui tribunali pręeſt, vel aliam iuriſdictionem habet, eſt iuriſdictio. E

In prorogatione iurisdictionis de perſona ad perſonam, requiritur conſenſus partium qui ſciant illum non eſſe iudicem ſuũ, & cõſenſus iudicis non requiritur: ſed in prorogatione de tempore ad tempus, requiritur conſenſus iudicis & partium.

II. IDEM *lib. III. ad edictum.*

COnſenſiſſe autem videntur, qui ſciunt ſe non eſſe ſubiectos iuriſdictioni eius, & in eum cõſentiunt. Cæterùm ſi putent eius iuriſdictionem eſſe: non erit eius iuriſdictio. error enim litigatorum (vt Iulian⁹ quoque lib. primo Digeſtorũ ſcribit) non habet conſenſum. vt ſi putauerint alium eſſe prætorem præ alio, æquè error nõ dederit iuriſdictionem: ac ſi, cùm reſtitiſſet quiuis ex litigatoribus, viribus præfecturæ compulſus eſt, nulla iuriſdictio eſt. Conuenire autem, vtrum inter priuatos ſufficiat: an verò etiam ipſius pretoris conſenſus neceſſarius? lex Iulia iudiciorũ ait, QVO MINVS INTER PRIVATOS CONVENIAT. ſufficit ergo priuatorum conſenſus. Proinde ſi priuati conſentiant, prætor autem ignoret conſentire, & putet ſuam iuriſdictionem: an legi ſatisfactum ſit, videndum eſt. & puto poſſe defendi, eius iuriſdictionem eſſe. Si & iudex ad tempus datus, & omnes litigatores conſentiant (niſi principali iuſſione ſpecialiter prorogatio fuerit inhibita) poſſunt tempora, intra quę iuſſus eſt litem dirimere, pro- F

re, prorogari.

A *Qui ex caussa legationis, vel testimonii, vel alia legitima caussa ad alium locum se transfert, ibi nõ potest conueniri: & habet priuilegium domum suam reuocandi.* Bart.

Legatis in eo, quod ante legationem contraxerunt: item his, qui testimonij caussa euocati sunt, vel arcessiti iudicandi caussa, vel in prouinciam destinati: reuocandi domum suam ius datur. Ei quoque, qui prouocauit: non imponitur necessitas, inter tẽpora prouocationis exercendæ, Romæ vel alio loco, vbi prouocatio exercetur, aliis pulsantibus respondere. Nam Celsus huic etiã domum reuocationem dandam ait: quoniam ob aliam caussam venerit. & hæc sententia vera & rationabilis est. Nã
B & diuus Pius Plotio Celsiano rescripsit; eum, qui tutelæ caussa Romam erat ad se euocatus: alterius tutelæ, cuius caussa non erat euocatus, non debere compelli iudiciũ suscipere. Idem Claudio Flauiano rescripsit: minorẽ vigintiquinque annis, qui desiderarat in integrum restitui aduersus Asinianum, qui alterius negocij caussa venerat, nõ esse Romæ audiendum. Omnes autem isti domum reuocant, si non ibi contraxerint, vbi conueniuntur: cæterùm si ibi contraxerint, reuocandi ius non habent. Exceptis legatis, qui licet ibi contraxerint (dummodo ante legationem contraxerint) non compelluntur se Romæ defendere, quàm diu legationis caussa ibi de-
C morantur: quod & Iulianus scripsit, & diuus Pius rescripsit. Planè si perfecta legatione subsistant, conueniẽdos eos diuus Pius rescripsit. Item si extra prouinciam suam contraxerint, licet non in Italia: quæstionis est, an Romæ conueniri possint? & Marcellus ait, in eo solo, priuilegio eos vti domum reuocandi, quod in ciuitate sua, vel certè intra prouinciam contraxerint: quod est verũ. Sed si agant, compelluntur se aduersus omnes defendere. Nõ tamen, si iniuriam suam persequantur, vel furtũ, vel damnum, quod nunc passi sunt. alioquin (vt Iulian' eleganter ait) aut impunè cõtumeliis & damnis adficiẽtur: aut erit in potestate cuiusq;, pulsando eos, subiicere ipsos iurisdictioni, dum se vindicant. Sed si dubitetur, vtrum in ea quis caussa sit, vt domũ reuocare possit, nec

ſit, nec ne: ipſe prætor debet cauſſa cognita ſtatuere. Quod ſi conſtiterit in ea eum eſſe cauſſa, vt domum reuocet: debebit cauere in iudicio ſiſti, ſtatuente prætore, in quem diem promittat. Sed vtrum nuda cautione, an ſatisdato, Marcellus dubitat. mihi videtur ſola promiſſione, quod & Mela ſcribit. alioquin compelletur iudicium accipere, quàm inuenire eos, qui ſatis pro eo dent. D

In omnibus autem cauſſis, in quibus protelatur admonitio, hoc procedere ſine temporali damno creditorum oportet. His datur multæ dicendæ ius, quibus publicum iudiciũ eſt, & non aliis: niſi hoc ſpecialiter eis permiſſum eſt.

Contra eum qui habet exceptionem declinatoriam, nõ poteſt interponi ſecundum decretum. E

III. IDEM *lib.* III. *ad edictum.*

NOn videtur fruſtrandæ actionis cauſſa latitare, qui præſens ſuſcipere iudicium non compellitur.

IIII. CAIVS *lib.* I. *ad edictum publicum.*

LIs nulla nobis eſſe poteſt cum eo, quem in poteſtate habemus, niſi ex caſtrenſi peculio.

V. VLPIANVS *lib.* V. *ad edictum.*

SI quis ex aliena iuriſdictione ad prætorem vocetur, debet venire, vt & Põponius & Vindius ſcripſerunt. prætoris enim eſt exiſtimare, an ſua ſit iuriſdictio: vocati autem eſt non contemnere authoritatem prætoris. nam & legati cæterique, qui reuocandi domum ius habent: in ea ſunt cauſſa, vt in ius vocati veniant, priuilegia ſua allegaturi. F

VI. IDEM *lib.* VIII. *ad edictum.*

CAecus iudicantis officio fungitur.

Priuilegium fori ſuperueniens pendente iudicio, non eximit quẽ à iuriſdictione. Bart.

VII. IDEM *lib.* I. *ad edictum.*

SI quis poſtea, quàm in ius vocatus eſt, miles vel alterius fori eſſe cœperit: in ea cauſſa ius reuocandi forum non habebit, quaſi præuentus.

VIII. CAIVS *lib.* III. *ad edictum prouinciale.*

SI quis in legatione conſtituerit, quod ante legationẽ debuit: non cogitur ibi iudicium pati, vbi conſtituit.

IX. VL-

IX. VLPIANVS *lib.* IX. *ad edictum.*

A INsulæ Italiæ, pars Italiæ sunt, & cuiusq; prouinciç.* *Sic Arist. in libello de mundo.

X. IDEM *lib.* X. *ad edictum.*

DEstitisse *is videt, non qui distulit, sed qui liti renunciauit in totum. desistere enim est, de negocio abstinere, quod calumniandi animo instituerat. Planè si quis cognita rei veritate suum negocium deseruit, nolens in lite improba perseuerare: quàm calumniæ caussa non instituerat: is destitisse non videtur. *Cap. 21. de minoribus.

Irritatur iudicium si deuenit ad eum casum, à quo incipere non potuit. Bart.

XI. IDEM *lib.* XII. *ad edictum.*

B SI à me fuerit adrogatus, qui mecum erat litem contestatus, vel cum quo ego solui iudicium, Marcellus lib. tertio Digestorum scribit, quoniã nec ab initio inter nos potuit consistere.

Quod quibusdã prohibetur, cæteris videtur esse permissum. Bart.

XII. PAVLVS *lib.* XVIII. *ad edictum.*

CVm prætor vnum ex pluribus iudicare vetat, cæteris id committere videtur. Iudicem autem dare possunt, quibus lege, vel constitutione, vel Senatusconsulto conceditur. Lege, sicut proconsul. is quoque, cui mandata est iurisdictio, iudicem dare potest: vt sunt legati proconsulum. item hi, quibus id concessum est propter vim imperij: sicuti præfectus vrbi, cæteriq; Ro-
C mæ magistratus. Non autem omnes iudices dari possunt ab his, qui iudicis dandi ius habent. Quidam enim lege impediũtur, ne iudices sint: quidam moribus: quidam natura. Natura: vt surdus, mutus, & perpetuò furiosus, & impubes: quia iudicio carent. Lege, qui senatu motus est. Moribus, fœminæ * & serui: non quia non habeant iudicium, sed quia receptum est, vt ciuilibus officiis nõ fungantur. Qui possunt esse iudices: nihil interest, in potestate, an sui iuris sint. * Arist. 1. pol. ca. 8.

XIII. CAIVS *lib.* VII. *ad edictum publicum.*

IN tribus iudiciis, familiæ Erciscundæ, communi diuidundo, & finium regundorum quæritur, quis actor intelligatur, quia par caussa omnium videtur? sed magis placuit eum videri actoré, qui ad iudiciũ prouocasset.

XIIII.

XIIII. VLPIANVS *lib.* II. *Diſputationum.*

SEd cùm ambo ad iudicium prouocant, forte res diſcerni ſolet. D

Si iudex per imperitiam malè iudicauit, condemnabitur inquãtum religioni iudicantis videbitur. quod quantitatem peculii non excedit ſi eſt filiusfamiliâs, ſed ſi dolo malo iudicauit, condemnabitur in totum: quæ actio contra hæredem non tranſit. Bart.

XV. IDEM *lib.* XXI. *ad edictum.*

SI filiusfamiliâs iudex litem ſuam faciat: in tantam quantitatem tenetur, quæ tunc in peculio fuit, cùm ſententiam dicebat. Iudex tunc litem ſuam facere intelligitur, cùm dolo malo in fraudem legis ſententiam dixerit. Dolo malo autem videtur hoc facere: ſi euidens arguatur eius gratia, vel inimicitia, vel etiam ſordes: vt E veram æſtimationem litis præſtare cogatur.

XVI. IDEM *lib.* V. *ad edictum.*

IVlianus etiam in hæredem iudicis, qui litem ſuam fecit, putat actionem competere: quæ ſententia vera nõ eſt, & à multis notata eſt.

XVII. IDEM *lib.* XXI. *ad edictum.*

IVlianus ait, ſi alter ex litigatoribus iudicem ſolũ hæredem, vel ex parte fecerit: alius iudex neceſſariò ſumendus eſt, quia iniquum eſt, aliquem ſuæ rei iudicem fieri.

XVIII. IDEM *lib.* XXII. *ad edictum.*

SI longius ſpacium interceſſurum erit, quò minus iudex datus operam poſſit dare: mutari eũ iubet prætor. hoc ſi fortè aliqua occupatio iudicem non patiatur operam iudicio dare: incidente infirmitate, vel neceſſaria profectione, vel rei ſuæ familiaris periculo. F

Propter abſentiam patris permittitur filio agere, vbi aliàs non poſſet abſque eius conſenſu. Bart.

Si filiusfamiliâs ex aliqua cauſſa, ex qua patri actio competit, velit experiri: ita demum permittitur agere, ſi non ſit, qui patris nomine agat. Nam & Iuliano placet, ſi filiusfamiliâs legatione vel ſtudiorum gratia abierit, & vel furtum, vel damnum, vel iniuriam paſſus ſit: poſſe eum vtili iudicio agere, ne dum pater exſpectatur, impunita ſint maleficia: quia pater venturus nõ eſt, vel dũ veniat,

veniat,se subtrahit is, qui noxam commisit. Vnde ego semper probaui, vt si res moneat, nec ex maleficio veniat,sed ex contractu debeatur: filius possit agere vtili iudicio,fortè depositum repetens,vel mandati agés,vel pecuniam,quam credidit,petés: si fortè pater in prouincia sit,ipse autem fortè Romæ vel studiorum caussa, vel alia iusta ex caussa degat. ne si ei non dederimus actionem:futurum sit,vt impunè fraudem patiatur, & egestate Romæ laboret, viaticulo suo non recepto, quod ad sumptum pater ei destinauit.Et finge Senatorem esse filiumfamiliâs,qui patrem habet in prouincia,nonne augetur vtilitas per dignitatem?

A

Hæres sequitur forum defuncti,nec potest proprium priuilegium allegare.Bart.

B

XIX. IDEM.

HAeres absens ibi defendendus est, vbi defunctus debuit:& conueniendus,si ibi inueniatur, nulloq; suo proprio priuilegio excusatur.

Vbi est gestum negocium ex quo resultat quasi contractus,ibi potest quis conueniri:nisi sit contractum tanquam cum aduena: quem quis sciebat de proximo recessurum.Bart.

Si quis tutelam, * vel curam,vel negocia,vel argentariam,vel quid aliud,vnde obligatio oritur,certo loco administrauit:& si ibi domicilium non habuit,ibi se debebit defendere. & si se non defenderit, neque ibi domicilium habeat, bona possideri patietur. Proinde & si merces vendidit certo loco vel disposuit,vel comparauit:videtur(nisi alio loco,sese vt defenderet, conuenit)ibidem se defendere. Nunquid dicemus eum, qui à mercatore quid comparauit,scilicet aduena: vel ei védidit,quem scit inde confestim profecturum:non oportere ibi bona possidere,sed domicilium eius sequi? At si quis ab eo comparauit,qui tabernam vel officinam certo loco conductas habuit:in ea caussa esse, vt illic conueniatur? quod magis habet rationem. Nam vbi sic venit,vt confestim discedat:& quasi à viatore, vel eo,qui παρέπλει,emit: durissimum est, quotquot locis quis nauigat,vel iter faciens delatus est,tot locis se defendere. At si quò constitit,nó dico iure domicilij, sed tabernu-

** In hunc locū Arist. li. 3. polit. cap. 1.*

C

v lam,

lam, pergulam, horreum, armarium seu officinam conducens, ibique distraxit, vel egit: defendere se eo loco debebit. D

Ratione contractus celebrati per alium, quis sortitur forum. Bar.

Apud Labeonem quæritur. quid si homo prouincialis seruum institorem vendēdarū mercium gratia Romę habeat? & ait: quod cum eo seruo contractum est, ita habendum esse, atque si cum domino contractum sit. quarè ibi se debebit defendere. Illud sciendum est: eum, qui ita fuit obligatus, vt in Italia solueretur: si in prouincia habuit domicilium, vtrubique posse conueniri, & hîc & ibi: & ita Iuliano, & multis aliis videtur.

XX. PAVLVS *lib.* LVIII. *ad edictum.*

OMnem obligationem pro contractu habendā, existimandum est: vt vbicunque alius obligetur, & cōtrahi videatur: quāuis nō ex crediti caussa debeatur. E

In confessum non est ferenda sententia: sed dăda est ei dilatio ad soluendum. Bart.

XXI. VLPIANVS *lib.* LXX. *ad edictum.*

SI debitori meo velim actionem edere: probandum erit, si fateatur se debere, paratumque se dicat soluere: audiendum eum, dandumque diem cum competenti cautela ad soluendam pecuniam. neque enim damnum magnum est in mora modici temporis. Modicum autem tempus hîc intelligendum est, quod post condemnationem reis indultum est. F

Qui agit, cogitur se defendere. Bart.

XXII. PAVLVS *lib.* III. *ad Plautium.*

QVi non cogitur in aliquo loco iudicium pati: si ipse agat, ibi cogitur excipere actiones, & ad eundē iudicem mitti.

Quod per litis contestationem accidit non accessorium ad primum: in dicto iudicio non venit: sed noua instantia opus est. Bart.

XXIII. IDEM *lib.* XVII. *ad Plautium.*

NOn potest videri in iudicium venisse, id quod post iudicium acceptum accidit: ideoque alia interpellatione opus est.

XXIIII. IDEM *lib.* XVIII. *ad Plautium.*

NOn aliâs in eos, quos princeps euocauit, Romę cōpetit

petit actio, quàm si hoc tempore contraxerint. Legati ex delictis in legatione commissis coguntur iudicium
A Romæ pati: siue ipsi admiserint, siue serui eorum. Sed si postuletur in rem actio aduersus legatum: nunquid dãda sit, quoniam ex præsenti possessione hæc actio est? Cassius respondit, sic seruandum: vt si subducatur ei ministerium, non sit concedéda actio: si verò ex multis seruis de vno agatur, non sit inhibenda. Iulianus sine distinctione denegandam actionem ait, meritò. ideo enim non datur actio, ne ab officio suscepto legationis auocetur.

Ex possessione præsenti habente initium tempore legationis potest conueniri legatus legatione durante. Bart.

XXV. IVLIANVS *lib.* I. *Digestorum.*

B SI legationis tempore quis seruum, vel aliam rem emerit, aut ex alia caussa possidere cœperit: non iniquè cogitur eius nomine iudicium accipere. aliter enĩ potestas dabitur legatis sub hac specie, res alienas domum auferendi.

Ratione quasi cõtractus qui solo animo fit, legatus qui legationem gerit, non potest legationis tempore conueniri. Bart.

XXVI. PAVLVS *lib.* XVIII. *ad Plautium.*

DE eo autem, qui adiit hæreditaté, Cassius scribit: quamuis Romæ adierit hæreditatem, non competere in eum actionem, ne impediatur legatio: & hoc est
C verum. Sed nec legatariis datur actio: licet, nisi satisdetur, mittantur in possessionem rerum hæreditariarum. quod & in hæreditariis creditoribus dicendum est.

XXVII. IVLIANVS *lib.* I. *Digestorum.*

QVid enim prohibet, legatum publico munere fungi, & actorem custodiæ caussa in possessionem rerum hæreditariarum esse?

XXVIII. PAVLVS *lib.* XVIII. *ad Plautium.*

SEd & si restituatur ei hæreditas ex Trebelliano, actio in eum non dabitur: siue sponte, siue coactus hæres eam adierit. commodius enim est, reddi quidem ei hæreditatem: perinde autem habendum, ac si ipse adisset hæreditatem. Contrà si legatus tempore legationis adierit, & restituerit: datur in fideicommissarium actio,

nec Trebelliani exceptio obſtat ex perſona legati: quia perſonale beneficium eſt. Ex quibus autem cauſſis nõ cogitur legatus iudicium accipere: nec iurare cogẽdus eſt,ſe dare non oportere:quia hoc iuſiurandum in locũ litis cõteſtatæ ſuccedit. Aedium nomine legatus dãni infecti promittere debet, aut vicinum admittere in poſſeſſionem. Sed & ſi dies actionis exitura erit: cauſſa cognita, aduerſus eum iudicium prætor dare debet: vt lis conteſtetur,& ita in prouinciam transferatur. D

*In ventre in dubio præſumuntur eſſe tres,ideo iã natus pro quarta hæreditatis tantum interim poterit conueniri.*Bar.

Si paterfamiliâs mortuus eſſet,relicto vno filio, & vxore prægnante:non rectè filius à debitoribus partẽ dimidiam crediti petere poteſt, quamuis poſtea vnus natus ſit:quia poterant plures naſci, cùm per rerum naturam certum fuerat vnũ naſci. Sed & Sabinus & Caſſius dicunt partem quartam peti debuiſſe,quia incertum eſſet,an tres naſcerentur: nec rerum naturam intuendam, in qua omnia certa eſſent,cùm futura vtique fierent:ſed noſtram inſcientiam aſpici debere. E

XXIX. IDEM *lib.* VIII. *ad Plautium.*

QVi appellat prior,agit.

XXX. MARCELLVS. *lib.*I. *Digeſtorum.*

VBi cœptum eſt ſemel iudicium,ibi & finem accipere debet.

*Sicut inter hæredes diuiditur actio, ita inſtantia ſuper actione inchoata.*Bart. F

XXXI. CELSVS. *lib.* XXVII. *Digeſtorum.*

SI petitor plures hæredes reliquerit,vnuſquе eorum iudicio egerit:nõ erit verum,totã rem, quæ in priori iudicio fuit,deductam eſſe. nec enim quiſquam alienam actionem in iudicium,inuito cohærede, perducere poteſt.

*Tempora appoſita in prima delegatione,vidẽtur repetita in perſonam eius qui in locum primi eſt delegatus.*Bart.

XXXII. VLPIANVS *lib.* V. *de officiis proconſulũ.*

SI iudex,cui certa tempora præſtituta erant, deceſſerit, & alius in loco eius datus fuerit: tantundem ex integro temporis in perſonam eius præſtituta intelligemus,

mus, quamuis magistratus nominatim hoc insequentis
A datione non expresserit: ita tamen, vt legitimum tempus non excedant.

XXXIII. MODESTINVS *lib.* III. *Regularum.*

NOn videtur in iudicem consensisse: qui edi sibi genus actionis apud eum iudicem desiderat.

In successorem transit instantia, quæ debet terminari in eodem loco. Bart.

XXXIIII. IABOLENVS *lib.* XV. *ex Cassio.*

SI is, qui Romæ iudicium acceperat, decessit: hæres eius, quamuis domicilium trans mare habeat, Romæ tamẽ defendi debet: quia succedit in eius locum, à quo hæres relictus est.

B *Tractus futuri temporis non spectat ad iudicem. Bar.*

XXXV. IDEM *lib.* X. ἐπιστολῶν.

NOn quemadmodum fideiussoris obligatio in pendenti potest esse, vel in futurum concipi: ita iudicium in pendenti potest esse, vel de his rebus, quæ postea in obligationem aduenturæ sunt. Nam neminem puto dubitaturum, quin fideiussor ante obligationem rei accipi possit: iudiciũ vero ante, q̃ aliquid debeatur, non possit.

Ex caussa potest iudex dilationes prorogare. Bar.

XXXVI. CALLISTRATVS *lib.* I. *Cognitionum.*

INterdum ex iustis caussis, & certis personis sustinendæ sunt cognitiones: veluti si instrumenta litis apud
C eos esse dicãtur, qui reipublicæ caussa aberũt. Ideo diui fratres in hæc verba rescripserũt. humanum est propter fortuitos casus, dilationẽ accipi: veluti cũ pater litigator filiũ, vel filiã, vel vxor virũ, vel filius parentẽ amisit, & in similibus caussis cognitionem ad aliquem modum sustineri.

Vbi quis gessit negocium, ibi debet se defendere non obstante priuilegio fori. Bart.

Senator si negociis alienis se obtulerit in prouincia, nõ debet iudicium recusare negociorum gestorum: sed actionem eum excipere oportere, Iulianus respõdit, cũ sua sponte sibi hanc obligationem contraxerit.

XXXVII. IDEM *lib.* V. *Cognitionum.*

 Si de

SI de vi & pssessione quæratur : prius cognoscendum de vi,q̄ de proprietate rei,diuus Hadrianus τῷ κοινῷ τῶν θεσσαλῶν rescripsit. D

Species debet solui vbi est:quãtitas vbi petitũ,nisi aliud actũ sit. B.

XXXVIII. LICINIVS RVFINVS *lib.* IIII. *Regularum.*

QVod legatur,siquidẽper personalẽ actionẽ exigetur:ibi dari debet, vbi est:nisi dolo malo hæredis subductũ fuerit.tũc enĩ ibi dari debet,vbi petitur.Preterea quod põdere,aut numero,aut mẽsura cõtinetur:ibi dari debet, vbi petitur : nisi adiectũ fuerit, centum modios ex illo horreo,aut vini amphoras ex illo dolio . Si autem per in rem actionem legatũ petetur: etiam ibi peti debet,vbi res est. Et si mobilis sit res : ad exhibendumagi cum hærede poterit , vt exhibeat rem. sic enim à legatario vindicari poterit. E

Valet quod fit coram iudice furioso tempore quo habet dilucida internalla:nec potest furoris tempore pronunciare. Bar.

XXXIX. PAPINIANVS *lib.* III. *Quæstionum.*

CVm furiosus iudex addicitur:nõ ideo minus iudiciũ erit,quod hodie non potest iudicare: scilicet vt suæ metis effectus,quod sentẽtiæ dixerit,ratũ sit.neq; enĩ in addẽdo præsentia vel scientia iudicis necessaria est.

Qui legationis caussa Romã venit,ex qualibet caussa fideiubere potest:cũ priuilegio suo, cũ sit in Italia contractum,vti non potest. F

XL. IDEM *lib.* IIII. *Quæstionum.*

NOn quidqd iudicis potestati permittitũ, id subiicitũ iuris necessitati. Iudex si quid aduersus legis præceptũ in iudicãdo dolo malo prętermiserit,legẽ offẽdit.

Qui tenentur ad diem vel sub conditione , possunt conueniri ad præstandum cautionem. Bart.

XLI. IDEM *lib.* XI. *Quæstionum.*

IN omnibus bonæ fidei iudiciis,cũ nondum dies præstandæ pecuniæ venit : si aliquis agat ad interponendam cautionem,ex iusta caussa condemnatio fit.

XLII. IDEM *lib.* XIII. *Quæstionum.*

SI vxor à legato Romæ diuerterit , dotis nomine defendendum Romæ virum iure responsum est.

Qui

Qui promisit aliquid certo loco, post moram potest vbique conueniri. Bartolus.

A

XLIII. IDEM *lib.* XXIIII. *Quæstionum.*

EVm, qui insulam Capuæ certo tempore stipulatus est: eo finito, quocũque loco agere posse, in id quod interest, constat.

Si iudicium contra plures inceptũ est, simul potest respectu vnius sententiari, respectu aliorum differri. Bartolus.

XLIIII. IDEM *lib.* II. *Responsorum.*

NOn idcirco iudicis officium impeditur, quod quidam ex tutoribus post lité aduersus omnes inchoatam, reipublicæ caussa abesse cœperunt: cùm præsentium & eorum, qui nõ defenduntur, administratio discer-
B ni, & æstimari possit. Cùm postea seruus apparuit, cuius nomine per procuratorem fuerat actum, absolui debitorem oportet, quæ res quandoque propriam domino litem inferenti non obstabit.

Dilatio danda est ex iusta caussa, & non aliter. Bartolus.

XLV. IDEM *lib.* IIII. *Responsorum.*

ARgentarium, vbi contractum est, conueniri oportet: nec in hoc dilationem, nisi ex iusta caussa, dari: vt scilicet ex prouincia codices adferantur. Idem in actione tutelæ placuit. Nomine puellæ tutoribus in prouincia condemnatis, curatores iudicatum Romæ facere coguntur: vbi mutuam pecuniam mater accepit,
C cui filia hæres exstitit.

Furor non tollit iurisdictionem, sed impedit exercitium. Bar.

XLVI. PAVLVS *lib.* II. *Quæstionum.*

IVdex datus in eodem officio permanet, licet furere cœperit: quia rectè ab initio iudex aditus est. sed quia iudicandi necessitatem morbus sonticus remittit: ergo mutari debet.

Petitus à parte vna, non est dandus iudex nisi sit caussa. Bar.

XLVII. CALLISTRATVS. *lib.* II. *Cognitionum.*

OBseruandum est, ne is iudex detur, quem altera nominatim pars petit. id enim iniqui exempli esse, diuus Hadrianus rescripsit. Nisi hoc specialiter à principe, ad verecundiã petiti iudicis respiciẽte, pmittatur.

Qui sunt in maiori magistratu, durante officio cõueniri non

 possunt.

possunt. Bartolus.

XLVIII. PAVLVS *lib.* II. *Responsorum.* D

PArs literarum diui Hadriani. Τοὺς ἄρχοντας, ἐν ᾧ ἄρχουσιν ἐνιαυτῷ, μὴ εἰσιέναι δίκην ἰδίαν, μήτε διωκόντων, μήτε φευγόντων, μήτε περὶ ὧν ἐπίτροποι ἢ κουράτορες εἰσιν. ἐπειδ᾽ ἂν ἐξήκῃ ἡ ἀρχὴ, καὶ αὐτοῖς πρὸς τοὺς φεύγοντας, καὶ φεύγουσι πρὸς αὐτοὺς ἀγωγίμους εἶναι τὰς δίκας.

Qui venit ad alium defendendum, non potest allegare priuilegium sui iudicis. Bartolus.

XLIX. IDEM *lib.* IIII. *Responsorum.*

VEnditor ab emptore denunciatus, vt eum euictionis nomine defenderet: dicit se priuilegium habere sui iudicis. Quæritur, an possit litem ab eo iudice, apud quem res inter petitorem & emptorem cœpta est, ad suum iudicem reuocare? Paulus respondit, venditorem emptoris iudicem sequi solere. Iudices à præside dati, solent etiam in tempus successorum eis durare, & cogi pronunciare, easque sententias seruari. in eundé sensum etiam Scæuola respondit. E

Hæres nõ cogitur respõdere nisi vbi est maior pars hæreditatis. B.

L. VLPIANVS *lib.* VII. *Fideicommissorum.*

SI fideicommissum ab aliquo petatur, isque dicat alibi esse maiorem parté hæreditatis, non erit ad præstationem compellendus: & ita multis constitutionibus cauetur, vt ibi petatur fideicommissum, vbi maior pars hæreditatis est: nisi probetur, eo loco voluisse testatorem fideicommissum præstari, vbi petitur. F

Aes alienum, totum patrimonium respicit, nisi sit alicui onus rei iniunctum. Bartolus.

Tractatũ est de ære alieno: si in ea prouincia, vbi fideicõmissum petitur, plus esset æris alieni: an quasi maior pars alibi esset, præscriptio locum haberet. Sed hic placuit, nihil facere æris alieni nomen: cùm non loci sit æs alienum, sed vniuersarum facultatum. Aes enim alienum patrimonium totum minuere constitit, non certi loci facultates. Quid tamen, si fortè certis oneribus destinatum sit id patrimonium? vtputa alimentis præstandis, quæ Romæ præstari paterfamiliâs iusserat, vel tributis, vel quibusdam aliis inexcusabilibus oneribus: an possit

an possit præscriptio locum habere?& putem iustius dici,
A locum habere. Sed & rescriptum est, vt illic fideicõmissum petatur, vbi domicilium hæres habet. Quoties autem cœpit quis fideicommissum soluere, non potest hac præscriptione vti:

LI. MARTIANVS *lib.* VIII. *Institutionum.*

QVamuis hæreditas ad eum fuerit deuoluta, qui domiciliũ in prouincia habet. sed & diui Seuerus & Antoninus rescripserunt: si consenserit fideicommissarius alio loco dari, necesse habere secundum consensum dare, vbi consenserit.

LII. VLPIANVS *lib.* VII. *Fideicommissorum.*

SEd & si susceperit actionem fideicommissi, & aliis defensionibus
B vsus hanc omisit: postea, quamuis ante sententiam, reuerti ad hanc defensionem non potest.

Si ex qualitate rei relictæ vel personæ eius cui relinquitur, præsumatur testatorem certo loco solui seu dari voluisse: ibi hæres se defendere debet Bartolus.

Si libertis suis tesseras frumẽtarias emi voluerit: quãuis maior pars hæreditatis in prouincia sit, tamen Romæ debere fideicommissum solui, dicẽdum est: cùm appareat id testatorem sensisse ex genere comparationis.

Sed & si proponas, quibusdã clarissimis viris argenti vel auri pondo relicta, & sit sufficiens ad huiusmodi fideicommissa Romæ patrimonium: licet maior pars to-
C tius patrimonij in prouincia sit, dici oportet Romæ esse præstandum. nec enim verisimile est testatorem, qui honorem habitum voluit his, quibus reliquit, tam modica fideicommissa in prouincia præstari voluisse.

Si petatur species vbi est, vel petatur cautio, exceptio quod alibi sit maior pars hæreditatis, non obstat. Bartolus.

Si ea res, quæ per fideicommissum relicta est, eo loco sit: dicendum est, non debere præscribi ei, qui petit, quasi maior pars hæreditatis alibi sit. Sed si non fideicommissum eo loco petatur, sed de fideicommisso satis: videndum est, an hæc præscriptio locum habeat. & non puto habere. quinimò & si nihil sit eo loco: attamen iubendum satisdare. quid enim veretur: cùm si satis non dederit, mittatur aduersarius in possessionem fideicommissi

miſſi ſeruandi cauſſa?

In cauſſis quæ pertinent ad ſtatum ſerui: & in quibuſdam quæ pertinent ad vtilitatem publicam, poteſt inter ſeruum & dominum conſiſtere iudicium. Bartolus. D

LIII. HERMOGENIANVS *lib.* II. iuris ἐπιτομῶν.

VIx certis cauſſis aduerſus dominos ſeruis cõſiſtere permiſſũ eſt: Id eſt, ſi qui ſuppreſſas tabulas teſtamenti dicant, in quibus libertatem ſibi relictam adſeuerant. Item arctioris annonæ populi Romani, & cenſus, ac falſæ monetæ criminis reos dominos detegere ſeruis permiſſum eſt. Præterea ſi fideicommiſſariam libertatem ab his petant. Sed & ſi qui ſuis numis redemptos ſe, & non manumiſſos contra placiti fidem adſeuerent. E Liber etiam iuſſus, ſi rationes reddiderit, arbitrum contra dominum de rationibus excutiendis rectè petet. Sed & ſi quis fidem alicuius elegerit, vt numis eius redimatur, atque his ſolutis manumittatur, nec ille oblatam pecuniam ſuſcipere velle dicat: contractus fidem detegendi ſeruo poteſtas tributa eſt.

LIIII. PAVLVS *lib.* I. *Sententiarum.*

PEr minorem cauſſam maiori cognitioni præiudiciũ fieri non oportet. maior enim quæſtio minoré cauſſam ad ſe trahit.

LV. IDEM *lib. ſingulari de officio adſeſſorum.*

EDictum, quod ab anteceſſore datum eſt, in numero F trium edictorum connumerari debet. Planè licet ab anteceſſore numerus finitus ſit: ſolet tamen ſucceſſor vnum edictum dare.

Ratihabitio retrotrahitur & confirmat iudicium agitatum per falſum procuratorem. Bartolus.

LVI. VLPIANVS *lib.* XXX. *ad edictum.*

LIcet verum procuratorem in iudicio rem deducere, veriſſimum eſt: tamen & ſi quis, cùm procurator non eſſet, litem conteſtatus ſit, deinde ratũ dominus habuerit: videtur retrò res in iudicium rectè deducta.

Mortuo filio inſtantia inchoata cum eo tranſit ad patrem, licet actionis qualitas alteretur.

LVII. IDEM *lib.* XL. *ad edictum.*

Tam

A TAm ex contractibus, quàm ex delictis in filiumfamiliâs competit actio: sed mortuo filio post litis contestationem, transfertur iudicium in patrem, dumtaxat de peculio, & quod in rem ei⁹ versum est. Certè si quasi procurator alicuius, filiusfamiliâs iudicium acceperit: mortuo eo, in eum, quem defendit, iudicij translatio datur.

LVIII. PAVLVS *lib.* XIII. *ad Sabinum.*

IVdicium soluitur, vetante eo, qui iudicare iusserat: vel etiam eo, qui maius imperium in eadem iurisdictione habet: vel etiam si ipse iudex eiusdem imperij esse cœperit, cuius erat, qui iudicare iussit.

Ille qui delegat iudicem intelligitur in loco solito delegare. B.

B LIX. VLPIANVS *lib.* LI. *ad Sabinum.*

SI locus in iubendo iudicare non est comprehensus: videtur eo loco iudicare iussisse, quo solet iudicare sine incommodo litigantium.

LX. PAVLVS *lib.* XXIII. *ad Sabinum.*

MOrtuo iudice, quod eum iudicare oportuerat: idem eum, qui subditus est, sequi oportet.

In iudicio venit omne id, quod sub petitione proposita potest comprehendi: nisi contrarium actum sit. Bartolus.

LXI. VLPIANVS *lib.* XXVII. *ad edictum.*

SOlemus quidem dicere, id venire in iudiciũ, de quo actum est inter litigantes: sed Celsus ait, periculosè
C ex persona rei hoc metiri: qui semper, ne condemnetur, hoc dicit, non conuenisse. Quid ergo? melius est dicere, id venire in iudicium, de quo vel actum non est, vt veniret: sed id non venire, de quo nominatim actum est, ne veniret. Latrunculator de re pecuniaria iudicare non potest.

LXII. IDEM *lib.* XXXIX. *ad edictum.*

INter litigantes non aliter lis expediri potest, quàm si alter petitor, alter possessor sit. esse enim debet, qui onera petitoris sustineat, & qui commodo possessoris fungatur.

Defendere debet quis per seipsum, vel per alium cum satisdatione iudicatum solui. Bartolus.

LXIII. IDEM *lib.* XLIX. *ad edictum.*

Rectè

REctè defendi hoc est : iudiciũ accipere vel per se, vel per alium, sed cum satisdatione: nec ille videtur defendi, qui quod iudicatum est, non soluit. D

Interesse contra dolosum æstimatur secundum iuramentum in litem. Bartolus.

LXIIII. IDEM *lib. I. Disputationum.*

NOn à iudice doli æstimatio ex eo, quod interest, fit: sed ex eo, quod in litem iuratur. denique & prędoni depositi & commodati ob eam caussam competere actionem, non dubitatur. Si quis alio iudicio acturus, iudicatum solui satis acceperit, deinde alio iudicio agat: non committetur stipulatio, quia de alia re cautum videtur.

In contractu dotis hoc est speciale quòd non inspicimus locũ contractus: sed locum vbi vir habet domicilium. Bartolus. E

LXV. IDEM *lib. XXX. ad edictum.*

EXigere dotem mulier debet illic, vbi maritus domicilium habuit, non vbi instrumẽtum dotale conscriptum est. nec enim id genus contractus est, vt & eum locum spectari oporteat, in quo instrumentũ dotis factum est : quàm eum, in cuius domicilium & ipsa mulier per conditionem matrimonij erat reditura.

Ambigua petitio siue exceptio interpretatur secundum intentionem proferentis. Bartolus.

LXVI. IDEM *lib. II. Disputationum.*

SI quis intentione ambigua, vel oratione vsus sit : id quod vtilius ei est, accipiendum est. F

Qui dicit se liberandum, est liber à die sententiæ, vel à die interpositi decreti si decernatur contra contumacem. Bartolus.

LXVII. IDEM *lib. VII. Disputationum.*

QVi se dicit suis numis redemptum esse: si hoc probauerit, exinde liber erit, ex quo redemptus est: quia constitutio non liberum pronũciari præcipit, sed restitui ei libertatem iubet. Proinde cõpellendus erit manumittere eũ, qui se suis numis redemit. Sed si latitet: exempla senatusconsultorum ad fideicommissam libertatem pertinentium induci oportet.

LXVIII. IDEM *lib. IX. Disputationum.*

AD peremptorium edictum hoc ordine venitur : vt primò

primò quis petat post absentiam aduersarij edictum pri
A mum, mox alterum,

LXIX. IDEM *lib. IIII. de omnibus tribunalibus.*

PEr interuallum non minus decem dierum,

LXX. IDEM *lib. IX. Disputationum.*

ET tertium, quibus propositis, tunc peremptoriũ impetret: quod inde hoc nomẽ sumpsit, quod perimeret disceptationem, hoc est vltra non pateretur aduersarium tergiuersari.

LXXI. IDEM *lib. IIII. de omnibus tribunalibus.*

IN peremptorio autem comminatur is, qui edit: etiam absente diuersa parte, cogniturum se & pronunciaturum.

B LXXII. IDEM *lib. IX. Disputationum.*

NOnnunquam autem hoc edictum post tot numero edicta, quæ præcesserunt, datur: nonnunquàm post vnum, vel alterum: nonnunquàm statim, quod appellatur vnum pro omnibus. Hoc autem æstimare oportet eũ, qui ius dixit, pro cõditione caussæ, vel personæ, vel temporis: & ita ordinem edictorum & compendium moderari.

Reo absente in termino peremptorio iterum ex benignitate citatur: & sententia secundum iustitiam profertur: actore verò absente in termino peremptorio cassatur illa citatio, & illius edicti instantia perimetur, non autem definitiuè pronunciabitur. Bartolus.

C LXXIII. IDEM. *lib. IIII. de omnibus tribunalibus.*

ET post edictum peremptorium impetratũ, cùm dies eius superuenerit, tũc absens citari debet. & siue responderit, siue non responderit, agetur caussa, & pronunciabitur: non vtique secũdum præsentem, sed interdum vel absens (si bonam caussam habuit) vincet. Quòd si is, qui edictum peremptorium impetrauit, absit die cognitionis: is verò, aduersus quem impetratum est, adsit: tum circumducendum erit edictum peremptorium, neque de caussa cognoscetur, neque secundum præsentem pronunciabitur. Circũducto edicto videamus, an amplius reus conueniri possit: an verò salua quidem lis sit, verùm instantia tãtum edicti perierit. & magis est, vt instantia tantùm perierit, ex integro autem litigari possit.

Sciendum

Sciendum ex peremptorio absentem condemnatum, si appellet, non esse audiendũ: si modo per contumaciam defuerit. si minus: audietur. D

LXXIIII. IVLIANVS *lib. v. Digestorum.*

DE qua re cognouerit iudex, pronunciare quoque cogendus erit. Iudex qui vsque ad certam summam iudicare iussus est: etiam de maiori re iudicare potest, si inter litigatores conueniat.

Iudicium agitatum nomine mortui qui viuere putabatur, quantum ad eum est nullum: sed nomine eius solutum poterit ab hærede cui proficit, repeti. Bartolus.

Cùm absentem defendere vellem, iudicium mortuo eo iam accepi, & condẽnatus solui. quæsitũ est, an hæres liberaretur? item quæ actio aduersus eũ cõpeteret? Respondi. iudicium, quod iam mortuo debitore per defensorem eius accipitur, nullum esse: & ideo hæredem non liberari. Defensorem autem, si ex caussa iudicati soluerit, repetere quidem non posse: negociorum tamen gestorum ei actionem competere aduersus hæredem, quia exceptione doli mali tueri se possit, si ab actore conueniatur. E

Iudex exequens sententiam non debet de iniquitate sententiæ cognoscere: sed sufficit pronunciatum esse. Bartolus.

LXXV. IDEM *lib.* XXXV. *Digestorum.*

SI prætor iusserit eum, à quo debitum petebatur, adesse: & ordine edictorum peracto pronunciauerit, absentem debere: vtique iudex, qui de iudicato cognoscit, non debet de prętoris sententia cognoscere: alioquin lusoria erunt huiusmodi edicta & decreta prætorũ. MARCELLVS NOTAT. si per dolum sciẽs falsò aliquid allegarit, & hoc secutum in sententia prætorem, liquidò fuerit adprobatum: existimo debere iudicem querelam rei admittere. PAVLVS NOTAT. si aut morbo impeditus, aut reipublicæ caussa auocatus, adesse non potuit reus: puto vel actionẽ iudicati eo casu in eum denegandam, vel exsequi prętorem ita iudicatum nõ debere. F

Mutatione iudicis non mutatur iudicium. Bartolus.

LXXVI. ALFENVS *lib.* VI. *Digestorum.*

PRoponebatur ex his iudicibus, qui in eãdem rẽ dati essent,

essent, nonnullos caussa audita excusatos esse, inque eo-
A rum locum alios esse sumptos: & quærebatur, singulo-
rum iudicum mutatio eandem rem, an aliud iudicium
fecisset? Respondi: nõ modo si vnus aut alter, sed & si o-
mnes iudices mutati essent: tamen & rem eandem, & iu-
dicium idem, quod antea fuisset, permanere. Neque in
hoc solùm euenire, vt partibus commutatis, eadem† res † In hũc lo
esse existimaretur: sed & in multis cæteris rebus. Nam & cũ Aris. li.
legioné eandẽ haberi, ex qua multi decessissent, quorum 2. pol. c. 2.
in locum alij subiecti essent: & populũ eundem hoc tem Cic. lib. 2.
pore putari, qui abhinc centum annis fuisset, cùm ex il- Aca. quæs.
lis nemo nunc viueret. Itémque si nauis adeo sæpe refe-
B cta esset, vt nulla tabula eadem permaneret, quæ non no
ua fuisset: nihilominus eandem nauem esse existimari.
Quòd si quis putaret, partibus commutatis aliam rem
fieri: fore, vt ex eius ratione nosipsi non iidem essemus,
qui abhinc anno fuissemus. Propterea quod (vt philoso
phi dicerent) ex quibus particulis minimis consistere-
mus, eæ quotidie ex nostro corpore decederent, aliæ-
que extrinsecus in earum locum accederent. Quapro-
pter cuius rei species eadem cõsisteret, rem quoq; ean-
dem esse existimari.

LXXVII. AFRRICANVS *lib.* III. *Quæstionum.*

IN priuatis negociis pater filium, vel filius patré iudĩ
cem habere potest.

C LXXVIII. PAVLVS *lib.* VI. *ad Plautium.*

QVippe iudicare munus publicum est.

LXXIX. VLPIANVS *li.* V. *de officio pcõsulis.*

EVm, quem temerè aduersarium in iudicium vocas-
se constiterit: viatica, litísque sumptus aduersario
suo reddere oportebit. Iudicibus de iure dubitanti-
bus, præsides respondere solent: sed de facto consulen-
tibus, non debent præsides consilium impertire: verùm
iubere eos, prout religio suggesserit, sententiam profer-
re. hæc enim res nonnunquam infamat, & materiam gra-
tiæ vel ambitionis tribuit.

LXXX. POMPONIVS. *lib.* II. *ad Sabinum.*

SI in iudicis nomine vel prænomine erratum est: Ser-
uius respondit, si ex conuentione litigatorum is iu-
dex

dex aditus esset, eum esse iudicē, de quo litigatores sensissent. D

Priuatorum consensus non facit iudicem eum, qui nulli praeest iurisdictioni. Bartolus.

LXXXI. VLPIANVS *lib.* V. *Opinionum.*

QVi neque iurisdictioni pręest: neque à principe potestate aliqua præditus, neque ab eo, qui ius dandorum iudicum habet, datus est: nec ex compromisso sumptus, vel ex aliqua lege confirmatus est: iudex esse non potuit.

LXXXII. IDEM *lib.* I. *de officio proconsulis.*

NOnnũquàm solét magistratus populi Romani viatorem nominatim vice arbitri dare, quod raro, & non nisi re vrgente faciendum est. E

DE INOFFICIOSO TESTAMENTO. *Titulus* II.

†*In hunc tractatū vide insignia exēpla apud Valeriū Maxi. li. 7. ca. 7. de Testamētis quæ rescissa sunt.*

VLPIANVS *lib.* XIIII. *ad edictum.*

SCiendum est, frequētes esse inofficiosi querelas. omnibus enim tam parentibus, quàm liberis de inofficioso licet disputare. Cognati enim proprij, qui sunt vltra fratrem: melius facerēt, si se sumptibus inanib⁹ non vexarent, cùm obtinere spem non habeant.

Querela proponitur captato colore dementiæ: in qua proponens debet probare se indignè esse ab hærede submotū. Bartolus. F

II. MARTIANVS *lib.* III. *Institutionum.*

HOc colore INOFFICIOSO TESTAMENTO agitur, quasi non sanæ mentis fuerint, vt testamentum ordinarent. & hoc dicitur, nō quasi verè furiosus vel demens testatus sit: sed rectè quidem fecerit testamentum, sed non ex officio pietatis. nam si verè furiosus esset, vel demens: nullum esset testamentum.

III. MARCELLVS *lib.* III. *Digestorum.*

INofficiosum testamentū dicere hoc est: allegare, quare exhæredari, vel præteriri non debuerit: quod plerumque accidit, cùm falsò parentes instimulati, liberos suos testamento vel exhæredant, vel prætereunt.

IIII. MA-

IIII. MAXIMVS *ad L. Falcidiam.*

A Non est enim consentiendum† parentibus, qui iniuriam aduersus liberos suos testamento inducunt. quod plerunque faciũt, malignè circa sanguinem suum inferentes iudicium, nouercalibus delinimentis, instigationibúsve corrupti.

†Præclarè in hãc sententiã Pla. dial. II. de legibus.

V. MARCELLVS *lib. III. Digestorum.*

Nam & his, qui non ex masculis descendunt, facultas est agẽdi: cũ & de matris testamẽto agant, & obtinere assiduè soleant. Huius autem verbi DE INOFFICIOSO vis illa (vt dixi) est: docere immerẽtem se, & ideo indignè præteritum, vel etiam ex hæredatione submotum: résq; illo colore defenditur apud iudicem,

B vt videatur ille non quasi sanæ mentis fuisse, cùm testamentum iniquè ordinaret.

Posthumus præteritus vel exhæredatus potest agere querela eo casu quo posset iam natus succedere vt suus vel legitimus. Bartolus.

VI. VLPIANVS *lib. XIIII. ad edictum.*

Posthumus inofficiosum testamentum potest dicere eorum, quibus suus hęres vel legitimus potuisset fieri, si in vtero fuerit mortis eorũ tempore. Sed & cognatorum: quia & horum ab intestato potuit bonorum possessionem accipere. Quid ergo eis imputatur, cur intestati non decesserant? sed hoc nemo apud iudicem potest impetrare. non enim interdicitur testamenti factione.

C Hoc planè eis imputari potest, cur eum hæredem non scripserint. potuit enim scriptus hæres in possessionem mitti ex clausula DE VENTRE IN POSSESSIONEM MITTENDO. item natus SECVNDVM TABVLAS haberet. Similiter modo & eũ, qui post testamentum matris factum exsecto ventre extractus est, posse queri dico. Si quis ex his personis, quę ad successionẽ ab intestato non admittuntur, de inofficioso egerit (nemo enim eum repellit) & casu obtinuerit: non ei proficit victoria, sed his, qui habebant ab intestato successionem. nam intestatum patremfamiliâs fecit. Si quis instituta accusatione inofficiosi decesserit, an ad hæredem suum querelam transferat? Papinianus respondit, quod & quibusdam rescriptis significatur: si post agnitam bo-

norum poſſeſſionem deceſſerit, eſſe ſucceſſionem accuſationis. Sed & ſi non ſit petita bonorũ poſſeſſio, iam tamen cœpta controuerſia, vel præparata: vel ſi, cùm venit ad mouendam inofficioſi querelam, deceſſerit: puto ad hæredem tranſire. D

VII. PAVLVS *lib. ſingulari de centumuiralibus iudiciis.*

QVemadmodum præparaſſe litem quis videatur, vt poſſit trãſmittere actionem, videamus. & ponamus in poteſtate eum fuiſſe, vt neque bonorum poſſeſſio ei neceſſaria, & aditio hæreditatis ſuperuacua ſit. is ſi cõminatus tãtum accuſationem fuerit, vel vſque ad denunciationem, vel libelli dationẽ proceſſerit: ad hæredem ſuum accuſationem trãſmittet, idque diuus Pius de libelli datione & denunciatione reſcripſit. Quid ergo, ſi in poteſtate non fuerit? an ad hęredem ſuum actionem tranſmittat? & rectè videtur litem præparaſſe, ſi ea fecerit, quorum ſuprà mentionem habuimus. E

VIII. VLPIANVS *lib. XIIII. ad edictum.*

PApinianus libro quinto quæſtionum rectè ſcribit: inofficioſi querelam patrem filij ſui nomine inſtituere non poſſe, inuito eo. ipſius enim iniuria eſt. Sequenti loco ſcribit: ſi filiusfamiliàs poſt agnitam bonorum poſſeſſionem litis ordinandæ gratia deceſſerit: finitam eſſe inofficioſi querelam, quæ non patri, ſed nomine filij dabatur. Si quis poſt rem inofficioſi ordinatam, litem dereliquerit: poſtea non audietur. F

Dignitas inſtituti hanc querelam non impedit. Bartolus.

Si Imperator ſit hæres inſtitutus:† poſſe inofficioſum dici teſtamentum, ſæpiſſimè reſcriptum eſt. Papinianus libro ſecundo reſponſorum ait, contra veterani patrisfamiliàs teſtamentum eſſe inofficioſi querelam: & ſi ea ſola bona habuit, quæ in caſtris quæſierat. Si quis in militia fecerit teſtamẽtum, & intra annum poſt militiam deceſſerit: dubito, an (quia ad hoc vſque tempus iure militari teſtamentum eius valet) querela inofficioſi ceſſet. & poteſt dici.

†Vnde Antonin᷑ Pi᷑, hæreditates eorum q filios habebãt repudiauit. & Pertinax pfeſſus eſt. nullius ſe aditurum

Tabulæ pupillares non ſubiacent querelæ per ſe: ſed rupto teſtamento paterno in totum, & ipſæ tabulæ pupillares rumpuntur: ſecus ſi pro parte. Bartolus.

Sed

Sed neque impuberis filij mater inofficioſum teſtamentũ dicit: quia pater hoc ei fecit, & ita Papinianus reſpondit. Nec patris frater: quia filij teſtamentum eſt. ergo nec frater impuberis, ſi patris non dixit. Sed ſi in patris obtentum: nec hoc valebit, niſi pro parte patris reſciſſum eſt. tunc enim pupillare valet.

Si quarta cauſſa mortis donetur, querela excluditur h. d. Illud hodie corrigitur: quia debet habere quartã iure inſtitutionis: vt in authẽtica, Vt cũ de appella. cogno. §. Aliud quoq; capitulum. Bartolus.

Si quis mortis cauſſa filio donauerit quartam partem eius, quod ad eum eſſet peruenturum, ſi inteſtatus paterfamiliâs deceſſiſſet: puto securè eum teſtari. Si quis impuberi filio ſubſtituit, ſecundas tabulas ei faciendo: non ob hoc admittimus ipſum impuberem ad inofficioſi querelam. Quoniam autem quarta debitæ portionis ſufficit ad excludendã querelam: videndũ erit, an exhæredatus partẽ faciat, qui nõ queritur: vtputa ſumus duo filij exhæredati. & vtique faciet, vt Papinianus reſpondit: & ſi dicam inofficioſum, nõ totam hæreditatem debeo, ſed dimidiam petere. Proinde & ſi ſint ex duobus filiis nepotes ex vno tres puta, pluréſve, ex vno vnus: vni cum ſeſcuncia, vnũ ex illis ſemiuncia querela excludit.

Quarta aũt accipietur, ſcilicet deducto ære alieno, & funeris impenſa. Sed an & libertates quartam minuant, vidẽdum. nanque ſi cùm quis ex aſſe hæres inſtitutus eſt, ideo nõ poteſt dicere inofficioſum, quia habet Falcidiã (Falcidia autem libertates non minuit) poteſt dici, deductis libertatibus quartam ineundam. Cùm igitur placet, quartã minui per libertates: eueniet, vt qui ſeruos tantũ habet in patrimonio ſuo, dando eis libertates, inofficioſi querelam excludat. Niſi fortè hic filius, ſi non fuit in poteſtate patris, à patre hæres inſtitut⁹, meritò omittet hęreditatem: & ad ſubſtitutum tranſmittens, querelam inofficioſi inſtituet: vel ab inteſtato citra edicti pœnam habebit hæreditatem.

Datum cauſſa conditionis implendæ, in legitimam imputatur & querelam excludit. Bartolus.

Si conditioni parere teſtator hæredẽ iuſſit: in perſona filij vel alterius, qui eandẽ querelam mouere poteſt,

hæreditatẽ quæ aut adulatiõe alicui⁹ delata eſſet, aut lite perplexa, vt legitimi hæredes et neceſſarii priuarentur. Addiditq; S. C. hæc verba Sanctius eſt P. C. inopem Remp. obtinere, q̃ad diuitiarũ cumulum per diſcrimina atq; dedecorũ veſtigia peruenire. Author Iulius Capitolin. in eiſdem.

cùm ſciens id accepit, videndū eſt, ne ab inofficioſi querela excludatur. agnouit enim iudicium. idem eſt & ſi legatarius ei, vel ſtatuliber dedit. Et poteſt dici excludi eum, maximè ſi hæredem ei iuſſerat dare. Cęterùm ſi legatarium: nunquid ſemel natā inofficioſi querelam non perimat legatarij oblatio? Cur ergo in hærede abſolutè diximus? Quoniam ante aditam hæreditatem nec naſcitur querela. Ego euentum puto ſequendum in hac re: vt ſi fortè ante, quàm iudiciū moueatur, oblatio ei fiat eius, quod relictum eſt: quaſi ex volūtate teſtatoris, oblatione ſatis ei factum videatur. D

Grauatus de reſtituendo poſt certum tempus, fructus medii temporis ſibi in legitimam computet. Bartolus.

Vnde ſi quis fuit inſtitutus, fortè ex ſemiſſe: cū ei ſextans ex ſubſtantia teſtatoris deberetur, quod rogatus eſſet poſt certum tēpus reſtituere hæreditatē: meritò dicendum eſt, nullū iudicium mouere, cùm debitam portionem & eius fructus habere poſſit. fructus enim ſolere in Falcidiā imputari, non eſt incognitum. Ergo & ſi ab initio ex ſemiſſe hæres inſtitutus, rogetur poſt decenniū reſtituere hæreditatē: nihil habet, quod queratur. quoniam facilè poteſt debitā portionem, vel ex fructibus eius medio tempore cogere. Si quis irritum dicat eſſe teſtamentum, vel ruptum, vel inofficioſum: conditio ei deferri debet, vtrum prius mouere velit. E

Ius reſcindens poteſt in modum cōtradictionis proponi. Bartolus. F

Si filius exhęredatus in poſſeſſiōe ſit hæreditatis, ſcriptus quidem hæres petet hæreditatem, filius verò in modum cōtradictionis querelam inducet: quemadmodum ageret, ſi non poſſideret, ſed peteret. Meminiſſe autem oportebit, eum qui teſtamentū inofficioſum improbè dixit: ſi non obtinuit, id quod in teſtamento accepit, perdere: & id fiſco vindicari, quaſi indigno ablatum. Sed ei demum aufertur, quod teſtamento datū eſt, qui vſque ad ſententiam in iudicium lite improba perſeuerauit. Cæterùm ſi ante ſententiam deſtitit vel deceſſit: non ei aufertur, quod datū eſt. proinde etiam ſi abſente eo ſecundum pręſentem pronuncietur: poteſt dici conſeruandū ei, quod accepit. Eo autem ſolo carere quis debet, cuius emo-

ius emolumentũ ad eum pertineret. Cęterùm si id rogatus fuit restituere: non debet iniuria fieri. Vnde non ma A lè Papinianus libro secundo Responsorum refert: si hęres fuerit institutus, & rogatus restituere hæreditatem, deinde in querela inofficiosi non obtinuit: id quod iure Falcidiæ potuit habere, solum perdere.

Quarta ex cõstitutione diui Pii excludit querelã. Itẽ qui in querela succũbit, nõ perdit quod ei aliũde quã ex testamẽto debetur. B.

Si quis impubes adrogatus sit ex his personis, quæ & citra adoptioné & emancipationem queri de inofficioso possunt: hunc puto remouendũ à querela, cùm habeat quartam ex constitutione diui Pij. Quid si egit, nec obtinuit: an quartam perdat? & puto, aut non admittẽdum ad B inofficiosum, aut si admittatur (& si nõ obtinuerit) quartam ei quasi æs alienum concedendam.

Rescisso testamẽto nõ debẽtur legata vel libertates: & soluta repetũtur, sed libertates debẽtur si post quinquennium agatur, vel etiam ante, si sunt directò relicta: sed preciũ pro eis præstabitur. Bartolus.

Si ex caussa de inofficioso cognouerit iudex, & pronũciauerit cõtra testamẽtũ, nec fuerit prouocatũ: ipso iure rescissum est, & suus hæres erit, secundũ qué iudicatum est, & si bonorũ possessor hoc se cõtẽdit. & libertates ipso iure non valẽt: nec legata debẽtur, sed soluta repetuntur aut ab eo, qui soluit, aut ab eo, qui obtinuit. & hæc vtili actione repetũtur. Ferè auté si ante controuersiã mo C tam soluta sunt: qui obtinuit, repetet: & ita diuus Hadrianus, & diuus Pius rescripserũt. Planè si post quinquenniũ inofficiosũ dici cœptũ est, ex magna & iusta caussa: libertates nõ esse reuocãdas, quæ cõpetierunt vel præstitæ sunt, sed viginti aureos à singulis pręstandos victori.

IX. MODESTINVS *lib. singulari de inofficioso testamẽto.*

SI autem intra quinquenniũ egerit, libertates non cõpetunt. Sed Paulus ait, præstaturum victoré fideicõmissarias libertates, solum viginti aureis & in hoc casu à singulis præstandis. † *Vide in hũc locum Problema Aristo. Sectiõe. 17.*

vbi sunt dissona seu diuersæ sentẽtiæ, præualet ea, quæ est pro testamento. B. X. MARCELLVS *lib. III. Digestorum.*

SI pars iudicantium † de inofficioso cõtra testamentũ, pars secũdum id sentẽtiam dederit (quod interdum

fieri ſolet)humanius erit, ſequi eius partis ſententiam, quæ ſecundum teſtamentú pronunciauit: niſi apertè iudicem iniquè ſecundum ſcriptum hæredem pronunciaſſe apparebit. Illud notiſſimum eſt:eum,qui legatú percepit,non rectè de inofficioſo teſtamento dicturum:niſi id totum alij adminiſtrauit. D

XI. MODESTINVS *lib.* III. *Reſponſorum.*

ETiã ſi querela inofficioſi teſtamenti obtinuerit:non ideo tamẽ donationes, quas viuus ei perfeciſſe proponitur,infirmari neque in dotem datorum partem vindicari poſſe, reſpondi.

Siue quis agnoſcat relictum ſibi directo,ſiue per conſequentiam: repellitur à querela.Bartolus.

XII. IDEM *lib.ſingulari de præſcriptionibus.* E

NIhil intereſt, ſibi relictum legatum filius exhæredatus agnouerit:an filio ſeruóve relictum conſecutus ſit.vtrubique enim præſcriptione ſubmouebitur.Quinetiam ſi idem inſtitutum ſeruum prius,quàm adire hæreditatem iuberet, manumiſerit, vt ille ſuo arbitrio adeat hæreditatem,idque fraudulento conſilio fecerit:ſubmouebitur ab actione. Si à ſtatu libero exhæredatus pecuniam petere cœperit:videri poteſt agnouiſſe parentis iudicium. Si cú filius ademptum ſibi legatum inſtituerit petere,ſubmotus repetat inofficioſi querelam: præſcriptione remouendus non eſt. quamuis enim agẽdo teſtamentum adprobauit: tamen eſt aliquid, quod teſtatoris vicio reputetur,vt meritò repellendus non ſit. F

Quod alicui per conſequentiam quæritur abſque facto ſuo, eum non remouet à querela.Bartolus.

Filius teſtatoris,qui cum Titio eiuſdem pecuniæ reus fuerat:liberatione Titio legata,per acceptilationem Titij liberatus,ab actione inofficioſi non ſubmouebitur.

Rupto teſtamento per querelam non debentur legata ex uigore repetitionis factæ ab inteſtato.Bartolus.

XIII. SCAEVOLA *lib.* III. *Reſponſorum.*

TItia filiam hæredem inſtituit. filio legatum dedit eodem teſtamento,& ita cauit.omnia ea,quæ ſuprà dari fieri iuſſi,ea dari fieri volo ab omni hærede, bonorúmve poſſeſſore, qui mihi erit,etiam iure inteſtati.

Item

Item quæ dari fieri iussero, ea vti dentur fiant, fidei e-
A ius committo. Quæsitum est, si soror centumuirali * iu- * De centumuirali iudicio
dicio obtinuerit: an fidei commissa ex capite suprascri- Cic. lib. 1.
pto debeantur? si hoc quæratur: an iure eorũ, quos quis de orat.
sibi ab intestato hæredes, bonorúmve possessores futu- Suet. in
ros credat, fidei committi possit? Respondi, posse. PAV- Vespas.
LVS notat ac probat, nec fidei cõmissa ab intestato da- Quinti. li.
ta deberi, quasi à demente. 5. cap. de præiudiciis.

In successione contra testamentum, filiorum caussa est potior quã caussa parentum: quibus exclusis parentes admittuntur: licet turbato ordine eis successio debeatur. Bar.

XIIII. PAPINIANVS *lib.* V. *Quæstionum.*

B Pater filium emancipauit, & nepotem ex eo retinuit. emancipatus, suscepto postea filio, ambobus exhæredatis, patre præterito, vita decessit. in quæstione de inofficioso testamento, præcedente caussa filiorum, patris intentio adhuc pendet. Quod si contra filios iudicetur: pater ad querelam vocatur, & suam intentionem implere potest.

XV. IDEM *lib.* IIII. *Quæstionum.*

Nam & si parentibus non debeatur filiorum hęreditas propter votum parentum, & naturalem erga filios charitatem: turbato tamen ordine mortalitatis, non minus parentibus, quàm liberis piè relinqui debet.

C Hæredi eius, qui post litem de inofficioso præparatam, voluntate mutata decessit: non datur de inofficioso querela. non enim sufficit litem instituere, si non in ea perseueres.

Ex postfacto potest quis decedere pro parte testatus, & pro parte intestatus. Bart.

Filius, qui inofficiosi actione aduersus duos hæredes expertus, diuersas sententias iudicum tulit, & vnum vicit, ab altero superatus est: & debitores conuenire, & ipse à creditoribus pro parte conueniri potest, sed & corpora vindicare, & hæreditatem diuidere. verum enim est, familiæ Erciscundæ iudicium competere: quia credimus eum legitimum hæredem pro parte esse factum, & ideo pars hæreditatis in testamento remansit. nec absurdum videtur, pro parte intestatum videri.

Si vnus ex filiis pro parte sua querelam intentauit, alteri tacenti non prodest Bart.

XVI. IDEM *lib.* II. *Responsorum.* D

Filio, qui de inofficioso matris testamento contra fratrem institutum pro parte egit, & obtinuit: filia, quæ non egit, aut quæ non obtinuit: in hæreditatem legitimam fratri non concurrit.

Pater qui contra tabulas querelam indebitè intentauit, vincentibus filiis in querela hæreditatem & fructus restituere tenetur. B.

Contra tabulas filij possessionem iure manumissionis pater accepit. postea filia defuncti, quam ipse exhæredauit, quæstionem inofficiosi testamenti rectè pertulit. possessio, quam pater accepit, ad irritũ récidit. nã priore iudicio de iure patris, non de iure testamenti quæsitum est. & ideo vniuersam hæreditatem filiæ cum fructibus restitui necesse est. E

Qui non admittitur nec admitti speratur ad partem, non facit partem: secus si speratur admitti. Bart.

XVII. PAVLVS *lib.* II. *Quæstionum.*

Qui repudiantis animo non venit ad accusationem inofficiosi testamenti: partem non facit his, qui eãdem querelam mouere volũt. Vnde si de inofficioso testamento patris, alter ex liberis exhæredatis ageret: quia rescisso testamento, alter quoque ad successionem ab intestato vocatur, & ideo vniuersam hæreditaté nõ rectè vindicasset: hic si obtinuerit, vtet̃ rei iudicatę authoritate: quasi centũuiri hunc solũ filiũ in rebus humanis esse nunc, cũ facerent intestatum, crediderint. F.

Sententia lata in querela facit ius quo ad omnes, si lata est contra præsentem: secus si contra absentem. Bar.

Cùm contra testamentum vt inofficiosum iudicatur: quia testamenti factionem habuisse defunctus non creditur: ideo non probandum est, si hærede nõ respondéte, secundum præsentem iudicatum sit. hoc enim casu nõ creditur ius ex sententia iudicis fieri. & ideo libertates competunt, & legata petuntur.

XVIII. IDEM *libro singulari de inofficioso testamento.*

De qua re etiam constitutio exstat diuorum fratrũ, quæ huiusmodi distinctionem admittit.

Querela

Querela non poteſt intentari niſi pro ea parte, pro qua quis ab inteſtato ſucceſſurus eſt: ſed ſi pro ſolido teſtamentum infirmaretur, à ſucceſſione ab inteſtato non repellitur qui ex teſtamento adiuerat. Bartolus.

A

XIX. IDEM *lib.* II. *Quæſtionum.*

MAter decedens extraneum ex dodrante hæredé inſtituit, filiam vnam ex quadrante, alterã præteriit. hæc de inofficioſo egit, & obtinuit. Quæro ſcriptæ filię quomodo ſuccurrendum ſit? Reſpondi. filia præterita id vindicare debet, quod inteſtata matre habitura eſſet. Et quamquàm dici poteſt: eam, quæ omiſſa eſt (etiam ſi totã hæreditatem petat, & obtineat) ſolam ab inteſtato habituram vniuerſam ſucceſſionem, quemadmodum ſi altera omiſiſſet legitimam hæreditatem. Sed non eſt admittendum, vt aduerſus ſororem audiatur agendo de inofficioſo. Præterea dicendum eſt, non eſſe omittenti ſimilem eam, quæ ex teſtamento adiit. & ideo ab extraneo ſemiſſem vindicandum: & defendendum, totum ſemiſſem eſſe auferendum, quaſi totus ſemis ad hanc pertineat. ſecundum quod non in totum teſtamentum infirmatur, ſed pro parte inteſtata efficitur: licet, quaſi furioſæ, vltimum iudicium eius damnetur. Cæterùm ſi quis putauerit, filia obtinente, totum teſtamentum infirmari: dicendum eſt, etiam inſtitutam ab inteſtato poſſe adire hæreditatem. nec enim, quæ ex teſtaméto adiit, quod putabat valere: repudiare legitimam hæreditatem videtur, quã neſcit ſibi deferri: cùm & hi, qui ſciant ius ſuum, eligentes id quod putant ſibi competere, non amittant. Quod euenit in patrono, qui iudicium defuncti, falſa opinione motus, amplexus eſt. is enim non videtur bonorum poſſeſſionem contra tabulas repudiaſſe. Ex quibus apparet, nõ rectè totam hæreditatem præteritam vindicare: cum reſciſſo teſtamento, etiam inſtitutæ ſaluum ius ſit adeundæ hæreditatis.

B

C

Ex hæredato non datur Carboniana bonorum poſſeſſio. Bar.

XX. SCAEVOLA *lib.* II. *Quæſtionum.*

QVi de inofficioſo vult dicerę, ſi & negetur filius: Carbonianam bonorum poſſeſſioné non debet accipere. toties enim ea indulgenda eſt, quoties ſi verè

si verò filius esset, hæres esset aut bonorum possessor: vt interim & possideat, & alatur, & in actionibus præiudicium non patiatur. Qui verò de inofficioso dicit: nec actiones mouere debet, nec aliam vllam, quàm hæreditatis petitionem, exercere: ne aliàs vnquàm melioris sit conditionis, quàm si confiteatur aduersarius. D

Qui fraude hæredis scripti desistit, destitisse non videtur. Bart.

XXI. PAVLVS *lib.* II. *Responsorum respondit.*

EVm, qui inofficiosi testamenti querelam instituit: & fraude scripti hæredis, quasi tertiam partem hæreditatis tacitè rogatus esset ei restituere, reliquit eam actionem: non videri deseruisse querelam, & ideo non prohiberi eum repetere inchoatam.

Qui sciens indebitum soluit, non repetit. Bar.

E

Item cùm quæsitum esset, an hæres audiendus esset, ante inofficiosi querelam actam, desiderans restitui sibi ea, quæ soluit? respondit: ei, qui sciens indebitum fidei commissum soluisset, nullam repetitionem ex ea caussa competere. Idem respondit, euicta hæreditate per inofficiosi querelam ab eo, qui hæres institutus esset: perinde omnia obseruari oportere, ac si hæreditas adita non fuisset. & ideo & petitionem integram debiti hæredi instituto aduersus eum, qui superauit, competere, & compensationem debiti.

Factum patris non tollit querelam filio competentem. Et qui nomine alterius egit querela, & succubuit, non perdit id quod sibi relictum est. Bar. F

XXII. TRIPHONINVS *lib.* VII. *Disputationum.*

FIlius non impeditur, quò minus inofficiosum testamentum matris accuset: si pater eius legatum ex testamēto matris acceperit, vel adierit hæreditatem, quāquam in eius est potestate: nec prohiberi patrem dixi iure filij accusare. nam indignatio filij est. Item quærebatur, si non obtinuisset in accusando: an quod patri datum est, publicaretur? quoniam alij commodum victoriæ parat, & in hac caussa nihil ex officio patris, sed totum de meritis filij agitur: inclinandum est, non perdere patrem sibi datum, si secundum testamentum pronunciatum sit. Multò magis si mihi legatum testator dederit,

derit, cuius de inofficioſo teſtamento filius agens deceſ-
A ſit, me hærede relicto: egoque hæreditariam cauſſam pe
regi, & victus ſum: id quod mihi ex eo teſtamento relictum eſt, non perdam. vtique ſi iam defunctus agere cœperat. Itemque ſi adrogaui eum, qui instituerat litem de inofficioſo teſtamento eius, qui mihi legatum dedit: litemque peregero nomine filij, nec obtinuero: perdere me legatum non oportet. quoniam indignum eſt, vt auferatur mihi à fiſco id, quod derelictum eſt: cùm non proprio nomine, ſed iure cuiuſdam ſucceſſionis egi.

Si teſtamentum rumpitur per contra tabulas ſiue per querelam, nepos in poteſtate retentus filio emancipato coniungitur. Bar.

XXIII. PAVLVS *libro ſingulari de inofficioſo teſtamento.*

B SI ponas filium emancipatum præteritum, & ex eo nepotem in poteſtate retentum hæredem inſtitutum eſſe: filius poteſt contra filium ſuum, teſtatoris nepotem petere bonorum poſſeſſionem, queri autē de inofficioſo teſtamento non poterit. Quòd ſi exhæredatus ſit filius emancipatus, poterit queri: & ita iungetur filio ſuo, & ſimul cum eo hæreditatem obtinebit. Si hæreditatē ab hæredibus inſtitutis exhæredati emerunt, vel res ſingulas, ſcientes eos hæredes: aut cōduxerunt prædia, aliúdve quid ſimile fecerunt: vel ſoluerunt hæredi, quod teſtatori debebant: iudicium defuncti agnoſcere videntur, & à querela excluduntur.
C Si cū duo ſint filij exhęredati, ambo de inofficioſo teſtamento egerunt, & vnus poſtea conſtituit non agere: pars eius alteri adcreſcit. Idemque erit, & ſi tempore excluſus ſit.

Ex poſt facto poteſt quis decedere pro parte teſtatus, & pro parte inteſtatus. Bar.

XXIIII. VLPIANVS *lib. XIX. ad Sabinum.*

CIrca inofficioſi querelam euenire plerūq; adſolet, vt in vna atq; eadem cauſſa diuerſæ ſententiæ proferantur. quid enim, ſi fratre agente, hæredes ſcripti diuerſi iuris fuerunt? quod ſi fuerit: pro parte teſtatus, & pro parte inteſtatus deceſſiſſe videbitur.

Datum inter viuos vt computetur in quartam, querelam excludit: & ad ſupplementum agetur, & in collationem veniet. Bar.

XXV. IDEM *lib.* III. *Disputationum.*

SI non mortis caussa fuerit donatum, sed inter viuos: hac tamen contemplatione, vt in quartam habeatur: D potest dici inofficiosi querelam cessare, si quartam in donatione habeat. at si minus habeat: quod deest, viri boni arbitratu repletur: aut certè conferri oportet id, quod donatum est.

Etiam eo cuius non interest agente testamentum rumpitur: & si præcedens est exclusus, sequenti non obstat. Bartolus.

Si quis, cum non possit de inofficioso queri, ad querelam admissus, pro parte rescindere testamentum tentet: & vnum sibi hæredem eligat, contra quem inofficiosi querelam instituat: dicendum est, quia testamentũ pro parte valet, & præcedentes eum personæ exclusæ E sunt: cum effectu eum querelam instituisse.

Libertas data caussa implendi conditionem in testamento inofficioso adiectam, non rescinditur: sed eius precium à manumisso soluitur. Bartolus.

XXVI. IDEM *lib.* VII. *Disputationum.*

SI sub hac conditione fuerit hæres institutus, si Stichum manumisisset, & manumiserit: & postea, quàm manumisit, inofficiosum vel iniustum testamentum pronuncietur: æquũ est, huic quoq; succurri, vt serui precium à manumisso accipiat, ne frustra seruum perdat.

Si fides transactionis non seruatur, potest exhæredatus ad querelam redire. Bartolus. F

XXVII. IDEM *lib.* VI. *Opinionum.*

SI instituta de inofficioso testamento accusatione, de lite pacto transactum est, nec fides ab hærede transactioni præstatur: inofficiosi caussam integram esse placuit. Ei, qui se filium eius esse adfirmat, qui in testamento id negauit, tamen eum exhæredauit: de inofficioso testamento caussa superest. De inofficioso testamento militis dicere, nec miles potest. De inofficioso testamento nepos contra patruum suum, vel alium scriptum hæredem pro portione egerat, & obtinuerat: sed scriptus hęres appellauerat. placuit interim propter inopiam pupilli alimenta pro modo facultatum, quæ inofficiosi testamenti accusatione pro parte ei vindicabãtur, de-

tur, decerni: eaque aduerſarium ei ſubminiſtrare neceſ-
A ſe habere vſque ad finem litis. De teſtamento matris, quæ exiſtimans periſſe filium, alium hæredem inſtituit: de inofficioſo queri poteſt.

Si teſtamentum rumpitur ex cauſſa præteritionis facta re nō con ſilio: legata remanent valida. Bartolus.

XXVIII. PAVLVS *lib. ſingulari de centumuiralibus iudiciis.*

CVm mater militem filium falſo audiſſet deceſſiſſe, & teſtamento hæredes alios inſtituiſſet: diuus Hadrianus decreuit hæreditatem ad filium pertinere, ita vt libertates & legata præſtentur. hic illud adnotatum eſt, quòd de libertatibus & legatis adiicitur. nam cùm
B inofficioſum teſtamentum arguitur, nihil ex eo teſtamento valet.

Ille cuius intereſt, poteſt adeſſe cauſſæ, ne colludatur. Bartolus.

XXIX. VLPIANVS *lib.* VI. *Opinionum.*

SI ſuſpecta colluſio ſit legatariis inter ſcriptos hæredes & eum, qui de inofficioſo teſtamento agit: adeſſe etiam legatarios, & voluntatem defuncti tueri, conſtitutum eſt: eiſque permiſſum eſt etiam appellare, ſi contra teſtamentum pronunciatum fuerit. De inofficioſo teſtamento matris ſpurij quoque filij dicere poſſunt. Quamuis inſtituta inofficioſi teſtamenti accuſatione res trāſactione deciſa ſit: tamen teſtamentū in ſuo
C iure manet. Et ideo datę in eo libertates atq; legata, vſq; quo Falcidia permittit, ſuā habent poteſtatem. Quoniam fœmina nullū adoptare filium ſine iuſſu principis poteſt: nec de inofficioſo teſtamento eius, quam quis ſibi matrem adoptiuam falſò exiſtimabat, agere poteſt.

In ea prouincia de inofficioſo teſtamēto agi oportet, in qua ſcripti hæredes domicilium habent.

XXX. MARTIANVS *lib.* III. *Inſtitutionum.*

ADuerſus teſtamentū filij in adoptionem dati, pater naturalis rectè de inofficioſo teſtamento agere poteſt. Tutorib' pupilli nomine ſine periculo eius, quod eis teſtamēto datū eſt, agere de inofficioſo vel falſo teſtamento, diui Seuerus & Antoninus permiſerunt.

In querela locus eſt ſucceſſorio edicto. Bartolus.

XXXI.

XXXI. PAVLVS *lib. singu. de centũuiralibus iudiciis.*

SI is, qui admittitur ad accusationem, nolit aut nõ possit accusare: an sequens admittatur, videndum est. & placuit posse, vt fiat successioni locus. Quãtum ad inofficiosi liberorum vel parẽtum querelam pertinet, nihil interest, qui sit hæres scriptus: ex liberis, an extraneis, an municipibus. D

Qui hæredi instituto iure vniuersali succedit, à querela non excluditur. secus si titulo particulari. Bartolus.

Si hæres exstiterim ei, qui eo testamẽto institutus est, quod de inofficioso testamento arguere volo: non mihi nocebit, maximè si eam portionem non possideam, vel iure suo possideã. Diuersum dicemus, si legauerit mihi eam rem, quam quis ex eo testamento acceperat. nam si eam agnoscam, repellar ab accusatione. Quid ergo si aliâs voluntatem testatoris probauerim? puta in testamẽto scripserim, post mortem patris me consentire? repellendus sum ab accusatione. E

Qui est aduocatus pro hærede, videtur approbare testamentum. *Bartolus.*

XXXII. IDEM *lib. singulari de inofficioso testamẽto.*

SI exhæredatus petenti legatum ex testamento, aduocationem præbuit, procuratıonẽmve suscepit: remouetur ab accusatione. agnouisse enim videtur, qui quale quale iudicium defuncti adprobauit. Si legatario hæres exstiterit exhæredatus, petieritque legatum: videbimus, an sit submouẽdus ab hac accusatione. certum est enim iudicium defuncti: & rursus nihil ei ex testamento relictum, verum est. tutius tamen fecerit, si se abstinuerit à petitione legati. F

DE PETITIONE HAEREditatis. Tit. III.

I. CAIVS *lib. VI. ad edictum prouinciale.*

HAereditas ad nos pertinet aut vetere iure, aut nouo. Vetere: ex lege duodecim tabularum, vel ex testamento, quod iure factum est.

II. VLPIANVS. *lib.* XV. *ad edictum.*

A Siue nostro nomine hæredes, siue per alium effecti sumus.

III. CAIVS *lib.* VI. *ad edictum prouinciale.*

Veluti si eam personam, quæ in nostra potestate sit, institutam iusserimus adire hęreditatem. Sed & si Titio, qui Seio hæres exstitit, nos hæredes facti sumus: sicuti Titij hæreditatem nostram intendere possumus, ita & Seij. Vel ab intestato: fortè quòd sui hæredes defuncto sumus, vel adgnati, vel quod manumisimus defunctum, quódve parens noster manumisit. Nouo iure fiunt hæredes omnes, qui senatusconsultis, aut ex cōstitutionibus ad hæreditatem vocantur.

B *In iudicio vniuersali veniunt ea quæ post litis contestationē reus cœpit possidere.* Bartolus.

IIII. PAVLVS *lib.* XX. *ad edictum.*

Si hæreditatem petam ab eo, qui vnam rem possidebat, de qua sola controuersia erat: etiam id, quod postea possidere cœpit, restituet.

Possessio hæreditatis quæ est in cōtrouersia, nō potest alienari, nisi præstita satisdatione, vel caussa cognita si necessitas vrgeat. Bar.

V. VLPIANVS *lib.* XV. *ad edictum.*

Diuus Pius rescripsit: prohibendū possessorem hæreditatis, de qua controuersia erat, antequàm lis inchoaretur, aliquid ex ea distrahere: nisi maluerit pro C omni quantitate hæreditatis, vel rerum eius æstimatione satisdare. Caussa autem cognita, & si non talis data sit satisdatio, sed sola cautio: etiam post litem cœptam, deminutionem se concessurum, prætor edixit: ne in totum deminutio impedita, in aliquo etiam alias vtilitates impediat: vtputa si ad funus sit aliquid necessarium. nam funeris gratia deminutionem permittit. Item si futurum est, vt nisi pecunia intra diem soluatur: pignus distrahatur. Sed & propter familiæ cibaria, necessaria erit deminutio. & res tempore perituras permittere debet prætor distrahere.

Sicut quādo est cōtrouersia super petitione hæreditatis, possessor cogitur satisdare: ita quādo est cōtrouersia de falso testamento. Bar.

Diuus Hadrianus Trebatio Seruiano rescripsit, vt Aelius

Aelius Asiaticus satisdaret de hæreditate, quę ab eo petitur, & si falsum dicat. hoc ideo, quia sustinetur hæreditatis petitionis iudiciũ, donec caussa falsi agatur. eorũ iudiciorũ, quæ de hæreditatis petitione sunt: ea authoritas est, vt nihil in præiudicium eius fieri debeat. D

VI. IDEM *lib.* LXXV. *ad edictum.*

SI testamentum falsum esse dicatur, & ex eo legatum petatur: vel præstandum est oblata cautione, vel quærendum, an debeatur. Et si testamentum falsum esse dicatur: ei tamen, qui falsum accusat, si suscepta cognitio est, non est dandum.

Iudicia particularia per quæ fieret præiudicium petitioni hæreditatis, vel præparatorius eius, debent differri quoad iudicium vniuersale finem accipiat: ad quod potest per iudicem certus terminus statui. secus in iudiciis particularibus, quæ vniuersali præiudicium non pariunt. Bartolus. E

VII. IDEM *lib.* XV. *ad edictum.*

SI quis libertatem ex testaméto sibi competisse dicat: non debebit iudex de libertate sententiam dicere, ne præiudicium de testamento cognitioni fiat: & ita Senatus censuit. sed & diuus Traianus rescripsit: differendum libertatis iudicium, donec de inofficioso iudicium aut inducatur, aut finem accipiat. Ita demum auté sustinentur liberalia iudicia, si iam de inofficioso iudicium contestatum est. cæterùm si non contestatur, non exspectant: & ita diuus Pius rescripsit. Cùm quidam Licinianus de statu suo quæstionem patiebatur, & ne quid durius pronunciaretur de conditione sua, nolebat ad liberale iudicium ire, dicés suscepturum se de inofficioso testamento iudicium, & petiturũ hæreditatem: (quia & libertatem, & hæreditatem ex testamento sibi defendebat) Diuus pius ait, si quidem possessor esset hæreditatis, Licinianum facilius audiédum, quoniam esset hæreditatis nomine iudicium suscepturus: esseque in arbitrio eius, qui se dominum dicat, agere de inofficioso testamento iudicio. Non verò sub obtẽtu iudicij de inofficioso testamento, ab ipso Liciniano non suscepti, per quinquennium debere moram fieri seruituti. Planè summatim existimandum iudici concessit, si bona fide imploretur F

ploretur iudicium de inofficioso testamento:& si id ip-
A se deprehenderit, præstituendum ei modicum tempus, intra quod si non fuerit contestatum, iubeat iudicem libertatis partibus suis fungi. Quoties autem quis patitur controuersiam libertatis & hæreditatis, & se non ex testamento liberum dicit, sed aliâs à viuo testatore manumissum: non debere impediri liberalem caussam, licet iudicium de inofficioso testaméto moueri speretur, diuus Pius rescripsit. Adiecit planè in rescripto: dũmodo prædicatur iudici liberalis caussæ, ne vllum adminiculum libertati ex testamento admittat.

Qui eligit ius incompetens: non videtur renunciare iuri, quod sibi ignorabat competere. Bartolus.

B VIII. PAVLVS *lib.* XX. *ad edictum.*

Legitimam hæreditatem vindicare non prohibetur is, qui cùm ignorabat vires testamenti, iudicium defuncti secutus est.

IX. VLPIANVS *lib.* XV. *ad edictum.*

Regulariter definiendum est, eum demum teneri petitione hæreditatis, qui vel ius pro hærede aut pro possessore possidet, vel rem hæreditariam,

X. CAIVS *lib.* VI. *ad edictum prouinciale.*

Licet minimam. Itaq; qui ex asse, vel ex parte hæres est, intendit quidem hæreditatem suam esse totam, vel pro parte: sed hoc solum ei officio iudicis re-
C stituitur, quod aduersarius possidet. aut totum, si ex asse hæres est: aut pro parte, ex qua hæres est.

XI. VLPIANVS *lib.* XV. *ad edictum.*

Pro hærede possidet, qui putat se hæredem esse. Sed an is, qui scit se hæredem non esse, pro hærede possideat, quæritur. & Arrianus libro secundo de interdictis putat teneri: quo iure nos vti Proculus scribit. Sed enim & bonorũ possessor pro hærede videtur possidere. PRO POSSESSORE verò possidet prædo:

Nota quod quando ratio est idem cum dicto, nihil cõcludit. Bar.

XII. IDEM *lib.* LX. *ad edictum.*

Qui interrogatus, cur possideat, respõsurus sit, quia possideo: nec cõtẽdit se hæredẽ, vel per mẽdaciũ.

XIII. IDEM *lib.* XV. *ad edictum.*

NEc vllã cauſſã poſſeſſiõis poteſt dicere. & ideo fur & raptor petitione hæreditatis tenētur. Omnib' etiam titulis hic PRO POSSESSORE hæret,& quaſi iniũctus eſt.Deniq; & PRO EMPTORE titulo hæret.nã & ſi à furioſo emero ſciens, pro poſſeſſore poſſideo.Item in titulo PRO DONATO quæritur,an quis pro poſſeſſore poſſideat: vtputa vxor vel maritus. & placet nobis Iuliani ſententia, pro poſſeſſore poſſidere eũ. & ideo petitiõe hęreditatis tenebitur.Item PRO DOTE titulus recipit PRO POSSESSORE poſſeſſioné: vtputa ſi à minore duodecim annis nupta mihi,quaſi dotem ſciens accepi.Et ſi legatum mihi ſolutum eſt ex falſa cauſſa ſcienti, vtique pro poſſeſſore poſſidebo. Is autem qui reſtituit hæreditatem, teneri hæreditatis petitione nõ poteſt:niſi dolo fecerit,id eſt, ſi ſcit, & reſtituit. Nam & dolus præteritus venit in hæreditatis petitione,quaſi dolo deſierit poſſidere. D E

Licet quis poſſideat vero titulo: tamen ex perſona auctoris ſui, qui pro hærede vel pro poſſeſſore poſſidebat, poterit conueniri petitione hæreditatis. Bartolus.

Neratius libro ſexto membranarũ ſcripſit,vel ab hęrede eius peti poſſe hæreditatem, etiam ſi ignoret pro hærede vel pro poſſeſſore defunctũ poſſediſſe. Idem eſſe libro ſeptimo ait, etiam ſi putauit hæres eas res ex hac hæreditate eſſe,quæ ſibi delata eſt.

Nota in duobus caſibus hic expreſſis petitionem hæreditatis dari contra titulo poſſidentem. Bartolus. F

Quid ſi quis hæreditatem emerit: an vtilis in eum petitio hæreditatis debet dari, ne ſingulis iudiciis vexetur? venditorem teneri certum eſt. Sed finge non exſtare venditorem,vel modico vendidiſſe,& bonæ fidei poſſeſſorem fuiſſe: an porrigi manus ad emptorem debeant? Et putat Caius Caſſius dandam actionem vtilem. Idem erit dicendum, & ſi paruo iuſſus vendere hæres, Titio hæreditatem vendidit. Nam putat dicendum Papinianus aduerſus fideicommiſſarium dari actionem. ab hærede enim peti non expedire perexiguum precium habente.Sed & ſi retenta certa quantitate, reſtituere rogatus eſt (idem erit dicendum. Planè ſi accepta

certa

certa quantitate restituere rogatus est) non putat Papinianus ab hærede petendam hæreditatem: quoniam pro
A hærede, quod conditionis implendæ gratia accepit, non possidet? Sed Sabinus in statu libero contrà, & verius: quia pecunia hæreditaria est. Idem & in eo, qui solos fructus ex hæreditate retinet, dicendum erit. tenetur enim & is hæreditatis petitione.

Possidens titulo etiam mala fide non potest hac actione conueniri: sed tanquā emptor vniuersitatis potest vtili conueniri. Bartolus.

Sed si quis sciens alienam emerit hæreditatem, quasi pro possessore possidet: & sic peti ab eo hæreditatem quidam putant. Quam sententiam non puto veram. nemo enim prædo est, qui precium numerauerit: sed vt emptor vniuersitatis vtili tenetur. Item si quis à fisco hæreditatem quasi vacantem emerit: æquissimum erit, vtilem aduersus eum dari. Ca. 168. *de reg. iu.*
B

Si hæreditas datur in dotem, maritus vtili hæreditatis petitione tenetur. Bartolus.

Apud Marcellum libro quarto digestorum relatum est: si mulier hæreditatem in dotem dedit, maritum pro dote quidem possidere hæreditatem, sed petitione hæreditatis vtili teneri: sed ipsam mulierem directa teneri Marcellus scribit, maximè si iam factum diuortiū est.

Hæredem autem etiam earū rerum nomine, quas defunctus pro emptore possedit, hæreditatis petitione teneri constat, quasi pro hærede possideat: quamuis earū
C rerum nomine, quas pro possessore defunctus possedit, vtique teneatur.

Qui alieno nomine possidet, non potest nomine proprio petitione hæreditatis conueniri. Bartolus.

Si quis absentis nomine possideat hæreditatem: cùm sit incertum, an ille ratum habeat: puto absentis nomine petendam hæreditatem, ipsius verò nequaquam: quia nō videtur pro hærede, vel pro possessore possidere, qui cōtemplatione alterius possidet. Nisi fortè quis dixerit, cùm ratum non habet, iam procuratorem quasi prædonem esse. tunc enim suo nomine teneri posse.

Qui nō possidet, sed vt possessor se obtulit, hac actione tenetur. B.

Non solùm autē hæreditas ab eo peti potest, qui cor-

pus hæreditarium poſſidet, ſed & ſi nihil. & videndum, ſi non poſſideat, obtulerit tamen ſe petitioni, an teneatur. Et Celſus libro ſecũdo digeſtorum ſcribit, ex dolo eum teneri. dolo enim facere eum, qui ſe petitioni offerat*. quam ſententiam Marcellus generaliter apud Iulianum probat: omnem, qui ſe offerat petitioni, quaſi poſſidentem teneri. D

*Id eſt, opponat actioni.

Qui dolo deſiit poſſidere, vt poſſeſſor tenetur: qui liberatur ſi poſſeſſor liti ſe offert. ſed ſatisfactio eius qui dolo deſiit poſſidere, non liberat poſſeſſorem. Bartolus.

Item ſi quis dolo fecerit, quò minus poſſideat: hæreditatis petitione tenebitur. Sed ſi alius nactus poſſeſſionem, quam ego dolo malo amiſeram, paratus ſit iudiciũ pati: Marcellus libro quarto digeſtorũ tractat, num fortè euaneſcat aduerſus eum, qui deſiit, litis æſtimatio. & magis euaneſcere ait, niſi petẽtis intereſt. Certè (inquit) ſi rem paratus ſit reſtituere, indubitatum erit euaneſcere. ſed ſi is, qui dolo deſiit, antè conueniatur: eum, qui poſſidet, non liberabit. E

Debitor quaſi poſſeſſor iuris hac actione tenetur, ſiue ſit ex contractu, ſiue ex delicto: dum tamen præſens ſit debitum. Idem ſiue contraxerit cum defuncto, ſiue cum hæreditate, ſecus ſi cum hærede. Item qui hæreditario nomine habet actionem, hac actione tenetur tanquam iuris poſſeſſor. Bartolus.

Itemq́ue à debitore hæreditario, quaſi à iuris poſſeſſore. Nam & à iuris poſſeſſorib' poſſe hæreditatem peti conſtat. F

XIIII. PAVLVS *lib.* XX. *ad edictum.*

ET vtrum ex delicto, an ex contractu debitor ſit, nihil refert. Debitor autem hæreditarius intelligitur is quoque, qui ſeruo hæreditario promiſit, vel qui ante aditam hæreditatem dedit damnum,

XV. CAIVS *lib.* VI. *ad edictum prouinciale.*

VEl aliquam rem de hæreditate ſubripuit.

XVI. VLPIANVS *lib.* XV. *ad edictum.*

QVòd ſi in diem debitor ſit, vel ſub cõditione, à quo petita eſt hæreditas: non debere eum damnari, rei planè iudicatæ tempus ſpectandum eſſe, ſecũdum Octaueni ſententiam, an dies venerit: apud Pomponium

ponium scriptum est.quod & in stipulatione cõditiona-
A li erit dicendum. Si autem non venerit : cauere officio iudicis debebit de restituendo hoc debito,cùm dies venerit,vel conditio exstiterit. Sed & is,qui precia rerũ hæreditariarum possidet,item qui à debitore hæreditario exegit,petitione hæreditatis tenetur.Vnde Iulianus lib.sexto digestorũ ait: & ab eo, qui petit hæreditatem, & litis æstimationem consecutus est:hæreditatem posse peti.Non solùm autẽ à debitore defuncti,sed etiã à debitore hæreditario peti hæreditas potest.Deniq; ab eo, qui negocia hæreditaria gessit,& Celso & Iuliano videtur peti hæreditatem posse : sed si negocium hæredis gessit,nequaquam.ab hæredis enim debitore peti hære-
B ditas non potest. Iulianus scribit: si is, qui pro hærede possidebat,vi fuerit deiectus:peti ab eo hęreditatem posse,quasi à iuris possessore : quia habet interdictum VNDE VI, quo victus cedere debet. Sed & eum qui deiecit,petitione hæreditatis teneri: quia hæreditarias res pro possessore possidet. Idem Iulianus ait : siue quis possidens siue non, rem vendiderit: petitione hæreditatis eum teneri(siue iam precium receperit,siue petere possit) vt & hic actionibus cedat. Idem scribit, patronum hæreditatem petere non posse ab eo, cui libertus hæreditatem in fraudem alienauit : quia Caluisiana actione ei tenetur. patroni enim iste debitor est,
C non hæreditarius.Ergo nec ab eo,cui mortis caussa donatum est, peti hæreditas potest. Item Iulianus scribit: si quis ex caussa fideicommissi restituerit hæreditatem,vel singulas res præstiterit: peti ab eo hæreditatem posse,quia habet condictionem eorum, quæ sunt ex ea caussa soluta . etenim velut iuris possessor est. Sed & si precia rerum, quas distraxit, ex caussa fideicommissi soluit: peti hæreditatem ab eo posse, quia repetere potest.Sed his casibus actiones suas dumtaxat eum præstaturum: cùm & res exstant, & potest petitor per in rem actionem eas vindicare.

Possessor victus habet retentionem rerum propter expensas per eum factas & pecuniam solutã:si sibi culpa imputari non possit. B.

XVII. CAIVS *lib.* VI. *ad edictum prouinciale.*

QVòd si possessor hæreditatis ob id, quod ex testamento hæredē se putaret, legatorū nomine de suo D soluerit, & quis ab intestato eam hæreditatem euincat: licet damnum videtur esse possessori, quod sibi nō prospexerit stipulatione, EVICTA HAEREDITATE LEGATA REDDI: attamen, quia fieri potest, vt eo tēpore soluerit legata, quo adhuc controuersia nulla mota sit, & ob id nullā interposuerit cautionē: placet in eo casu, euicta hæreditate, dādam ei esse repetitionē. Sed quia cū cessante cautione repetitio datur, periculum est, ne propter inopiam eius, cui solutū est legatū, nihil repeti possit: ideo ei secundū senatuscōsulti sentētiam subueniendum est, vt ipse ex retentione rerum hæreditariarum sibi satisfaciat: cedat autē actioni- E bus petitori, qui suo periculo eas exerceat.

Si pecunia per possessorem deposita perditur, possessor cedendo actionem liberatur. Bartolus.

XVIII. VLPIANVS *lib.* XV. *ad edictum.*

ITem videndum, si possessor hæreditatis, venditione per argentarium facta, pecuniam apud eum perdiderit: an petitione hæreditatis teneatur, qui nihil habet, nec consequi potest. Sed Labeo putat eum teneri, quia suo periculo male argentario credidit. Sed Octauenus ait, nihil eum præter actiones præstaturum. ob has igitur actiones petitione hæreditatis teneri. Mihi autem in eo, qui mala fide possedit, Labeonis sentētia placet: in F altero verò, qui bona fide possessor est, Octaueni sentētia sequenda esse videtur.

Possessio iuris vel rei pendente iudicio superueniens venit in hac actione. Bartolus.

Si quis, cùm peteretur ab eo hæreditas, neque rei, neque iuris velut possessor erat, verùm postea aliquid adeptus est: an petitione hæreditatis videatur teneri? & Celsus libro quarto digestorū rectè scribit hunc cōdemnādum, licet initio nihil possedit. Nunc videamus, quæ veniant in hæreditatis petitiōe. Et placuit vniuersas res hæreditarias in hoc iudicio venire: siue iura, siue corpora sint. XIX. PAVLVS *lib.* XX. *ad edictum.*

ET non tantùm hæreditaria corpora, sed etiā quæ nō sunt

sunt hæreditaria, quorum tamen periculum ad hęredem
A pertineat: vt res pignori datæ defuncto, vel cõmodatæ, depositæúe. Et quidem rei pignori datæ etiam specialis petitio est, vtut hæreditatis petitione contineatur: sicut illę, quarum nomine Publiciana cõpetit. Sed licet earum nomine, quæ commodatæ, vel depositæ sunt, nulla sit facilè actio: quia tamen periculum earum ad nos pertinet, æquum est eas restitui.

Quod non fuit defuncti, sed est hæredis: in hac actione non venit. Bartolus.

Quòd si PRO EMPTORE vsucapio ab hærede impleta sit, nõ veniet in hæreditatis petitione: quia hæres, idémq; petitor eam vindicare potest, nec vlla exceptio
B datur possessori.

Res pro quibus defuncto non cõpetebat actio, sed retentio: veniũt in hoc iudicio. Bartolus.

Veniunt & hæ res in hæreditatis petitione, in quibus possessor retentionem habuit, non etiam petitionem: veluti si iurauerat defunctus, petitoris rem non esse, & decessit: debent hæ quoque restitui. Imò & si possessor sua culpa eas amisit, tenebitur hoc nomine. Idémque erit & in prædone: licet hic pro culpa non teneatur: quia nec hic debet eas res retinere.

Quod non potest restitui, in hac actione non venit. Bartolus.

Seruitutes in restitutione hęreditatis non venire ego
C didici: cùm nihil eo nomine possit restitui, sicut est in corporibus, & fructibus: sed si non patiatur ire & agere, propria actione conuenietur.

Empta caussa hæreditatis, quæ hæreditati sunt necessaria, veniunt in hac actione. Bartolus.

XX. VLPIANVS *lib.* XV. *ad edictum.*

ITem veniunt in hæreditatem ea, quæ hęreditatis caussa comparata sunt: vtputa mancipia, pecora, & si qua alia necessariò hæreditati sunt comparata. & si quidem pecunia hæreditaria sint comparata, sine dubio venient: si verò non pecunia hæreditaria, videndum erit. & puto etiam hæc venire, si magna vtilitas hęreditatis versetur, precium scilicet restituturo hærede. Sed non omnia, quæ ex hæreditaria pecunia comparata sunt, in hæredi-

tatis petitione veniunt. Denique scribit Iulianus libro sexto Digestorum: si possessor ex pecunia hæreditaria hominem emerit, & ab eo petatur hæreditas: ita venire in hæreditatis petitione, si hæreditatis interfuit eum emi: sed si sui caussa emit, precium venire. D

Res vendita absque necessitate venit in hac actione: quòd si vendita est ex necessitate, tunc precium eius venit in hac actione. Bartolus.

Simili modo & si fundum hæreditarium distraxerit, si quidem sine caussa: & ipsum fundum, & fructus in hereditatis petitione venire. Quòd si æris exsoluẽdi gratia hereditarij id fecerit: non amplius venire, quàm preciũ.

Hæreditas augetur accessionibus: ideo omnes accessiones eius in hac actione veniunt. Bartolus.

Item non solùm ea, quæ mortis tempore fuerint, sed si qua postea augmenta hæreditati accesserint, venire in hæreditatis petitione (nam hæreditas & augmentum recipit & deminutionem) Sed ea, quæ post aditam hereditatem accedunt, siquidem ex ipsa hæreditate: puto hæreditati accedere. si extrinsecus, non: quia personæ possessoris accedunt. Fructus autem omnes hæreditatem augent: siue ante aditam hæreditatem, siue post accesserint. Sed & partus ancillarum sine dubio augent hæreditatem. E

Quod vna actio deuoluitur in aliam, intelligitur deuolui secundum eius materiam primauam, non secundum accidentalem. Bartolus. F

Cùm prædiximus, omnes hæreditarias actiones in hereditatis petitione venire: quæritur, vtrum cum sua natura veniant, an contrà? vtputa quædam actio inficiatione crescit. vtrum cum suo incremento, an verò in simplũ veniet: vt legis Aquiliæ? Et Iulianus libro sexto Digestorum scribit, simplum soluturum.

Quando vnum est in obligatione, aliud est in solutione ex dispositione legis: tunc permittitur potestas soluendi donec super actione iudicati lis fuerit contestata. Bartolus.

Idem rectè ait: si noxali iudicio condemnatus sit possessor defuncto, non posse eum dedẽtem noxæ officio iudicis liberari: quia tam diu quis habet noxæ dedendæ facultatem,

facultatem, quàm diu iudicati conueniatur: post susce-
A ptum iudicium non potest noxæ dedendo se liberare. su
scepit autem per petitionem hæreditatis. Præter hæc
autẽ multa reperimus tractata, & de petitione hęredita-
tis, & de distractis rebus hæreditariis, & de dolo præte-
rito, & de fructibus: quibus cum forma senatusconsulto
sit data, optimum est, ipsius Senatusconsulti interpreta-
tionem facere, verbis eius relatis. PRIDIE IDVS
MARTIAS Q. IVLIVS BALBVS, ET PVBLI-
VS IVVENTIVS CELSVS, TITVS AVFI-
DIVS ET ARRIVS SEVERIANVS CONSV
LES, VERBA FECERVNT DE HIS, QVAE
IMPERATOR CAESAR TRAIANI PARTHI
B CI FILIVS, DIVI NERVAE NEPOS, HA-
DRIANVS AVGVSTVS, MAXIMVSQVE
PRINCEPS PROPOSVIT QVINTO NONIS
MARTIIS, QVAE PROXIMAE FVERVNT:
LIBELLO COMPLEXVS, QVID FIERI PLA
CERET: DÉQVE EA RE ITA CENSVE-
RVNT. CÚM ANTE, QVÁM PARTES CA-
DVCAE EX BONIS RVSTICI FISCO PE-
TERENTVR, HI QVI SE HAEREDES ES-
SE EXISTIMASSENT, HAEREDITATEM
DISTRAXERVNT: PLACERE, REDACTAE
EX PRECIO RERVM VENDITARVM PE-
C CVNIAE VSVRAS NON ESSE EXIGENDAS.
IDÉMQVE ET IN SIMILIBVS CAVS-
SIS SERVANDVM ESSE. ITEM PLACE-
RE: Á QVIBVS HAEREDITAS PETITA
FVISSET, SI ADVERSVS EOS IVDICATVM
ESSET, PRECIÁQVE AD EOS RERVM EX
HAEREDITATE VENDITARVM PERVENIS
SENT: ET SI EAE ANTE PETITAM HAE-
REDITATEM DEPERISSENT, DEMINVTAÉ
VE FVISSENT: RESTITVERE DEBERE.
ITEM EOS, QVI BONA INVASISSENT,
CÚM SCIRENT AD SE NON PERTINERE:
ETIAM SI ANTE LITEM CONTESTATAM
FECERINT, QVÓ MINVS POSSIDERENT:
PERIN-

PERINDE CONDEMNANDOS, QVASI POSSIDERENT. EOS AVTEM, QVI IVSTAS CAVSSAS HABVISSENT, QVARE BONA AD SE PERTINERE EXISTIMASSENT, VSQVE EO DVMTAXAT, QVO LOCVPLETIORES EX EA RE FACTI ESSENT. PETITAM AVTEM FISCO HAEREDITATEM EX EO TEMPORE EXISTIMANDVM ESSE, QVO QVISQVE SCIRET PRIMVM EAM, A SE PETI: ID EST, CVM PRIMVM AVT DENVNCIATVM EI ESSET, AVT LITERIS VEL EDICTIS EVOCATVS ESSET. D

CENSVERVNT. Aptanda est igitur singulis verbis senatusconsulti congruens interpretatio. Ait senatus, CVM ANTE, QVAM PARTES CADVCAE FISCO PETERENTVR. hoc euenerat. sed & si ex asse fiat, senatusconsultum locum habebit. idem & si vacantia bona fisco vindicentur, vel si ex alia quacunque caussa bona ad eum peruenerint. Senatusconsultum hoc locum habebit, & si ciuitati petetur. In priuatorum quoque petitionibus senatusconsultum locum habere, nemo est, qui ambigat: licet in publica caussa factum sit. E

Non solùm autem in hæreditate hoc vtimur senatusconsulto, sed & in peculio castrensi, vel alia vniuersitate.

Vbi denunciatio fit ad notificandum, idem operatur scientia simplex quod denunciatio: & non refert à quo denuncietur. Bartolus. F

PETITAM AVTEM FISCO HAEREDITATEM, &c. QVO QVISQVE PRIMVM SCIRET EAM A SE PETI. nã vbi scit: incipit esse malæ fidei possessor. ID EST, CVM PRIMVM AVT DENVNCIATVM ESSET &c. Quid ergo si scit quidem, nemo autem ei denunciauit? an incipiat vsuras debere pecuniæ redactæ? & puto. cœpit enim malę fidei possessor esse. Ponamus denunciatum esse, non tamen scire: quia non ipsi, sed procuratori eius denunciatum est. senatus ipsi denũciari exigit, & ideo nõ nocebit: nisi forte is, cui denũciatũ est, eũ certiorauit. sed non: si certiorare potuit, nec fecit. A quo denũciatum sit, senatus non exigit. Quicũq; ergo fuit, qui denunciauit: nocebit. hæc aduersus

aduerſus bonæ fidei poſſeſſores. Nã ita ſenat⁹ locut⁹ eſt:

A EOS QVI SE HAEREDES EXISTIMASSENT.

Poſſeſſor malæ fidei tenetur ad rẽ, licet eã vẽdiderit. ſed ſi eã vendi expediebat, eſt in electione actoris rem vel preciũ conſequatur. B.

Cæterùm ſi quis ſciens ad ſe hæreditatẽ non pertinere, diſtraxit: ſine dubio non precia rerũ, ſed ipſæ res veniunt in petitionem hæreditatis, & fructus earum. Sed imperator Seuerus in epiſtola ad Celerẽ, idẽ videtur feciſſe & in malæ fidei poſſeſſoribus. Atqui ſenatus de his locutus eſt, q ſe hæredes exiſtimaſſent. Niſi fortè ad eas res referemus, quas diſtrahi expedierat quæ onerabant magis hæreditatem, quàm fructui eſſent: vt ſit in arbitrio petitoris, qualem computationem faciat aduerſus

B malę fidei poſſeſſorẽ: vtrum ipſius rei & fructuũ, an precij & vſurarum poſt motam controuerſiã. Licet autem ſenatus de his locutus eſt, qui ſe hæredes exiſtimaſſent: tamen & ſi bonorum poſſeſſores iuſtos ſe exiſtiment, vel ſibi reſtitutam hæreditatem: in eadem erũt conditione.

Papinianus autem libro tertio Quæſtionum, ſi poſſeſſor hæreditatis pecuniam inuentam in hæreditate non attingat, negat eum omnino in vſuras conueniendum.

REDACTAE (inquit) PECVNIAE EX PRECIO RERVM VENDITARVM. REDACTAM ſic accipiemus: non ſolũ iam exactã, verùm & ſi exigi potuit, nec exacta eſt. Quid ſi poſt petitam hæreditatẽ res

C diſtraxerit? hic ipſæ res veniunt, fructúſque earum. At ſi forte tales fuerint, quę vel ſteriles erant, vel tempore perituræ, & eæ diſtractę ſint: fortaſſis poſſit petitor eligere, vt ſibi precia & vſuræ præſtentur.

Si bonæ fidei poſſeſſor vendiderit, tenetur ad precium quod exegit: vel cedere actionem: niſi precium re euicta reſtituerit, vel res redhibita fuerit. Bartolus.

Ait ſenatus. PLACERE: A QVIBVS PETITA HAEREDITAS FVISSET, SI ADVERSVS EOS IVDICATVM ESSET, PRECIAQVE AD EOS RERVM EX HAEREDITATE VENDITARVM PERVENISSENT: ET SI EAE ANTE PETITAM HAEREDITATEM DEPERISSENT DEMINVTAEVE ESSENT: RESTITVERE

TVERE DEBERE. Bonæ fidei possessor, si vendiderit res hæreditarias: siue exegit precium, siue non: quia habet actionem, debebit precium præstare. Sed vbi habet actionem, sufficit eum actionem præstare. Sed si vendidit, & euicta re restituit, quod accepit: non videbitur ad eum peruenisse. quanquàm possit dici, nec ab initio precium peruenisse: quia non fuit res hæreditaria, quæ distracta est. Sed & si senatus rerum ex hæreditate distractarum, non hæreditariarum fecit mētionem: restitui tamen non debet, quia nihil apud eum remanet. Nam Iulianus lib. sexto digestorum scribit: quòd indebitum exegit, restituere eum non debere: nec imputaturum, quòd nō debitum soluit. Sed & si res sit redhibita: hic vtique hæreditaria est, & precium non veniet, quod refusum est. & si ob venditionem obstrictus sit emptori possessor hæreditatis: dicēdum erit, prospici ei cautione. D E

Bonæ fidei possessor tenetur ad precium: malæ fidei possessor tenetur ad rē æstimandam per iuramentum in litē si extat. aliàs ad verum precium. Bart.

Restituere autem precia debebit possessor, & si deperditæ sunt res vel deminutæ. Sed vtrum ita demum restituet, si bonæ fidei possessor est: an & si malæ fidei? Et siquidem res apud emptorem exstēt, nec deperditæ, nec deminutæ sunt. sine dubio ipsas res debet præstare malę fidei possessor: aut si recipere eas ab emptore nullo modo possit, tantum, quantum in litem est iuratum. At vbi deperditæ sunt, aut deminutæ, verū precium debet pręstari: quia si rem petitor consecutus esset, distraxisset, & verum precium rei non perderet. F

Deperditum refertur ad actum naturalem, deminutū ad actum ciuilem. Bar.

XXI. CAIVS *lib.* VI. *ad edictum prouinciale.*

DEperditum intelligitur, quod in rerum natura esse desiit. deminutum verò, quod vsucaptum est, & ob id de hæreditate exiit.

Bonæ fidei possessor tenetur restituere rem quam habet: & si quid eius occasione accessit. Bar.

XXII. PAVLVS *lib.* XX. *ad edictum.*

Si &

A SI & rem & precium habeat bonæ fidei possessor, puta quia eandem redemerit : an audiendus sit, si velit rem dare, non precium? In prædone dicimus, electioné esse debere actoris. An autem magis possessor audiendus sit, si velit rem tradere, licet deteriorem factam: non petitor, si precium desideret, quod inuerecundum sit tale desiderium: an verò, quod ex hæreditaria re locupletior sit, & id quod amplius habet, ex precio restituere debeat : videndum. Nam & in oratione diui Hadriani : ita est. DISPICITE PATRES CONSCRIPTI, NVNQVID AEQVVM SIT, POSSESSOREM NON FACERE LVCRVM: ET PRECIVM, QVOD EX ALIENA RE PER-
B CEPERIT, REDDERE: QVIA POTEST EXISTIMARI IN LOCVM HAEREDITARIAE REI VENDITAE PRECIVM EIVS SVCCESSISSE, ET QVODAMMODO IPSVM HAEREDITARIVM FACTVM. Oportet igitur possessorem, & rem restituere petitori, & quod ex venditione eius rei lucratus est.

Bonæ fidei possessor non tenetur ad precium, nisi quatenus factus est locupletior. Bar.

XXIII. VLPIANVS *lib.* XV. *ad edictum.*

VTrum autem omne precium restituere debebit bonæ fidei possessor, an vero ita demum, si factus sit
C locupletior: vidédum. finge precium acceptum vel perdidisse, vel consumpsisse, vel donasse. Et verbum quidé PERVENISSE ambiguũ est: solúmne hoc contineat, quod prima ratione fuit: an verò & id, quod durat. & puto sequentem clausulam senatusconsulti sequẽdam. & si hæc sit ambigua, vt ita demum computet, si factus sit locupletior.

Bonæ fdei possessor tenetur ad precium & ad pœnam quæ loco precii accessit : secus de pœna quæ occasione iniuriæ personalis exacta fuerit. Bar.

Proinde si non solùm precium, sed etiam pœna precio tardius soluto peruenit: poterit dici, quia locupletior in totum factus est, debere venire : licet de precio solummodo senatus sit locutus.

XXIIII. PAVLVS *lib.* XX. *ad edictum.*

AT vbi vi deiectus fuit, non debebit restituere pœnã ex eo commissam: quando eam actor habere non potest. Sicut nec pœnam restituere debet, quam aduersarius ei promisit, si ad iudicium non venerit. D

XXV. VLPIANVS *lib.* XV. *ad edictum.*

SEd & si lege commissoria vendidit, idem erit dicendum: lucrum, quod sensit lege commissoria, præstaturum.

Bonæ fidei possessor tenetur inquantum ex precio factus est locupletior, & non vltra. Bar.

Item si rem distraxit, & ex precio aliam rem comparauit, veniet precium in petitionem hæreditatis, nõ res, quam in patrimonium suum conuertit. Sed & si res minoris valet, quàm comparata est: hactenus locupletior factus videbitur, quatenus res valet: quemadmodum si consumpsisset, in totũ locupletior factus nõ videretur. E

Prædo siue possideat, siue dolo desierit possidere, siue eius culpa aliquid acciderit, hac actione tenetur. Bart.

Quod ait senatus, EOS, QVI BONA INVASISSENT, QVAE SCIRENT AD SE NON PERTINERE: ETIAM SI ANTE LITEM CONTESTATAM FECERINT, QVÒ MINVS POSSIDERENT: PERINDE CONDEMNANDOS, QVASI POSSIDERENT: ita intelligendum est, vt & dolus præteritus in petitionem hęreditatis deducatur, sed & culpa. & ideo ab eo, qui ab alio nõ exegit, vel à semetipso: si tempore liberatus est, peti hæreditas poterit. hoc vtique, si exigere potuit. F

Prædo dicitur qui nullam caussam possidendi habet: & tenetur de fructibus perceptis & percipiendis. Bar.

Quod autẽ ait senatus, EOS QVI BONA INVASISSENT, loquitur de prædonibus: id est, de his, qui cũ scirent ad se non pertinere hæreditatem, inuaserunt bona, scilicet cùm nullam caussam haberent possidendi. Sed & fructus, non quos perceperũt (inquam) sed quos percipere debuerunt, eos præstaturos.

Quantum ad fructus paria sunt ab initio malam fidem subesse, vel ex postfacto superuenire. Bar.

De eo

De eo autẽ loquitur senatus, qui ab initio mente prę-
A donis res hæreditarias adpræhendit. Quod si ab initio quidem iustam caussam habuit adipiscẽdæ possessionis: postea verò conscius, ad se nihil hæreditatem pertinere, prædonis more versari cœpit: quamuis nihil senatus de eo loqui videtur, puto tamen & ad eum mentem senatusconsulti pertinere. parui etenim refert, ab initio quis dolosè in hæreditate sit versatus, an postea hoc facere cœperit.

Error iuris non inducit malam fidem. Bar.

Scire autem ad se non pertinere, vtrum is tantummodo videtur, qui factum scit: an & is, qui in iure errauit? putauerit fortè rectè factum testamentum, cùm inutile
B erat: vel cùm alius præcederet adgnatus, sibi potius deferri. Et non puto hunc esse prædonem, qui dolo caret, quamuis in iure errauit.

Post litem contestatam omnes possessores sunt pares: & tenentur vt prædones. Bar.

ETIAM SI ANTE LITEM CONTESTATAM (inquit) FECERINT. hoc ideo adiectum est, quoniam post litem contestatam omnes incipiunt malæ fidei possessores esse: quinimò post controuersiam motam. quanquam enim litis contestatæ mentio fiat in senatusconsulto: tamen & post motam controuersiam omnes possessores pares fiunt, & quasi prædones tenentur:
C & hoc iure hodie vtimur. Cœpit enim scire rẽ ad se nõ pertinentem possideri is, qui interpellatur. Qui verò prædo est, & ante litem contestatam doli mali nomine tenetur. hic est etenim dolus præteritus.

Qui dolo desiit poßidere, vel dolo non acquisiuit: vt possessor tenetur ad rem & ad fructus & contra eum iuratur. Bar.

PERINDE (inquit) CONDEMNANDOS, QVASI POSSIDERENT. meritò. Nam & is, qui dolo fecit, quò minus possideret, vt possessor condemnatur. accipies: siue dolo desierit possidere, siue dolo possessionem noluerit admittere. Siue autem ab alio res possideatur, siue in totum non exstet: locum habebit hæc clausula. Vnde si sit alius possessor, ab vtroque hæreditas peti poterit: & si per multos ambulauerit possessio,

ſeſſio, omnes tenebuntur. Vtrum is ſolus, qui poſſidet, fructus præſtabit: an etiam qui dolo fecit, quò minus poſſideret? & dicendum erit poſt ſenatuſconſultum ambos teneri. Hæc verba ſenatuſconſulti, etiam aduerſus eum, qui non poſſidet, iuſiurandum inducunt. tā enim aduerſus eum, qui dolo fecit, quò minus poſſideat: quàm aduerſus poſſidentem, in litem iuratur. D

Bonæ fidei poſſeſſor tenetur inquantum factus eſt locupletior. nec dicitur quis locupletior licet alium obligatum habeat naturaliter ad antidora niſi antidora ſint ſoluta. Bart.

Conſuluit ſenatus bonæ fidei poſſeſſoribus, ne in totum damno adficiantur: ſed in id dumtaxat teneantur, in quo locupletiores facti ſint. Quemcunque igitur fecerunt ſumptum ex hæreditate (ſiue quid dilapidauerunt, ſiue perdiderunt) dum re ſua ſe abuti putant, non præſtabunt. nec ſi donauerint, locupletiores facti videbuntur: quamuis ad remunerandum ſibi aliquem naturaliter obligauerunt. *Planè ſi ἀντίδωρα acceperunt: dicendum eſt, eatenus locupletiores factos, quatenus acceperunt: & velut genus quoddam hoc eſſe permutationis. E

**Vnde Athenis actio aduerſus ingratos cōſtituta eſt, & rectè quia dādi & accipiē di beneficii cōmercium ſine quo vix vita homi nū extat, pdit & tollit quiſquis benemerito parē referre gratiā negligit Va-*

Poſſeſſor dicitur locupletior ſi res extant apud eum, licet earum contemplatione de ſuo latius expenderit. Bar.

Si quis re ſua lautius vſus ſit contemplatione delatæ ſibi hæreditatis: Marcellus libro quarto digeſtorum putat, nihil eum ex hæreditate deducturum, ſi eam non attigit. Simili modo, & ſi mutuam pecuniam accepit, quaſi diues eſſe cœperit. Si tamen pignori res hæreditarias dedit: videndum, an vel ſic attingatur hæreditas. quod eſt difficile, cùm ipſe ſit obligatus. F

Expenſa præſumitur in dubio facta de parte expendentis, & alterius. Bar.

Adeo autem qui locupletior factus non eſt, non tenetur: vt ſi quis putans ſe ex aſſe hæredem, partem dimidiam hæreditatis ſine dolo malo conſumpſerit: Marcellus libro quarto digeſtorum tractat, num non teneatur: quaſi id, quod erogauerit, ex eo fuerit, quod ad eum non pertinebat, ſed ad cohæredes. Nam & ſi is, qui hæres nó erat, totum quidquid apud ſe fuit, conſumpſiſſet: ſine dubio non

bio non tenetur, quasi locupletior non factus. Sed in
A proposita quæstione tribus visionibus * relatis, vna pri
ma: deinde alia, posse dici totum, quod superest, resti-
tuere eum debere, quasi suam partem consumpserit: ter-
tia, vtrique quod consumptum est, decedere: ait vtique
non nihil restituendum. Sed de illo dubitat, vtrum to-
tum, an partem restituendam dicat. Puto tamen residuũ,
integrum non esse restituendum, sed partem eius dimi-
diam.

lerius li. 5. cap. 3. de Ingratis. *al. diuisionibus.

De eo quod bonæ fidei possessor expendit de hæreditate: illud sibi imputatur, quod aliàs erat impensurus si se hæredem non existimasset. Bart.

Quod autem quis ex hæreditate erogauit, vtrum to-
B tum decedat, an verò pro rata patrimonij eius? vtputa
penum hæreditarium ebibit. vtrum totum hæreditati
expẽsum feratur, an aliquid & patrimonio eius: vt in id
factus locupletior videatur, quod solebat ipse erogare
ante delatam hæreditatem? & quidem si quid lauti* cõ-
templatione hæreditatis impendit, in hoc non videatur
factus locupletior: in statutis verò eius sumptibus vi-
deatur factus locupletior. vtique enim, & si non tam lau
tè erogasset, aliquid tamen ad victum quotidianum ero-
gasset. Nam & diuus Marcus in caussa Pythodori, qui
rogatus erat, quod sibi superfuisset ex hæreditate, red-
dere, decreuit: ea, quæ alienata erant non minuendi fi-
C deicommissi, nec precium in corpus patrimonij Pytho-
dori rediisse: ex proprio Pythodori patrimonio & ex
hæreditate decedere, non tantùm ex hæreditate. Et nũc
igitur statuti sumptus vtrum ex hæreditate quoque de-
cedant exemplo rescripti diui Marci, an ex solo patri-
monio, videndum erit. Et verius est, vt ex solo patrimo-
nio decedant ea, quæ (& si non hæres fuisset) erogasset.

Si iudicium vniversale per particulare consumitur, non obstat exceptione ei præiudicium fiat. Item emptor potest vti exceptione ex persona venditoris, ne bonæ fidei possessor teneatur vltra quam sit locupletior. Item venditore offerente se defensioni emptor tutus est exceptione ex persona sua. Bar.

Item si res distraxit bonæ fidei possessor, nec precio
factus est locupletior: an singulas res, si nondum vsu-

captæ ſint, vindicare petitor ab emptore poſſit? & ſi vindicet: an exceptione non repellatur, quod præiudicium hæreditati non fiat inter actorem & eum, qui venum dedit: quia non videtur venire in petitionem hæreditatis precium earum, quamquam victi emptores reuerſuri ſunt ad eum, qui diſtraxit? Et puto, poſſe res vindicare: niſi emptores regreſſum ad bonæ fidei poſſeſſorem habeant. Quid tamen ſi is, qui vendidit, paratus ſit ita defendere hæreditatem, vt perinde atque ſi poſſideret, conueniatur? incipit exceptio locum habere ex perſona emptorum. D

Si petitor precium rei venditæ à poſſeſſore recepit: à vendicatione repellitur, etiam ſi receperit quod à debitoribus eſt exactum, etiam ſi poſſeſſor fuit malæ fidei. Bar.

Certè ſi minore precio res venierint, & preciũ (quodcumque illud) actor conſecutus ſit: multò magis poterit dici, exceptione eum ſubmoueri. Sed & ſi id, quod à debitoribus exegit poſſeſſor, petitori hæreditatis ſoluit: liberari debitores. Iulianus libro quarto digeſtorum ſcribit: ſiue etiam bonæ fidei poſſeſſor, ſiue prædo fuit, qui debitum ab his exegerat: ipſo iure eos liberari. Petitio hæreditatis, & ſi in rem actio eſt, tamen præſtationes quaſdam perſonales habet: vtputa eorum, quæ à debitoribus ſunt exacta: item preciorum. Hoc ſenatuſconſultum ad petitionem hæreditatis factum, etiam in FAMILIAE ERCISCVNDAE locum habere placet: ne res abſurda ſit, vt quæ peti poſſunt, diuidi non poſſint. Augent hæreditatem gregum & pecorum partus. E F

XXVI. PAVLVS *lib.* XX *ad edictum.*

QVod ſi oues natæ ſunt, deinde ex his aliæ: eæ quoque quaſi augmentum reſtitui debent.

XXVII. VLPIANVS *lib.* XV. *ad edictum.*

ANcillarum etiam partus, & partuum partus, quamquam fructus eſſe non exiſtimantur (quia non temerè ancillæ eius rei cauſſa comparantur, vt pariant) augent tamen hæreditatem. Quippe cùm ea omnia fiũt hæreditaria: dubium non eſt, quin ea poſſeſſor (ſi ea aut poſſideat, aut poſt petitam hæreditatem dolo malo fecerit,

cerit, quò minus possideret) debeat restituere. Sed & A pensiones, quæ ex locationibus prædiorum vrbanorum perceptæ sunt, venient: licet à lupanario perceptæ sint. nam in multorum honestorum virorum prædiis lupanaria exercentur.

A quolibet possessore omne lucrum aufertur.

XXVIII. PAVLVS *lib.* XX. *ad edictum.*

POst senatusconsultum enim omne lucrum auferendum esse, tam bonæ fidei possessori, quàm prædoni, dicendum est.

XXIX. VLPIANVS *lib.* XV. *ad edictum.*

MErcedes planè à colonis acceptæ loco sunt fructuum. operæ quoque seruorum in eadem erunt B caussa, qua sunt pensiones. item vecturæ nauium & iumentorum.

Bonæ fidei possessor tenetur restituere sortem & vsuras quas exegit, vel actionem cedere prout ipse elegerit: licet Iulianus aliter senserit. Bar.

XXX. PAVLVS *lib.* XX. *ad edictum.*

IVlianus scribit: actorem eligere debere, vtrum sortẽ tantùm, an & vsuras velit cum periculo nominum agnoscere. At qui secundum hoc non seruabimus, quod Senatus voluit: bonæ fidei possessorem teneri, quatenus locupletior sit. quid enim, si pecuniam eligat actor, quæ seruari non potest? Dicendum itaque est, in bonæ fidei C possessore hæc tãtummodo eum præstare debere: id est, vel sortem, & vsuras eius, si eas percepit: vel nomina cũ eorum cessione in id facienda, quod ex iis adhuc deberetur, periculo scilicet petitoris.

Quod possessor soluit creditoribus hæreditariis, imputat petitor vt caueat de defendendo si fuerit bonæ fidei possessor. aliàs secus. B.

XXXI. VLPIANVS *lib.* XV. *ad edictum.*

SI quid possessor soluit creditoribus, reputabit: quãquam ipso iure non liberauerit petitorem hæreditatis. nam quod quisque suo nomine soluit, non debitoris: debitorem non liberat. Et ideo Iulianus libro sexto digestorum scribit: ita id imputaturum possessorem, si cauerit se petitorem defensurum. Sed an & bonæ fidei possessor debeat ad defendendum cauere, videndum e-

rit: quia in eo, quod soluit non videtur locupletior factus: nisi fortè habeat condictionem, & hoc nomine videatur locupletior, quia poterit repetere. finge etenim eum, dum se hæredem putat, soluisse suo nomine. Et videtur mihi Iulianus de solo prædone, vt caueat; sensisse: non etiam de bonæ fidei possessore. Condictionem tamen præstare debebit. Sed & petitor, si à creditoribus conueniatur, exceptione vti debebit. D

Malæ fidei possessor quod sibi debetur non deducitur nisi hoc petitori expediat: secus in bonæ fidei possessore. Bart.

Sed si ipsi aliquid prædoni debebatur, hoc deducere nō debebit: maximè si id fuit debitum, quod natura debebatur. Quid tamen, si expediebat petitori id debitum esse dissolutum propter pœnam, vel aliam caussam? potest dici ipsum sibi vel soluisse, vel debuisse soluere. Iustus aūt possessor proculdubio debebit deducere, quod sibi debetur. E

Malæ fidei possessor deducit sumptus factos in hæreditate: & contra eum habetur ratio negligentiæ præterquam in actionibus exercendis. sed bonæ fidei possessori non potest negligentia imputari. Bart.

Sicut autem sumptum, quem fecit, deducit: ita si facere debuit, nec fecit, culpæ eius reddet rationem, nisi bonæ fidei possessor est. tunc enim quia quasi suam rem neglexit, nulli querelæ subiectus est ante petitam hæreditatem: postea verò, & ipse prædo est. Illud planè prędoni imputari non potest: cur passus sit debitores liberari, & pauperiores effici, & non eos conuenerit: quando actionem non habuit. Quod autē possessori solutū est, an restituere debeat, videamus. & siue bonę fidei possessor fuit, siue non, debere restituere placet: & siquidē restituerit (vt Cassius scribit, & Iulianus libro sexto) liberari ipso iure debitores. F

XXXII. PAVLVS *lib.* XX. *ad edictum.*

PEr seruum adquisitæ res hæredi restituendæ sunt. quod procedit in hæreditate liberti, & cùm de inofficioso agitur, cùm interim in bonis esset hæredis:

XXXIII. VLPIANVS *lib.* XV. *ad edictum.*

Nisi

A NIsi ex re hæredis scripti stipulatus sit. Iulianus scribit: si hominem possessor distraxerit, si quidem non necessarium hæreditati: petitione hæreditatis precium præstaturum. imputaretur enim, si non distraxisset. Quod si necessarium hæreditati, siquidem viuit, ipsum præstandum: si decesserit, fortassis nec precium. Sed non passurum iudicem, qui cognoscit, possessorem precium lucrari, scribit: & verius est.

XXXIIII. PAVLVS *lib.* XX. *ad edictum.*

FIliifamiliâs militis puto peti posse hæreditatem, ex testamento nobis obuenientem. Si seruus vel filiusfamiliâs res hæreditarias teneat: à patre domino ve peti hæreditas poterit, si facultatem restituendarum re-
B rum habeat. Certè si precium rerum hæreditariarum vénditarū in peculio serui habeat: Iulianus existimat, posse à domino, quasi à iuris possessore, hæreditatem peti.

XXXV. CAIVS *lib.* VI. *ad edictum prouinciale.*

IDem Iulianus ait: & si nondum precia rerum consecutus sit seruus, posse à domino, quasi à iuris possessore, hæreditatem peti: quia habeat actionem, qua eam pecuniam consequatur, quæ quidem actio etiam ignoranti adquireretur.

Petitio hæreditatis quæ datur contra patrem vel dominum, non habet naturam actionis de peculio: nisi quatenus datur ad personales præstationes. Bart.

C XXXVI. PAVLVS *lib.* XX. *ad edictum.*

SI à patre vel à domino, qui precia possidet, hæreditas petatur: an filio vel seruo mortuo, vel seruo manumisso, vel emancipato filio, intra annum agi debeat? & an debitum sibi dominus vel pater deducere possit? Iulianus verius esse ait, & id Proculus quoque respondit, perpetuo actioné dādam: nec deduci oportere id, quod ipsi deberetur: quia non de peculio agatur, sed hæreditas petatur. hæc rectè, si precia habeat seruus vel filiusfamiliâs. Quod si propterea hæreditas petatur à domino, quòd seruus debitor fuit: perinde haberi debebit, atque si de peculio ageretur. Idem dicendum Martianus ait, etiam si pecuniam ex precio perceptam seruus vel filius cōsumpserit: sed si aliâs ex peculio eius solui potest.

Hac actione poteſt filiusfamiliàs conueniri: & per translationem in paternam poteſtatem, hæreditatis petitionis cœptam inſtantiam non extinguit. Bart.

Sed & à filiofamiliâs peti hæreditatem poſſe, non eſt dubium: quia reſtituendi facultatem habet, ſicut ad exhibendum. Multò magis dicimus poſſe peti hæreditatē à filiofamiliâs, qui cùm paterfamiliâs eſſet, & poſſideret hæreditatem, adrogandum ſe præbuit. D

Pro ſeruo occiſo à malæ fidei poſſeſſore datur hæc actio. & legis Aquiliæ: ſed altera debet eſſe contentus. ſed ſi poſt aditam hæreditatem fuerit occiſus, lex Aquilia tantùm competit. Bar.

Si poſſeſſor hæreditarium ſeruum occiderit, id quoque in hæreditatis petitione veniet. Sed Pomponius ait actorem debere eligere, vtrum velit ſibi eum condemnari, vt caueat, ſe nō acturum lege Aquilia: an malit integram ſibi eſſe actionem legis Aquiliæ, omiſſa eius rei æſtimatione à iudice. Quæ electio locum habet, ſi ante aditā hæreditatē occiſus ſit ſeruus. nā ſi poſtea ipſius actio ꝓpria effecta eſt, nec veniet in hęreditatis petitiōe. E

Re à pradone vendita perempta, eſt electio actoris vtrum preciū iuſtum vel conuentum exigat. Bart.

Si prædo dolo deſierit poſſidere, res autem eo modo interierit, quo eſſet interitura, & ſi eadem cauſſa poſſeſſionis manſiſſet: quantum ad verba ſenatuſcōſulti, melior eſt cauſſa prædonis, quā bonę fidei poſſeſſoris: quia ſi prædo dolo deſierit poſſidere, ita condemnatur, atque ſi poſſideret, nec adiectum eſſet, ſi res interierit. Sed nō eſt dubium, quin non debeat melioris eſſe conditionis, quàm bonæ fidei poſſeſſor. Itaque & ſi pluris venierit res, electio debebit eſſe actoris, vt precium cōſequatur: alioquin lucraretur aliquid prædo. Quo tempore locupletior eſſe debeat bonæ fidei poſſeſſor, dubitatur, ſed magis eſt, rei iudicatæ tempus ſpectandum eſſe. F

Omnis poſſeſſor deducit ſumptus factos cauſſa fructuum. Bar.

Fructus intelliguntur deductis impenſis, quæ quærēdorum, cogēdorum, conſeruandorum eorum gratia fiūt. Quod non ſolùm in bonæ fidei poſſeſſoribus naturalis ratio expoſtulat, verùm etiam in prædonibus, ſicut Sabino quoque placuit.

XXXVII. VLPIANVS *lib. XV. ad edictum.*

A QVòd si sumptum quidem fecerit, nihil autem percepit fructuum: æquissimum erit, rationem horum quoque in bonæ fidei possessoribus haberi.

Expensas vtiles & necessarias factas ad perpetuam rei vtilitatem quilibet possessor re exstante deducit: sed re perempta bonæ fidei possessor necessarias tantum omnino deducit: voluptarias verò bonæ fidei possessor deducit: secus in malæ fidei: licet auferre possit quæ sine detrimento rei possent auferri. Bartolus.

XXXVIII. PAVLVS *lib. XX. ad edictum.*

PLanè in cæteris necessariis & vtilibus impensis possunt separari, vt bonę fidei quidem possessores has quoque imputent: prædo autem de se queri debeat, qui B sciens in rem alienam impẽdit. Sed benignius est, in huius quoq; persona haberi rationem impensarũ. nõ enim debet petitor ex aliena iactura lucrum facere. & idipsum officio iudicis continebitur, nec exceptio doli mali desideratur. Planè sic potest in eo differentia esse: vt bonæ fidei quidem possessor omnino impensas deducat, licet res non exstet, in quam fecit, sicut tutor vel curator cõsequuntur: prædo autem non aliter, quàm si res melior sit.

XXXIX. CAIVS *lib. VI. ad edictum prouinciale.*

VTiles autẽ necessariæq; sunt, veluti quæ fiunt reficiendorum ædificiorum gratia, aut in nouale: aut C cùm seruorum gratia litis æstimatio soluitur, cùm id vtilius sit, quàm ipsos dedi. Deniq; alias complures eiusdem generis esse impensas, manifestum est. Videamus tamen, ne ad picturarum quoque, & marmorum, & cæterarum voluptariarum rerum impẽsas æquè proficiat nobis doli exceptio. vtique, si modò bonæ fidei possessores sumus. Nam prædoni probè dicetur, non debuisse in alienam rem superuacuas impensas facere: vt tamen potestas ei fiat tollendorum eorũ, quæ sine detrimento ipsius rei tolli possint.

Mala fides quæ per litis contestationem inducitur, non nocet bonæ fidei possessori re naturaliter perempta. secus in eo qui fuit malæ fidei. Bartolus.

XL. PAVLVS *lib. XX. ad edictum.*

ILlud quod in oratione diui Hadriani eſt, vt poſt acceptum iudicium id actori præſtetur,quod habiturus eſſet.ſi eo tempore, quo petiit, reſtituta eſſet hæreditas: interdum durum eſt. Quid enim,ſi poſt litem conteſtatam mancipia,aut iumenta,aut pecora deperierint?damnari debebit ſecundum verba orationis,quia potuit petitor reſtituta hæreditate ea diſtraxiſſe?Et hoc iuſtũ eſſe in ſpecialibus petitionibus Proculo placet, Caſſius contrà ſenſit. In prædonis perſona Proculus rectè exiſtimat, in bonæ fidei poſſeſſoribus Caſſius. Nec enim debet poſſeſſor aut mortalitatem præſtare, aut propter metum huius periculi temerè indefenſum ius ſuum relinquere. Prædo fructus ſuos nõ facit,ſed augent hæreditatem: ideoque eorum quoque fructus præſtabit. In bonæ fidei autem poſſeſſore hi tantum veniunt in reſtitutione,quaſi augmẽta hæreditatis,per quos locupletior factus eſt. Actiones,ſi quas poſſeſſor nactus eſt,euicta hæreditate reſtituere debet: veluti interdictum VNDE VI, aut QVOD PRECARIÒ. Cõtrà quoque,ſi poſſeſſor cauerit DAMNI INFECTI, cauendum eſt poſſeſſori. Ad officium iudicis pertinebunt & noxales actiones: vt ſi paratus ſit poſſeſſor noxæ dedere ſeruum,qui damnum dederit in re hæreditaria,vel furtum fecerit,abſoluatur: ſicut fit in interdicto QVOD VI AVT CLAM. D E

Poſſeſſio ſuperueniens poſt litis conteſtationem venit in hoc iudicio. Bartolus. F

XLI. CAIVS *lib.* VI. *ad edictum prouinciale.*

SI quo tempore cõueniebatur poſſeſſor hæreditatis, pauciores res poſſidebat, deinde aliarum quoq; rerum poſſeſſionem adſumpſit: eam quoque victus reſtituere debebit: ſiue ante iudicium acceptum, ſiue poſtea adquiſierit poſſeſſionem. Et ſi fideiuſſores, quos dederat ad litem, non ſufficiant: iubere eum debebit proconſul, vt idoneè caueat. Ex diuerſo quoque, ſi pauciores poſtea poſſidebit, quàm initio poſſidebat (ſi modò id ſine dolo eius acciderit) abſolui debet, quò ad eas res, quas deſiit poſſidere. Fructus computandos etiam earum rerum, quas defunctus pignori accepit, Iulianus ait.

Debitor

Debitor hæreditatis non tenetur hac actione, nisi se hæredem cõ-
A *tendat. Bartolus.*

XLII. VLPIANVS *lib.* LXVII. *ad edictum.*

SI debitor hæreditarius non ideo nolit soluere, quod se dicat hæredem: sed ideo, quod neget, aut dubitet, an hæreditas pertineat ad eum, qui petit hæreditatem: non tenetur hæreditatis petitione.

Qui legatum accepit, non prohibetur petere hæreditatem ab intestato: sed tenetur restituere legatum cautione sibi oblata, nisi fuerit in euidenti calumnia: & si legatum non restituitur de hæreditate ex qua computabatur. Bartolus.

XLIII. PAVLVS *lib.* XX. *ad edictum.*

B POstquam legatum à te accepi, hæreditaté peto. Atilicinus quibusdam placuisse ait, non aliter mihi aduersus te dandam petitionem, quàm si legatum redderem. Videamus tamen, ne non aliter petitor hæreditatis legatum restituere debeat, quàm caueatur: si contra eũ de hæreditate iudicatum fuerit, reddi ei legatum: cùm iniquum sit, eo casu possessorem hæreditatis legatum, quod soluerit, retinere: & maximè si non per calumniã, sed per errorem hæreditatem petierit aduersarius. idq́ue Lelius probat. Imperator autem Antoninus rescripsit: ei, qui legatum ex testamento abstulisset, caussa cognita hæreditatis petitionem negandam esse: scilicet, si manifesta calumnia sit.

C XLIIII. IABOLENVS *lib.* I. *ad Plautium.*

CVm is, qui legatum ex testamento percepit, hæreditatem petit: si legatum quocunque modo redditum non sit: iudicis officio continetur, vt victori, deducto eo, quod accepit, restituatur hæreditas.

Qui se liti obtulit, vt possessor condemnabitur: licet non possideat. Bartolus.

XLV CELSVS *lib.* III. *Digestorum.*

QVi se liti obtulit, cùm rem non possideret, cõdemnatur: nisi euidétissimis probationibus possit ostédere, actorem ab initio litis scisse eum nõ possidere. quippe isto modo non est deceptus. & qui se hæreditatis petitioni obtulit, ex doli clausula tenetur: æstimariq; oportebit, quanti eius interfuit non decipi.

XLVI.

XLVI. MODESTINVS *lib.* VI. *Differentiarum.*

PRædonis loco intelligendus est & is, qui tacitam fidem interposuit, vt non capienti restitueret hæreditatem. D

Qui perdit in actione falsi, nõ prohibetur dicere nullũ. Bartolus.

XLVII. IDEM *lib.* VI. *Responsorum.*

LVcius Titius, cùm in falsi testamenti propinqui accusatione nõ obtinuerit: quæro, an de nõ iure facto, nec signato testamento querela illi cõpetere possit? Respondit. nõ ideo repelli ab intentione non iure facti testamenti, quod in falsi accusatione nõ obtinuerit.

Ficta mala fides per litis contestationem facit possessorem teneri ad verum precium rerum venditarum ex voluntate: si ex necessitate, ad precium conuentum. Bartolus. E

XLVIII. IABOLENVS *lib.* III. *ex Cassio.*

IN æstimationibus hæreditariis, ita venit precium venditæ hæreditatis: vt id quoque accedat, quod plus fuit in hæreditate, si ex negociationis caussa veniit. Sin autem ex fideicommissi caussa: nihil amplius, quàm quod bona fide accepit.

Iudicia particularia non differuntur propter vniuersalia, si res est tempore peritura. Bartolus.

XLIX. PAPINIANVS *lib.* VI. *Quæstionum.*

SI bonæ fidei possessor velit cum debitoribus hæreditariis, aut his, qui res hæreditarias occupauerunt, consistere: audietur vtique, si periculum erit, ne inter moras actiones intercidant. Petitor autem hæreditatis citra metum exceptionis in rem agere poterit. Quid enim si possessor hæreditatis negligat? quid si nihil iuris habere se sciat? F

L. IDEM *lib.* VII. *Quæstionum.*

HAereditas etiam sine vllo corpore iuris intellectum habet. Si defuncto monumentum, cõditionis implendæ gratia, bonæ fidei possessor fecerit: potest dici (quia voluntas defuncti in hoc seruanda est, vtiq; si probabilem modum faciendi monumenti sumptus, vel quantum testator iusserit, nõ excedat) eum, cui aufertur hæreditas, impensas, aut doli exceptione retenturũ, aut actione negociorum gestorũ petiturum, veluti hæreditario

tario

tario negocio gesto. Quãuis enim stricto iure nulla te-
A neantur actione hæredes ad monumentũ faciendum: tamen principali, vel pontificali authoritate cõpelluntur ad obsequium supremæ voluntatis.

LI. IDEM *lib.* IIII. *Responsorum.*

HAeres furiosi substituto, vel sequentis gradus cognato, fructus medij temporis, quibus per curatorem furiosus locupletior factus videtur, præstabit: exceptis videlicet impensis, quæ circa eandem substantiã tam necessario, quàm vtiliter factæ sunt. Sed & si quid circa furiosum necessariò fuerit expensum, & hoc excipiatur: nisi alia sufficiens substantia erat furioso, ex qua sustentari potuit. Fructuũ post hæreditatem petitam
B perceptorum vsuræ non præstantur. Diuersa ratio est eorum, qui ante actionem hæreditatis illatam percepti, hæreditatem auxerunt.

LII. HERMOGENIANVS *lib.* IIII. *iuris* ἐπιτομῶν.

SI possessor ex hæreditate inhonestos† habuerit quæstus, etiã hos restituere cogetur: ne honesta interpretatio non honesti quæstus lucrum possessori faciat.

† *Qui libe rales aut inhonesti quæstus Cic. lib. 1. Offic.*

Res hæreditariæ possunt alienari ex necessitate æris alieni. Bar.

LIII. PAVLVS *lib.* X. *ad Sabinum.*

NOn solùm ad æs alienum hæreditarium exsoluendum necessaria alienatio possessori est: sed & si impensæ necessariæ in rem hæreditariam factæ sunt à
C possessore, vel si mora res perituræ deterioresve futuræ erant.

LIIII. IVLIANVS *lib.* VI. *Digestorum.*

EI, qui partem hæreditariam vel totam à fisco mercatus fuerit, nõ est iniquũ dari actionẽ, per quam vniuersa bona persequatur: quemadmodum & cui ex Trebelliano senatuscõsulto hæreditas restituta est, petitio hæreditatis datur. Hæres debitoris id, quod defunctus pignori dederat, quin hæreditatem petendo consequi possit, dubium non est. Cùm prædia vrbana & rustica neglegẽtia possessorũ peiora sunt facta: veluti quia vineæ, pomaria, horti extra cõsuetudinẽ patrisfamiliâs defuncti culti sunt: litis æstimationem earũ rerum, quãto peiores sunt factæ, possessores pati debent.

Etiam

Etiam bonæ fidei poſſeſſor tenetur reſtituere totum quod nomine pœnæ exegit. Bartolus. D

LV. IDEM *lib.* LX. *Digeſtorum.*

EVicta hæreditate, bonę fidei poſſeſſor, quod lege Aquilia exegerit, non ſimplum, ſed duplū reſtituet. lucrum enim ex eo, quod propter hæreditatem accepit, facere non debet.

LVI. AFRICANVS *lib.* III. *Quæſtionum.*

CVm hæreditas petita ſit: eos fructus, quos poſſeſſor percepit, omnimodo reſtituēdos ait, & ſi petitor eos percepturus non fuerat.

Vnius petitio non impedit executionē alterius petitionis eius qui prius ad ſententiam peruenit, ſed eſt poſſeſſori cauendum. Bartolus.

LVII. NERATIVS *lib.* VI. *Membranarum.* E

CVm idem eandem hæreditatem aduerſus duos defendit, & ſecundum alterum ex his iudicatum eſt: quæri ſolet, vtrum perinde ei hæreditatem reſtitui oporteat, atque oporteret, ſi aduerſus alium defenſa non eſſet: vt ſcilicet ſimulac ſecundum alium fuerit iudicatum, abſoluatur is, cum quo actum eſt: quia neque poſſideat, neq; dolo malo fecerit, quò min⁹ poſſideret, quod iudicio victus reſtitueret? an quia poſſit & ſecundum alium iudicari, non aliter reſtituere debeat, quàm ſi cautum ei fuerit, quod aduerſus alium eādem hæreditatem defendat? Sed melius eſt, officio iudicis cautione vel ſatiſdatiōe victo mederi: cùm & res ſalua ſit ei, qui in exſecutione tardior venit aduerſus priorem victorem. F

Quod pater expendit in honorem filii, in dubio videtur expendere ſe bonis quæ habet pertinentibus ad filium. Bartolus.

LVIII. SCAEVOLA. *lib.* III. *Digeſtorum.*

FIlius à patre emancipatus, ſecūdum conditionem teſtamenti matris adiit hęreditatem: quam pater, antequam filium emāciparet, poſſedit, fructúſque ex ea percepit. ſed erogationem in honorem filij, cùm eſſet ſenator, fecit. quæſitum eſt: cùm paratus ſit pater reſtituere hæreditatem, habita ratione eorum, quæ in eum erogauit: an filius nihilominus perſeuerans petere hæreditatem, doli mali exceptione ſubmoueri poſſit? Reſpōdi. & ſi non exciperetur: ſatis per officium iudicis conſuli.

SI PARS

A SI PARS HAEREDITATIS PEtatur. Titulus IIII.

VLPIANVS *lib.* XV. *ad edictum.*

Post actionem, quam prętor proposuit ei, qui ad se solùm hæreditatem pertinere contendit: cōsequens fuit & ei proponere, qui partem hæreditatis petit.

In petitione hæreditatis conclusio sumitur respectu iuris agentis, non respectu possessoris conuenti. Bartolus.

Qui hæreditatem, vel partem hæreditatis petit: ius non ex eo metitur, quòd possessor occupauit, sed ex suo iure. & ideo siue ex asse hæres sit totam hæreditatem

B vindicabit, licet tu vnā rem possideas: siue ex parte, partem, licet tu totam hæreditatem possideas.

Plures hæredes debent agere contra plures possessores: nec potest vnus eligere vnum, alius alium. Bartolus.

Quinimò si duo possideant hæreditatem, & duo sint, qui ad se partes pertinere dicant: non singuli à singulis petere contenti esse debent (puta primus à primo, secundus à secundo) sed ambo à primo, & ambo à secundo. neque enim alter primi, alter secundi partem possidet, sed ambo vtriusque.

Si sint plures ad quos hæreditas pertinet pro diuiso, potest alter ab altero conueniri hac actione, vel familiæ Ercifcundæ, si fatentur se

C *esse hæredes. Bartolus.*

Proinde & si pro hærede possessor & petitor possideant hęreditatem: cùm vnusquisque eorum partem dimidiam hæreditatis sibi adferat, inuicem petere debebūt, vt partes rerum consequantur: aut si controuersiam sibi non faciunt hæreditatis, familiæ Ercifcundæ experiri eos oportebit.

Si cohæres meus & extraneus possideant hæreditatem pro indiuiso, extraneum tantum conueniam. Bartolus.

Si ego ex parte me dicam hæredem, cohæres autem meus possideat hæreditaté cum extraneo: cùm non plus cohæres haberet parte sua, vtrum à solo extraneo, an verò & à cohærede debeam petere hæreditatem, quæritur. Et Pegasus fertur existimasse, à solo extraneo me petere debere,

debere, cúmque reſtituturum quicquid poſſidet. & fortaſſis hoc officio iudicis debet fieri. Cæterũ ratio facit, vt à duob⁹ petam hæreditatem, hoc eſt etiam à cohærede meo: & ille quoque dirigat actionem aduerſus exterum poſſeſſorem. Sed Pegaſi ſententia vtilior eſt. D

Qui partem poßidet pro indiuiſo, à cohærede & extraneo poßidentibus reſiduam partem petet, vel inter eum & cohæredem compenſatio fiet. Bartolus.

Item ſi cùm me ex parte dimidia dicerem hæredem, trientem hæreditatis poſſiderem, deinde reſiduum ſextantem velim perſequi: qualiter agam, videamus. Et Labeo ſcribit, vtique partem dimidiam me petere debere à ſingulis ſic fieri, vt à ſingulis ſextantem conſequar, & habeam beſſem: quod verũ puto. ſed & ipſe tenebor ad reſtitutionem ſextantis ex triente, quem poſſidebam. & ideo iudicis officio inuicem compenſatio erit admittenda eius, quod poſſideo: ſi fortè cohæredes ſint, à quibus hæreditatem peto. E

Propter numerũ naſcendorum ex ventre admittitur petitio partis incertæ. Bartolus.

Interdum prætor incertæ partis hæreditatis petitionem indulget, idoneis cauſſis interuenientibus. vtputa, eſt defuncti fratris filius. ſunt & vxores defunctorũ fratrum prægnantes. quam partem fratris filius hæreditatis vindicet, incertum eſt: quia quot edãtur fratrum defunctorum filij, incertum eſt. Aequiſſimum eſt igitur, incertæ partis vindicationem ei concedi. Nó audenter tamen dicetur, vbicunque meritò quis incertus eſt, quam partẽ vindicet: debere incertæ partis vindicationẽ cõcedi. F

Qui ſperatur admitti ad partem, facit partem. Bartolus.

II. CAIVS. *lib. VI. ad edictum prouinciale.*

SI ex pluribus, ad quos eadem hereditas pertinet, quidam adierint, quidam adhuc deliberent: placuit eos, qui adierint, ſi petant hæreditatem, nó maiorem partem petere debere, quàm habituri eſſent cæteris adeũtibus: nec proderit eis, ſi cæteri non adierint. Non adeuntibus autem cæteris: poterunt tunc partes eorum petere, ſi modò ad eos pertinent.

Poſthumus naſciturus ex ventre, impedit ſequentes in gradu: eos autem

A *autem qui eiusdem gradus sunt, statuitur admitti: vt si tres nascituri essent, aufertur vel conceditur alteri secundum quod casus occurrit.* Bartolus.

III. PAVLVS *lib.* XVII. *ad Plautium.*

ANtiqui libero ventri ita prospexerũt, vt in tempus nascendi omnia ei iura integra reseruarent: sicut apparet in iure hæreditatum, in quibus qui post eum gradum adgnationis sunt, quo est id, quod in vtero est: non admittũtur, dum incertum est, an nasci possit. Vbi autem eodem gradu sunt cæteri, quo & vẽter: tunc quæ portio in suspenso esse debeat, quæsierunt. & quia non poterant scire, quot nasci possent: ideò multa de huiusmodi re tã varia† & incredibilia tradiderunt, vt fabulis adnume- *†In hũc lo*
B rentur. Nam traditum est, quatuor pariter puellas à matrefamiliâs natas esse. Alioquin tradidere non leues au *cũ Gell. li.* *10. cap. 2.* thores, quinquies quaternos enixam Peloponesiam, & multas Aegypti vno vtero septenos. Sed & tergeminos senatores cinctos vidimus Oratios. Sed & Lelius scribit, se vidisse in palatio liberam mulierem, quæ ab Alexandria perducta esset, vt Hadriano ostenderetur cum quinque liberis: ex quibus quatuor eodem tempore enixa (inquit) dicebatur, quintum post quadragesimum diem. quid ergo? Prudentissimi iuris authores medietatem quandam secuti sunt, vt quod fieri non rarò admodum posset, intuerentur: id est, quia fieri poterat, vt tergemini nascerentur, quartam partem superstiti filio adsi
C gnauerũt. τὸ γὰρ ἅπαξ ἢ δὶς (vt ait Theophrastus) παραβαίνουσιν οἱ νομοθέται. Ideóque & si vnum paritura sit, non ex parte dimidia, sed ex quarta interim hæres erit.

IIII. VLPIANVS *lib.* XV. *ad edictum.*

ET si pauciores fuerint nati, residuum ei pro rata adcrescere: si plures quàm tres, decrescere de ea parte, ex qua hæres factus est.

Incertitudo nascendorum nõ impedit cohæredem adire: licet qua portio competat sibi, sit incertum. Bartolus.

V. PAVLVS *lib.* XVII. *ad Plautium.*

ILlud sciendum est: si mulier prægnans non sit, existimetur autem prægnans esse: interim filium hæredem esse ex asse, quanquam ignoret se ex asse hæredem esse.

Idem

Idem est in extraneo: si ex certa portione hæres institutus sit, ex reliqua posthumus. Quòd si fortè ita institutio facta est, QVOTCVNQVE MIHI NATI ERVNT, ET LVCIVS TITIVS PRO VIRILIBVS PORTIONIBVS HAEREDES MIHI SVNTO: habebit hæsitationem, nũquid adire non possit, atque qui in testamento portionem suam nescit. Sed vtilius est posse eum adire, qui nescit portioné: si cætera, quæ oportet eum scire, non ignoret. D

Qui ex post facto apparet esse hæres, à quolibet hærede auocat pro rata, & sumptus pro rata sustinet. Bartolus.

VI. VLPIANVS *lib.* VI. *Opinionum.*

SOrori, quam cohæredem fratribus quatuor in bonis matris esse placuit, quinta portio ꝑ portionibus, quę ad eos pertinuit, cedet: ita vt singuli in quartam, quã ante hac habere credebantur, non amplius ei quinta conferant. Sumptus, qui propter onera totius hæreditatis iusti fiunt: ei, qui patroni iure portionem euicerit, pro rata computentur. E

Per hanc actionem consequitur quis partem pro indiuiso quæ per iudicium familiæ Ercis*cundæ diuiditur.* Bartolus.

VII. IVLIANVS *lib.* VI. *Digestorum.*

NOn possumus consequi per hæreditatis petitionem id, quod familiæ Erciscundæ iudicio cõsequimur, vt à communione discedamus: cùm ad officium iudicis nihil amplius pertineat, quàm vt partem hęreditatis pro indiuiso restitui mihi iubeat. F

Potest quis pro parte cedere, & pro parte contendere. Bartolus.

VIII. IDEM *lib.* XLVIII. *Digestorum.*

PErmittendum erit possessori hæreditatis, parté quidem hæreditatis defendere, parté verò cedere. Nec enim prohibet, aliquem totam hęreditatem possidere, & partem scire dimidiam ad se pertinere, déq; altera parte controuersiam non facere.

Qui vt procurator alterius administrat, petitione hæreditatis nõ tenetur: nisi illius hæres extiterit in totum vel in partem. Bartolus.

IX. PAVLVS *lib.* III. ἐπιτομῶν *Alfeni Digestorum.*

CVm multi hæreds instituti essent, ex his vnus in Asia erat. eius procurator venditionem fecerat, & pecuniam

cuniã pro parte eius abstulerat. postea apparuerat eum,
A qui in Asia erat, antè decessisse: instituto ex parte dimidia hærede procuratore suo, & ex parte alio. Quæsitum est, quemadmodum pecunia ex hæreditate petenda esset? Responsum est: ab eo, qui procurator eius fuisset, totam hæreditatem (quia ex hęreditate ea pecunia fuisset, quæ ad procuratorem ex venditione peruenisset) petere eos oportere, & nihilominus partem dimidiam hæreditatis à cohærede eius. Ita fore, siue omnis ea pecunia penes eum, qui procurator fuisset, resideret: vt omnẽ per iudicem ab eodẽ recuperarent. siue is partem dimidiam cohæredi suo reddidisset: ipsum ex dimidia parte, ex dimidia cohæredem eius condemnarent.

B *Qui negocia hæreditatis absentis nomine gerit: ab iis ad quos negocium in veritate pertinet, poterit conueniri actione negociorum gestorum, & petitione hæreditatis si se hæredem contendat. Bartolus.*

X. PAPINIANVS *lib.* VI. *Quæstionum.*

CVm hæredis ex parte instituti filius, qui patrẽ suũ ignorabat viuo testatore decessisse, partẽ hæreditatis nomine patris absentis administrauerit, & pecunias distractis rebus acceperit: hæreditas ab eo peti non potest. quia neque pro hęrede, neque pro possessore precia possidet, sed vt filius patris negociũ curauit. Negociorum autem gestorum actio cæteris cohæredib⁹, ad quos portio defuncti pertinet, dabitur. Illud enim vtiq; non
C est metuendum: ne etiã patris, à quo fortè exhæredatus est, teneatur hæredibus, quasi negocia hæreditaria gesserit: cùm illud, quod administrauit, nõ fuerit paternæ hęreditatis. Nam & si negociorum gestorum actio sit ei, cuius suo nomine debitum exactum est: hoc tamen, quod alieno nomine perceptum est, restitui æquum est. Sed in proposito neq; patris negocia fuerant, qui esse desierat: neq; paternæ successionis, quæ fuerant alteriùs hæreditatis. Quòd si filius iste patri suo hæres extiterit, & moueat cõtrouersiam, quòd pater eius, postquã hęres exstitit, mortẽ obierit: ille tractatus incurrit, an ipse caussam sibi possessionis mutare videatur. Quoniam tamen qui negocia hæreditaria gessit, & debitor esse cœpit: postea faciens controuersiã hæreditatis, vt iuris possessor conuenitur.

uenitur. Idem etiam in hoc filio reſpondendum erit.

DE POSSESSORIA HAEREDITAtis petitione. *Titulus* V. D

Bonorum poſſeſſori de iure Prætorio competit hæc actio, in qua tantum venit quantum in petitione hæreditatis ciuilis. Bartolus.

VLPIANVS *lib.* XV. *ad edictum.*

ORdinarium fuit, poſt ciuiles actiones hæredib⁹ propoſitas, rationem habere prætorem etiam eorum, quos ipſe velut hæredes facit: hoc eſt eorũ, quib⁹ bonorũ poſſeſſio data eſt.

II. CAIVS *lib.* VI. *ad edictum prouinciale.*

PEr quam hæreditatis petitionem tantundem conſequitur bonorum poſſeſſor, quantum ſuperioribus ciuilibus actionibus hæres conſequi poteſt. E

DE FIDEICOMMISSORIA HAEREditatis petitione. *Titulus* VI.

Fideicommiſſorio vniuerſali cui eſt hæreditas reſtituta verbo competit hæc actio: in qua veniunt omnia quæ in petitione hæreditatis ciuilis. Bartolus.

VLPIANVS *lib.* XV. *ad edictum.*

EX ordine occurrit actio, quæ ꝓponitur his, quibus reſtituta eſt hęreditas. Nam quiſquis ſuſceperit reſtitutam hæreditatem ex ſenatuſconſulto, ex quo actiones trãſeunt: fideicõmiſſoria hæreditatis petitione vti poterit. F

II. PAVLVS *lib.* XX. *ad edictum.*

QVę actio eadẽ recipit, q̃ hęreditatis petitio ciuilis.

Hæc actio competit fideicommiſſorio & eius hæredi bonorúmve poſſeſſori: & non datur contra verum hæredem, ſed contra alios, & eorum hæredes. Bartolus.

III. VLPIANVS *lib.* LXVI. *ad edictum.*

NEc intereſt, mihi quis rogatus fuerit reſtituere, an cui hæres exſtiti. Si bonorum poſſeſſor ſim eius, cui fideicommiſſoria hæreditas relicta eſt, vel alius ſucceſſor: per hanc actionem experiri potero. Sciendum eſt, hanc actionem aduerſus eum, qui reſtituit hæreditatem, non competere. Eæ autem actiones mihi dantur, quæ hæredi & in hæredem competunt.

DIGESTORVM SEV PANdectarum liber sextus.

DE REI VINDICATIONE. Tit. I.

Rei vindicatiōis formulā Cic. explicat in oratione pro Murena. & Gell. li. 20. ca. 9.

VLPIANVS *lib.* XVI. *ad edictum.*

A POST actiones, quæ de vniuersitate propositæ sunt, subiicitur actio singularium rerum petitiōis. Quæ specialis in rem actio locum habet in omnibus rebus mobilibus, tam animalibus, quàm iis quæ anima carent: & in iis, quæ solo continētur.

B Per hanc autem actionem liberæ personæ, quæ sunt iuris nostri: vtputa liberi, qui sunt in potestate: non petūtur. igitur aut præiudiciis, aut interdictis, aut cognitione prætoria: & ita Pomponius libro tricesimo septimo. Nisi fortè (ĩquit) adiecta caussa quis vindicet. Vnde si quis ita petit filium suum in potestate, ex iure Romano: videtur mihi Pomponius consentire, rectè eum egisse. ait enim adiecta caussa, ex lege quiritum vindicare posse. Per hanc autem actionem non solùm singulę res vindicabūtur: sed posse etiam gregem C vindicari, Pomponius libro vicesimoquinto lectionum scribit. idem de armento, & de equitio, cæterisque, quæ gregatim habentur, dicēdum est. Sed enim gregem sufficiet ipsum nostrum esse, licet singula capita nostra non sint. grex enim, non singula corpora vindicabuntur.

II. PAVLVS *lib.* XXI. *ad edictum.*

SEd si par numerus duorū interfuerit: neuter solidū gregem, sed nec partem dimidiam totius eius vindicabit. Sed si maiorem numerum alter habeat: vt detracto alieno, nihilominus gregem vindicaturus sit: in restitutione tamen non veniunt aliena capita.

III. VLPIANVS *lib.* XVI. *ad edictum.*

MArcellus libro quarto Digestorū scribit. qui gregem habebat trecētorum capitum: amissis centū,

redemit totidem alia capita ab eo, qui dominium eorum habebat, vel qui bona fide ea possidebat. & hæc vtique gregis (inquit) vindicatione continebuntur. Sed & si ea sola supersint capita, quæ redempta sunt: adhuc eũ posse gregem vindicare. Armamenta nauis singula erũt vindicanda. scapha quoque separatim vindicabitur. D

Si duorum res confunduntur, efficitur res communis: & quilibet vindicabit pro rata. & qui dolo confundit, tenetur ac si dolo desiisset possidere. Bartolus.

Pomponius scribit: si quid, quod eiusdem naturæ est, ita confusum est atque commistum, vt deduci & separari non possit: non totum, sed pro parte esse vindicandũ. vtputa, meum & tuum argẽtum in massam redactum est. erit nobis commune: & vnusquisque pro rata ponderis, E quod in massa habemus, vindicabimus: & si incertum sit, quantum quisque ponderis in massa habeat.

IIII. PAVLVS *lib.* XXI. *ad edictum.*

QVo quidem casu etiam cõmuni diuidundo agi poterit. sed & furti, & ad exhibẽdũ tenebitur, qui dolo malo confundendum id argentum curauit. Ita vt in ad exhibendum actione precij ratiò haberi debeat: in vindcatione vel communi diuidũdo actione hoc amplius ferat, cuius argentum preciosius erat.

In rebus quæ commistione non confunduntur, remanet dominium eorum, quorũ erat primò, nisi eorum voluntate sit facta cõmistio. B. F

V. VLPIANVS *lib.* XVI. *ad edictum.*

IDem Pomponius scribit. si frumentum duorum, non voluntate eorum, confusum sit, competit singulis in rem actio in id, quãtum paret in illo aceruo suum cuiusque esse. Quòd si voluntate eorum commista sunt: tunc communicata videbũtur, & erit communi diuidundo actio. Idem scribit, si ex melle meo & ex vino tuo factũ sit mulsum, quosdam existimasse, id quoque communicari: sed puto verius (vt & ipse significat) eius potius esse, qui fecit: quoniam speciem pristinam non retinet.

In rebus diuersi generis, quæ commistione non mutant speciem: si separari possunt, quilibet vindicabit suum. aliàs communicabitur, & pro parte vindicabitur. Bartolus.

Sed si plumbum cum argento mistum sit: quia potest deduci,

deduci, nec communicabitur, nec communi diuidundo
A agetur,agetur autem in rem. Sed si deduci (inquit)non possit, puta si æs & aurum mistum fuerit : pro parte esse vindicandum. Nec quaquam erit dicendũ, quod in mul so dictum est:quia vtraque materia, & si confusa, manet tamen. Idem scribit:si equam meam equus tuus pręgnantem fecerit:non esse tuum,sed meum,quod natũ est. De arbore, quæ in alienum agrum translata,coaluit,& radices immisit: Varus& Nerua vtilem in rem actionem dabant.nam si nondum coaluit,mea esse non desinit. Cùm in rem agitur,si de corpore conueniat,error autem sit in vocabulo : rectè actum esse videtur.Si plures sint eiusdem nominis serui(puta plures Erotes)nec appareat,de
B quo actum sit : Pomponius dicit, nullam fieri condemnationem.

Qui petit rem,debet eam declarare in libello secundum ipsius naturam & qualitatem.Bartolus.

VI. PAVLVS *lib.* XXI. *ad edictum.*

SI in rem aliquis agat,debet designare rem : & vtrum totam,an partem,& quotam petat . Appellatio enim rei non genus,sed speciem significat. Octauenus ita definit:quod infectæ quidem materiæ pondus,signatæ verò numerum,factæ autem speciem dici oportet.Sed & mensura dicéda erit,cùm res mensura continebitur. Et si vestimenta nostra esse,vel dari oportere nobis dicamus:v-
C trum numerum eorũ dicere debebimus , an & colorem? & magis est,vt vtrumque.nam illud inhumanum est:cogi nos dicere,trita sint,an noua. Quamuis & in vasis occurrat difficultas: vtrum lancem dumtaxat dici oporteat, an etiam quadratam, vel rotundam : vel pura, an cælata sit. quæ ipsa in petitionibus quoque adiicere difficile est,nec ita coartanda res est: licet in petendo homine nomen eius dici debeat,& vtrum puer,an adolescens sit, vtique,si plures sint.sed si nomen eius ignorem,demonstratione eius vtendum erit:veluti qui ex illa hęreditate est,qui ex illa natus est. Item fundũ petiturus, nomen eius,& quò loci sit,dicere debebit.

VII. IDEM *lib.* XL. *ad edictum.*

SI is,qui obtulit se fundi vindicationi, damnatus est:

nihilominus à poſſeſſore rectè petitur, ſicut Pedius ait.

Si res pro indiuiſo poßideatur à ſocio meo, vel ab alio, alium tantùm conueniam: ſi pro diuiſo, vtrunque pro rata conueniã. Bartolus. D

VIII. IDEM *lib.* X. *ad edictum.*

POmponius libro triceſimoſeptimo probat: ſi ex æquis partibus fundum mihi tecum communem, tu & Lucius Titius poſſideatis: non ab vtriſque quadrantem petere me debere: ſed à Titio, qui non ſit dominus, totum ſemiſſem. Aliter atq; ſi certis regionibus poſſideatis eum fundũ: nam tunc ſine dubio & à te, & à Titio partes fũdi petere me debere. Quoties enim certa loca poſſidebũtur, neceſſariò in his aliquã partem meam eſſe. & ideo te quoq; à Titio quadrantẽ petere debere. Quæ diſtinctio neq; in re mobili, neq; in hæreditatis petitione locũ habet. nunquã enim pro diuiſo poſſideri poteſt. E

IX. VLPIANVS *lib.* XVI. *ad edictum.*

OFficium autẽ iudicis in hac actione in hoc erit: vt iudex inſpiciat, an reus poſſideat. Nec ad rem pertinebit ex quà cauſſa poſſideat. vbi enim probaui rẽ meam eſſe: neceſſe habebit poſſeſſor reſtituere, qui non obiecit aliquam exceptionẽ. Quidã tamen (vt Pegaſus) eam ſolam poſſeſſionem putauerũt hanc actionem complecti, quæ locum habet in interdicto VTI POSSIDETIS vel VTRVBI. Denique ab eo, apud quẽ depoſita ſit vel commodata, vel qui conduxerit: aut qui legatorum ſeruandorum cauſſa, vel dotis, vel ventris, vel rei ſeruandæ nomine in poſſeſſione ſit, vel cui DAMNI INFECTI nõ caueatur (quia hi omnes non poſſidẽt) F vindicari nõ poſſe. Puto autem ab omnibus, qui tenent, & habent reſtituendi facultatem, peti*poſſe.

**al. additur neg.*

Bonæ fidei poſſeſſor debet reſtituere rem vbi eſt, vel vbi petitur ſumptibus petitoris: malæ fidei poſſeſſor ſolùm vbi inuenitur, vel vbi petitur ſumptibus ſuis. Bartolus.

X. PAVLVS *lib.* XXI. *ad edictum.*

SI res mobilis petita ſit, vbi reſtitui debeat, ſi præſens nõ ſit? & non malum eſt (ſi bonæ fidei poſſeſſor ſit is, cum quo agitur) aut ibi reſtitui, vbi res eſt, aut vbi agitur: ſed ſumptibus petitoris, qui extra cibaria in iter vel nauigationem faciendi ſunt.

XI. VL-

XI. VLPIANVS *lib.* XVI. *ad edictum.*

A NIsi malit petitor suis impensis & periculo ibi, vbi vindicatur, rem restitui. tunc enim de restitutione cum satisdatione cauebitur.

XII. PAVLVS *lib.* XXI. *ad edictum.*

SI verò malæ fidei sit possessor, qui in alio loco eam ré nactus sit: idé statui debet. Si verò ab eo loco, vbi lis contestata est, eam subtractam aliò transtulerit: illic restituere debet, vnde subtraxit, sumptibus suis.

Malæ fidei possessor tenetur ad rem & ad interesse deteriorationis hac actione, & actione. l. Aquil. sed vna per aliam tollitur, prout actor elegerit. Bar.

XIII. VLPIANVS *lib.* XVI. *ad edictum.*

B NOn solùm autem restitui iubebit, verùm & si deterior res sit facta, eius rationem iudex habebit. finge enim debilitatum hominem, vel vulneratū restitui. vtique ratio per iudicem habebitur, quãto deterior sit: quamquam & legis Aquiliæ actione conueniri possessor possit. Vnde quæritur, an non aliâs iudex æstimare damnum debeat, quàm si remittatur actio legis Aquiliæ? Et Labeo putat cauere petitorem oportere lege Aquilia se non acturum. quæ sententia vera est.

XIIII. PAVLVS *lib.* XXI. *ad edictum.*

QVòd si malit actor potius legis Aquiliæ actione vti, absoluendus est possessor. Itaq; electio actori C danda est, nõ vt triplū, sed duplū consequatur.

XV. VLPIANVS *lib.* XVI. *ad edictum.*

ITem si verberatum tradidit, Labeo ait, petitori etiam INIVRIARVM competere. Si quis rem ex necessitate distraxit: fortassis huic officio iudicis succurretur, vt precium dumtaxat debeat restituere. Nam & si fructus perceptos distraxit, ne corrumperentur: æquè non amplius, quàm precium præstabit. Item si fortè ager fuit, qui petitus est, & militibus adsignatus est, modico honoris gratia possessori dato: an hoc restituere debeat? & puto præstaturum. Si seruus petitus, vel aliud animal demortuum sit sine dolo malo & culpa possessoris: precium non esse præstandum plerisque placuit. Sed est verius: si fortè distracturus erat petitor, si acce-

piſſet: moram paſſo debere præſtari. nã ſi ei reſtituiſſet, diſtraxiſſet, & precium lucratus eſſet. D

XVI. PAVLVS *lib.* XXI. *ad edictum.*

VTique autem, etiam mortuo homine, neceſſaria eſt ſententia propter fructus, & partus, & ſtipulationé de euictione. non enim poſt litem conteſtatam vtique & fatum poſſeſſor præſtare debet.

Non eſt in culpa, ſi quis vtatur re ad eum vſum, ad quem eſt deſtinata. Bartolus.

Culpa non intelligitur, ſi nauem petitam tépore congruo nauigationis trans mare miſit, licet ea perierit: niſi minus idoneis hominibus eam commiſerit.

Poſſeſſor tenetur de facto eius cui vendidit: ſicut de ſuo facto. vel ſic: Re perempta in ſubſidium tenetur poſſeſſor actione negociorum geſtorum ad precium eius, licet non habuerit titulum lucratiuum, ſi ei contra perimentem poteſt eſſe conſultum. Bar. E

XVII. VLPIANVS *lib.* XVI. *ad edictum.*

IVlianus libro ſeptimo digeſtorum ſcribit: ſi hominé, qui Mæuij erat emero à Titio: deinde cùm eum Mæuius à me peteret, eundem vendidero, eumq̂ue emptor occiderit: æquum eſſe, me precium Mæuio reſtituere.

Idem Iulianus eodem libro ſcribit: ſi moram fecerit in homine reddendo poſſeſſor, & homo mortuus ſit: etiam fructuum rationem vſque ad rei iudicatæ tempus ſpectandam eſſe.

Re perempta tenetur poſſeſſor poſt moram ad fructus, & ad cæteras actiones. Bar. F

Idem Iulianus ait: non ſolùm fructus, ſed etiam omnem cauſſam præſtãdam: & ideò & partum venire in reſtitutionem, & partuum fructus. Vſque adeò auté hæ cauſſæ veniunt, vt Iulianus libro ſeptimo ſcribat, ſi per eum ſeruum poſſeſſor adquiſierit actionem legis Aquiliæ: reſtituere cogédum. Quòd ſi dolo malo ipſe poſſeſſor deſierit poſſidere, & alius hominem per iniuriam occiderit: aut precium hominis, aut actiones ſuas præſtare cogetur: vtrum eorum voluerit actor. Sed & fructus, quos ab alio poſſeſſore percepit, reſtituere eum oportet. Lucrum enim ex eo homine, qui in lite eſſe cœperit, facere non debet. Sed fructus eius temporis, quo

poſſeſſus

possessus esset ab eo, q[ui] euicit, restituere nõ debet. Sed
A quod dicit de actione legis Aquiliæ: procedit, si post litem cõtestatam vsucepit possessor: quia plenum ius incipit habere.

Si pendente iudicio ius actoris perimitur absque facto suo ex facto rei, peruenitur ad condemnationem, ac si peremptum non esset: & cautiones adinuicem præstabuntur. Bar.

XVIII. CAIVS *lib.* VII. *ad edictum prouinciale.*

SI post acceptum iudicium possessor vsu hominé cœperit; debet eũ tradere, eoq; noïe de dolo cauere. periculũ est enĩ, ne vel eũ pignorauerit, vel manumiserit.

XIX. VLPIANVS *lib.* XVI. *ad edictum.*

IPsi quoque reo cauẽdum esse Labeo dicit, IIS REBVS RECTE PRAESTARI: si fortè fundi no-
B mine DAMNI INFECTI cauerit.

Quicquid seruus penitus lucratus est, vel ex eo natum est, venit in restitutione. Bar.

XX. CAIVS *lib.* VII. *ad edictum prouinciale.*

PRæterea restituere debet possessor, & quæ post acceptum iudicium per eum, nõ ex re sua adquisiuit: in quo hæreditates quoque, & legata, quæ per eum seruum obuenerunt, continentur. nec enim sufficit corpus ipsum restitui, sed opus est, vt & caussa rei restituatur, id est, vt omne habeat petitor, quod habiturus foret, si eo tempore, quo iudicium accipiebatur, restitutus illi homo fuisset. Itaque & part⁹ ancillæ restitui debet: quam-
C uis post ea editus sit, q̃ matrẽ eius, post acceptũ scilicet iudiciũ, possessor vsuceperit. quo casu etiã de partu, sicut de matre & traditio, & cautio de dolo necessaria est.

Re perempta vel perdita post litem contestatam non tenetur possessor si dolus vel culpa ei imputari non possit. Bar.

XXI. PAVLVS *lib.* XXI. *ad edictum.*

SI à bonæ fidei possessore fugerit seruus: requiremus, an talis fuerit, vt & custodiri debuerit. nam si integræ opinionis videbatur, vt non debuerit custodiri, absoluendus est possessor: vt tamen, si interim eum vsuceperit, actionibus suis cedat petitori: & fructus eius temporis, quo possedit, præstet. Quod si nondum eum vsucepit: absoluendum eum sine cautionibus, vt nihil caueat pe-

ueat petitori de perſequenda ea re. nihilominus enim petitorem eam rem perſequi poſſe: quamuis interim, dũ in fuga ſit, vſucapiat: nec iniquum id eſſe, Pomponius libro triceſimonono ad edictum ſcribit. Si verò cuſtodiẽdus fuerit, etiam ipſius nomine damnari debere: vt tamen, ſi vſu eum non cepit, actor ei actionibus ſuis cedat. Iulianus autem in his caſibus, vbi propter fugã ſerui poſſeſſor abſoluitur: & ſi non cogatur cauere de perſequenda re, tamen cauere debere poſſeſſorem, ſi rem nactus fuerit, vt eam reſtituat: idque Pomponius libro decimoquarto lectionum probat, quod verius eſt.

XXII. VLPIANVS *lib.* XVI. *ad edictum.*

QVod ſi dolo poſſeſſoris fugerit: damnandum eum, quaſi poſſideret.

XXIII. PAVLVS *lib.* XXI. *ad edictum.*

IN rem actio competit ei, qui aut iure gentium, aut iure ciuili dominium adquiſiit. Loca ſacra, item religioſa, quaſi noſtra, in rem actione peti non poſſunt. Si quis rei ſuæ alienam rem ita adiecerit, vt pars eius fieret: veluti ſi quis ſtatuæ ſuæ brachium, aut pedem alienum adiecerit, aut ſcypho anſam vel fundum, vel candelabro ſigillum, aut menſæ pedem: dominum eius totius rei eum effici, vereque ſtatuam ſuam dicturũ & ſcyphum, plerique rectè dicunt. Sed & id, quod in charta mea ſcribitur, aut in tabula pingitur, ſtatim meum fit: licet de pictura quidam contrà ſenſerint, propter preciũ picturæ. ſed neceſſe eſt ei rei cedere id, quod ſine illa eſſe nõ poteſt. In omnibus igitur iſtis cauſſis, ex quibus mea res per præualentiam alienam rem trahit, meamque efficit: ſi eam rem vindicem, per exceptioné doli cogar precium eius, quod acceſſit, dare. Item quæcũque aliis iuncta ſiue adiecta, acceſſionis loco cedunt: ea quàmdiu cohærent, dominus vindicare non poteſt: ſed ad exhibendum agere poteſt, vt ſeparentur, & tunc vindicẽtur: ſcilicet excepto eo, quod Caſſius de ferruminatiõe ſcribit. Dicit enim, ſi ſtatuæ ſuæ ferruminatione iniunctum brachium ſit, vnitate id maioris partis cõſumi: & quod ſemel alienum ſit, etiam ſi inde abruptum ſit, redire ad priorem dominum non poſſe. Non idem eſt in eo quod

adplum-

adplumbatum sit: quia ferruminatio per eandem materiam facit confusionem, plumbatura verò non idem efficit. Ideoque in omnibus his casibus, in quibus neq; ad exhibédum, neque in rem locum habet: in factum actio necessaria est. At in iis, quæ ex distantibus corporibus essent, cõstat singulas partes retinere suam propriã speciem: vt singuli homines, singulæ oues. ideoq; posse me gregem vindicare, quamuis aries tuus sit immistus: sed & te arietem vindicare posse. Quod non idem in cohærentibus corporib⁹ eueniet. Nam si statuæ meæ brachiũ alienæ statuæ addideris: non posse dici brachium tuum esse, quia tota statua vno spiritu continetur. Tignum alienum ædibus iunctum nec vindicari potest propter legem duodecim tabularum, nec eo nomine ad exhibẽdum agi, nisi aduersus eum, qui sciés alienum suis ædibus iunxit: sed est actio antiqua DE TIGNO IVNCTO, quæ in duplum ex lege duodecim tabularum descendit. Item si quis ex alienis cæmentis in solo suo ædificauerit: domum quidem vindicare poterit, cæmẽta autem resoluta prior dominus vindicabit: etiã si post tempus vsucapionis dissolutũ sit ædificiũ, quàm à bonæ fidei emptore possessum est. Nec enĩ singula cęmenta vsucapiuntur, & si domus per temporis spatiũ nostra fiat.

A

B

Consultius est agere possessorio, quàm petitorio. Bar.

XXIIII. CAIVS *lib.* VII. *ad edictum prouinciale.*

C IS qui destinauit rem petere, animaduertere debet, an aliquo interdicto possit nancisci possessionẽ: quia longè commodius est ipsum possidere, & aduersarium ad onera petitoris compellere, q̃ alio possidente petere.

XXV. VLPIANVS *lib.* LXX. *ad edictum.*

IS qui se obtulit rei defensioni sine caussa, cùm non possideret, nec dolo fecisset, quò minus possideret: si actor ignoret, non est absoluendus, vt Marcellus ait, quę sentẽtia vera est, sed post litẽ cõtestatã. cæterũ ante iudiciũ acceptũ non decipit actorẽ, q. se negat possidere, cũ verè nõ possideat: nec videĩ se liti obtulisse, q discessit.

XXVI. PAVLVS *lib.* II. *ad Plautium.*

NAm si actor sit: tũc is nõ ab alio, sed à se decipitur: & ideo reus absoluitur.

XXVII. IDEM *lib.* XXI. *ad edictum.*

SIn autem cùm à Titio petere vellem, aliquis dixerit ſe poſſidere,& ideo liti ſeſe obtulerit, & hoc ipſum in re agenda teſtatione probauero: omnimodo condemnandus eſt. Poſſidere autem aliquis debet, vtique & litis conteſtatæ tempore, & quo res iudicatur. Quod ſi litis conteſtatæ tempore poſſedit, cùm autem res iudicatur, ſine dolo malo amiſit poſſeſſionem: abſoluendus eſt poſſeſſor. Item ſi litis conteſtatæ tempore non poſſedit, quo autem tempore iudicatur, poſſidet: probãda eſt Proculi ſententia, vt omnino condemnetur. Ergo & fructuum nomine, ex quo cœpit poſſidere, damnabitur. D A

Caſus ſuperueniens excuſat poſſeſſorem à præcedente culpa. Bar. E B

Si homo petitus, dolo poſſeſſoris deterior factus ſit, deinde ſine culpa eius ex alia cauſſa mortuus ſit: æſtimatio non fiet eius, quòd deteriorem eum fecit: quia nihil intereſt petitoris. ſed hoc quantũ ad in rem actionem. legis autem Aquiliæ actio durat. Sed & is, qui ante litem conteſtatam dolo deſinit rem poſſidere, tenetur in rem actione: idq́ue ex ſenatuſconſulto colligi poteſt, quo cautum eſt (vt diximus) vt dolus præteritus in hæreditatis petitione veniat. cum enim in hæreditatis petitionem, quæ & ipſa in rem eſt, dolus præteritus fertur: non eſt abſurdum, per conſequétias & in ſpeciali in rem actione dolum præteritum deduci. Si per filium aut per ſeruum pater vel dominus poſſideat, & is ſine culpa patris dominíve rei vindicandæ tempore abſit: vel tépus dandum, vel cauendum eſt de poſſeſſione reſtituenda. F C

Bonæ fidei poſſeſſor ſumptus per doli exceptionem recuperat. Itẽ expenſas factas in ædificãdo de nouo recuperat, niſi actor deductionem ſibi concedat. Bartolus.

In re petita ſi poſſeſſor ante litem conteſtatam ſumptus fecit, per doli mali exceptionem ratio eorum haberi debet, ſi perſeueret actor petere rem ſuam, non red ditis ſumptibus. Idem eſt etiam, ſi noxali iudicio ſeruũ defendit, & damnatus præſtitit pecuniam: aut in area, quæ fuit petitoris, per errorem inſulam ædificauit: niſi

tamen

tamen paratus sit petitor pati, tollere eum ædificium.
A Quòd & in area vxori donata per iudicem, qui de dote cognoscit, faciendum dixerunt.

Expensæ ad rei vtilitatem factæ quæ deductionem non patiuntur, recuperantur à possessore in tribus casibus hic expressis: aliàs secus. Bartolus.

Sed si puerum meum, cùm possideres, erudisses: non idem obseruandum Proculus existimat: quia neque carere seruo meo debeam, nec potest remedium idem adhiberi; quod in area diximus.

XXVIII. CAIVS *lib.* VII. *ad edictum prouinciale.*

FOrtè quòd pictorem, aut librarium esse docueris: dicitur non aliter iudicis officio æstimationem haberi
B ri posse:

XXIX. POMPONIVS *lib.* XXI. *ad Q. Mutium.*

NIsi si venalem eum habeas, & plus precij consecuturus sis propter artificium.

XXX. CAIVS *lib.* VII. *ad edictum prouinciale.*

AVt si antè denunciatũ sit actori, vt inpensam solueret: & eo dissimulãte, posita sit doli mali exceptio.

XXXI. PAVLVS *lib.* XXI. *ad edictum.*

CAeterùm cùm de fructibus serui petiti quæritur: non tantùm pubertas eius spectanda est: quia etiã impuberis aliquæ operæ esse possunt. Improbè tamen desiderabit petitor fructus æstimari, qui ex artificio e-
C ius percipi potuerunt, quod artificium sumptibus possessoris didicit.

XXXII. MODESTINVS *lib.* VIII. *Differentiarũ.*

QVòd si artificem fecerit: post vicesimumquintum annum eius, qui artificium consecutus est, impensæ factæ poterunt pensari.

Possessor tenetur ad fructus perceptos, & qui percipi potuerũt: & ideo cùm desinunt posse percipi absque sui culpa, abinde desinũt deberi: cùm cœperint posse percipi absque sui culpa, abinde incipiũt deberi. Bartolus.

XXXIII. PAVLVS *lib.* XXI. *ad edictum.*

FRuctus non modò percepti, sed & qui percipi potuerunt, æstimandi sunt. & ideo si dolo aut culpa possessoris res petita perierit: veriorem putat Pomponius

Trebatij

Trebatij opinionem, putantis eouſque fructuum rationem habendam, quouſque haberetur, ſi non periſſet : id eſt ad rei iudicādæ tempus, quod & Iuliano placet. Hac ratione ſi nudæ proprietatis dominus petierit, & inter moras vſusfructus amiſſus ſit : ex eo tempore, quo ad proprietatem vſusfructus reuerſus eſt, ratio fructuum habebitur. D

XXXIIII. IVLIANVS *lib.* VII. *Digeſtorum.*

IDem eſt, & ſi per alluuionem pars fundo acceſſerit.

XXXV. PAVLVS *lib.* XXI. *ad edictum.*

EX diuerſo, ſi petitor lite conteſtata, vſumfructum legauerit: ex eo tempore, ex quo diſceſſit à proprietate, fructuum rationem non habendam, quidam rectè putant. E

Si actor declaratur dominus etiam per errorem, debet condemnari reus in fructibus. Bartolus.

Vbi alienum fundum petij, & iudex ſententia declarauit meum eſſe: debet etiam de fructibus poſſeſſor cōdemnari : eodem enim errore & de fructibus condemnatur. non debet enim lucro poſſeſſori cedere fructus, cùm victus ſit: alioquin (vt Martianus ait) nec rem arbitrabitur iudex mihi reſtitui. & quare habeat, quod non eſſet habiturus poſſeſſor, ſi ſtatim poſſeſſionem reſtituiſſet?

Ei qui ſoluit litis æſtimationem cùm poſſet reſtituere rem: petitor de euictione cauere non tenetur. Bartolus. F

Petitor poſſeſſori de euictione cauere nō cogitur eiꝰ rei nomine, cuius æſtimationem accepit. ſibi enim poſſeſſor imputare debet, qui rem non reſtituit. Eorum quoque, quæ ſine interitu diuidi nō poſſunt, partem petere poſſe conſtat.

XXXVI. CAIVS *lib.* VII. *ad edictum prouinciale.*

QVi petitorio iudicio vtitur: ne fruſtra experiatur: requirere debet, an is, cum quo inſtituit actionem, poſſeſſor ſit, vel dolo deſierit poſſidere.

Si res periit culpa poſſeſſoris, eius nomine condemnabitur. Bar.

Qui in rem conuenitur, etiam culpæ nomine condēnatur. Culpæ autē reus eſt poſſeſſor, & qui per inſidioſa loca ſeruum miſit, ſi is periit: & qui ſeruum à ſe petitum

tum in arena eſſe conceſſit, ſi is mortuus eſt. ſed & qui
A ſeruum fugitiuum à ſe petitum non cuſtodit, ſi is fugit: & qui nauem à ſe petitam, aduerſo tempore nauigatum miſit, ſi ea naufragio perempta eſt.

Qui ab initio fuit bonæ fidei, & ex poſt facto malæ fidei fiat: quod ædificauit poteſt tollere: non autem expenſas poteſt per doli exceptionem retinere. Bartolus.

XXXVII. VLPIANVS *lib.* XVI. *ad edictum.*

IVlianus libro ſeptimo digeſtorum ſcribit. Si in area ædificaſſem, cuius bonæ fidei quidem emptor fui, eó autem tempore ædificaui, quo iam ſciebam alienam: videamus, an nihil mihi exceptio proſit, niſi fortè quis dicat prodeſſe de damno ſollicito. Puto autem huic exce-
B ptionem nó prodeſſe. nêc enim debuit in alienum certus ædificium ponere. Sed hoc ei concedendum eſt, vt ſine diſpendio domini areæ, tollat ædificium, quod poſuit.

Poſſeſſor recuperat expenſas à domino, ſi dominus erat facturus vel rem diſtracturus, non aliter ſi hac re eſſet cariturus. Bartolus.

XXXVIII. CELSVS *lib.* III. *Digeſtorum.*

IN fundo alieno, quem imprudens emeras, ſi ædificaſti aut cõſeuiſti, deinde euincitur: bonus iudex variè ex perſonis cauſſiſque conſtituet. Finge & dominũ eadem facturum fuiſſe. reddet impenſam, vt fundum recipiat: eò vſque dumtaxat, quo precioſior factus eſt: † & ſi plus precij fundo acceſſit, ſolùm quod impenſum eſt †. Finge †*aliàs, hæc deſunt.*
C pauperem, cui ſi reddere id cogatur, laribus ſepulchriſque auitis carendum ſit. ſufficiet tibi permitti tollere ex his rebus, quæ poſſis: dum ita, ne deterior ſit fundus, quàm ſi initio non foret ædificatum. Cenſuimus verò, vt ſi paratus ſit dominus tantum dare, quantum habiturus eſſet poſſeſſor, his rebus ablatis: fiat ei poteſtas. neque maliciis indulgendum eſt: ſi tectorium puta, quod induxeris, picturasq; corradere velis, nihil laturus, niſi vt officias. Finge eam eſſe perſonam domini, quæ receptum fundum mox venditura ſit. niſi reddat, quantum prima parte reddi oportere diximus: eo deducto, condemnandus eſt.

Qui ædificat in alieno ex cauſſa conductionis, transfert dominiũ ædificii in dominum ſoli. Bartolus.

XXXIX.

XXXIX. VLPIANVS *lib.* XVI. *ad edictum.*

REdemptores, qui ſuis cæmentis ædificant: ſtatim cæmenta faciunt eorum, in quorũ ſolo ædificant. D

Creditor qui habet ius pignoris quod excluditur, ius vendendi non habet. Bartolus.

Iulianus rectè ſcribit libro ſeptimo digeſtorum: mulierem, quæ intercedens, fundum pignori dedit: quamuis à creditore diſtractum, poſſe in rem actione petere.

XL. CAIVS *lib.* VII. *ad edictum prouinciale.*

QVia nullum pignus creditor védidiſſe videtur.

XLI. VLPIANVS *lib.* XVI. *ad edictum.*

SI quis hac lege emerit, vt ſi alius meliorem cõditionem attulerit, recedatur ab emptione: poſt allatam conditionem, iam non poteſt in rem actione vti. Sed ſi cui in diem addictus ſit fundus: ante, quàm adiectio ſit facta, vti in rem actione poteſt: poſtea non poterit. E

Qui emit ab eo qui habet poteſtatem à domino: habet actionem in rem. Bartolus.

Si ſeruus mihi vel filiusfamiliâs fundum vendidit, & tradidit, habens liberam peculij adminiſtrationem: vti in rem actione potero. Sed & ſi domini voluntate rem tradat, idem erit dicẽdum: quemadmodum & cùm procurator voluntate domini vendidit, & tradidit, in rem actio mihi præſtabitur.

XLII. PAVLVS *lib.* XXI. *ad edictum.*

SI in rem actum ſit, quamuis hæres poſſeſſoris, ſi non poſſideat, abſoluatur: tamen ſi quid ex perſona defuncti commiſſum ſit, omnimodo in damnationé veniet. F

XLIII. IDEM *lib.* XXXVII. *ad edictum.*

QVæ religioſis adhærent. religioſa ſunt, & idcirco nec lapides inædificati, poſtquã remoti ſunt, vindicari poſſunt. per IN FACTVM autem actionem petitori extra ordinem ſubuenitur: vt is, qui hoc fecerit, reſtituere eos compellatur. Sed ſi alieni ſine voluntate domini inædificati fuerint, & nondum finito monumento in hoc diſiecti erunt, vt alibi reponerẽtur: poterunt à domino vindicari. Quòd ſi in hoc diſiecti erunt, vt reponerentur: ſimiliter dominum repetere eos poſſe conſtat.

XLIIII.

XLIIII. CAIVS *lib.* XXVIII. *ad edictũ prouinciale.*

A FRuctus pendentes pars fundi videntur.

Bona fidei possessor ante litem contestatam tenetur de dolo: mala fidei de culpa: bona fidei post litem contestatam tenetur etiã de culpa. Bartolus.

XLV. VLPIANVS *lib.* LXVIII. *ad edictum.*

SI homo sit, qui post conuentionem restituitur: si quidem à bonæ fidei possessore, puto cauendum esse de dolo solo debere. Cæteros autem & de culpa sua: inter quos erit & bonæ fidei possessor post litem contestatam.

In soluentem litis æstimationem transit dominium rei præsentis, vel postea ad præsentiam venientis. Bartolus.

XLVI. PAVLVS *lib.* X. *ad Sabinum.*

B EIus rei, quæ per in rem actionem petita, æstimata est, quanti in litem actor iurauerit: dominium statim ad possessorem pertinet. trãsegisse enim cum eo & decidisse videbitur eo precio, quod ipse constituit.

XLVII. IDEM *lib.* XVII. *ad Plautium.*

HOc si res pręsens sit. si verò absens: tunc, cùm possessionem eius possessor nactus sit ex voluntate actoris. & ideò non est alienum, non aliter æstimari à iudice: quàm si cauerit actor, quod per se non fiat, possessionem eius rei non traditu iri.

Bona fidei possessor doli exceptione expensas recuperat: nisi compensentur cum fructibus. Bartolus.

C XLVIII. PAPINIANVS *lib.* II. *Responsorum.*

SVmptus in prædium, quod alienum esse apparuit, à bonæ fidei possessore facti: neque ab eo, qui prædiũ donauit, neque à domino peti possunt: verùm exceptione doli opposita, per officium iudicis æquitatis ratione seruantur, si fructuum à lite contestata perceptorũ summam excedant. etenim admissa compensatione, superfluum sumptum (meliore prædio facto) dominus restituere cogitur.

XLIX. CELSVS *lib.* XVIII. *Digestorum.*

SOlum partem esse ædiũ existimo, nec alioquin subiacere, vtì mare nauibus. Meum esse, quod ex re mea superest, cuius vindicandi ius habeo.

Ex solo titulo absque traditione non quæritur dominium, nec ius

 vindicandi.

vindicandi. Bartolus.

L. CALLISTRATVS. *lib.* II. *edicti monitorii.* D

SI ager ex emptionis caussa ad aliquem pertineat: nõ rectè hac actione agi poterit, antequàm traditus sit ager, tuncque possessio amissa sit. Sed hæres de eo, quod hæreditati obuenit, rectè aget, & si possessionem eius adhuc non habuerit.

Si iudicium reale transfertur in hæredem post litem cõtestatam, venit dolus & culpa defuncti & hæredis: sed ante litem contestatam de dolo defuncti nõ tenetur, nisi quatenus est factus locupletior. De hoc plene vidistis supra eod. l. si rem. Bartolus.

LI. POMPONIVS *lib.* XVI. *ad Sabinum.*

SI in rem actum sit, & in hæredem possessoris iudicium datum: culpa quoque & dolus malus hæredis in hoc iudicium venit. E

LII. IVLIANVS. *lib.* VII. *Digestorum.*

CVm autem fundi possessor ante litem contestatam dolo malo fundum possidere desiit: hæredes eius in rem quidem actionem suscipere cogendi non sunt, sed in factum actio aduersus eos reddi debebit: per quã restituere cogentur, in quantum locupletes ex ea re facti fuerunt.

LIII. POMPONIVS *lib.* XXXI. *ad Sabinum.*

SI postea, quàm fundi possessor eum excoluisset sæuit sétve, fundus euincatur: cõsita tollere nõ potest.

Sententia lata in reali contra clientulum, non facit praeiudicium contra aduocatum ad quem res in veritate pertinet. Bartolus. F

LIIII. VLPIANVS *lib.* VI. *Opinionum.*

INter officium aduocatiõis, & rei suæ defensioné multum interest: nec propterea quis (si postea cognouerit rem ad se pertinere) quod alij eam vindicanti, tũc ignorans suã esse, adsistebat, dominium suum amisit.

Hæredes possessoris ante litem contestatã conueniũtur hac actione secundum quod possident, non pro portione hæreditaria. Bar.

LV. IVLIANVS *lib.* LX. *Digestorum.*

SI possessor fundi ante iudicium acceptũ, duob⁹ hæredibus relictis, decesserit: & ab altero ex his, qui totum fundũ possidebat, totus petitus fuerit: quin insolidum condemnari debeat, dubitari non oporteet.

Vniuersitas corporum & iurium non vindicatur. Bartolus.

A LVI. IDEM *lib.* LXXIIII. *Digestorum.*

VIndicatio non vt gregis, ita & peculij recepta est: sed res singulas is, cui legatum peculiū est, petet.

Si duo vindicant eandem rem ab eodem possessore, primo vincenti traditur præstita cautione. Bartolus.

LVII. ALFENVS *lib.* VI. *Digestorum.*

IS, à quo fundus petitus erat, ab alio eiusdem fundi nomine conuétus est. quærebatur, si alterutri eorum iussu iudicis fundum restituisset, & postea secundum alterum petitorem iudicaretur: quemadmodum nō duplex damnum traheret? Respondi. vter prior iudex iudicaret: eum oportere ita fundum petitori restitui iubere, vt possessori caueret vel satisdaret, si alter fundum
B euicisset, eum præstare.

Si super eadem re est duplex iudicium: scilicet petitorium & noxale: si primo vincitur in petitorio, res traditur præstita cautione: si primo in noxali, tradetur simpliciter. Bartolus.

LVIII. PAVLVS *lib.* IIII. ἐπιτομῶν *Alfeni Digestorum.*

A Quo seruus petebatur, cum eiusdem serui nomine cum eo furti ageretur: quærebatur, si vtroq; iudicio cōdénatus esset, quid se facere oporteret, si prius seruus ab eo euictus esset? Respondit nō oportere iudicem cogere, vt eum traderet, nisi satis ei datū esset: quod pro
C eo homine iudiciū accepisset, & si quid ob eam rem datum esset, id rectè præstari. Sed si prius de furto iudiciū factū esset, & hominem noxæ dedidisset, deinde de ipso homine secundū petitorem iudicium factum esset: non debere ob eam rem iudicem, quod hominem non traderet, litem æstimare: quoniam nihil eius culpa, neq; dolo contigisset, quò minus hominem traderet.

Qui habitat in domo aliena domini voluntate: quod ibi ædificat, domini non facit: & ideo poterit vindicari. Bartolus.

LIX. IVLIANVS *lib.* VI. *ex Minicio.*

HAbitator in aliena ædificia fenestras & hostia imposuit. eadem post annum dominus ædificiorum dempsit. Quæro: is, qui imposuerat, possítne ea vindicare? Respondi, posse. nam quæ alienis ædificiis conne-

xa essent, ea quàmdiu iuncta manerent, eorundem ædificiorum esse: simul atque inde dempta essent, cõtinuò in D
pristinam caussam reuerti.

LX. POMPONIVS *lib.* XXIX. *ad Sabinum.*

QVod infans, vel furiosus possessor perdidit, vel corrupit: impunitum est.

Quod adiicitur rei caussa refectionis, ipsi rei cedit: si quid de nouo affigitur, ad dominũ iure pertinet. Bartolus.

LXI. IVLIANVS *lib.* VI. *ex Minicio.*

MInicius interrogatus, si quis nauem suã aliena materia refecisset: num nihilominus eiusdem nauis maneret? respondit, manere: sed si in ædificanda eadem fecisset, non posse. IVLIANVS NOTAT. nam proprietas totius nauis carinæ caussam sequitur. E

Accessiones ciuiles in hac actione veniunt sicut naturales. Bar.

LXII. PAPINIANVS *lib.* VI. *Quæstionum.*

SI nauis à malæ fidei possessore petatur, & fructus æstimandi sunt: vt in taberna & area, quæ locari solent. Quod non est ei contrarium, quod de pecunia deposita, quam non attingit, hæres vsuras præstare non cogitur. nam & si maximè vectura (sicut vsura) non natura peruenit, sed iure percipitur: tamen ideo vectura desiderari potest, quoniam periculum nauis possessor petitori præstare non debet, cùm pecunia periculo dantis fœneretur.

Fructus percipiendi intelliguntur, qui à petitore percipi potuerunt. Bartolus. F

GEneraliter autẽ, cùm de fructibus æstimãdis quæritur: constat animaduerti nõ debere, an malæ fidei possessor fruitus sit, sed an petitor frui potuerit, si ei possidere licuisset. quã sententiã Iulianus quoq; probat.

Ei qui culpa desiit possidere, & propterea litis æstimationẽ soluit: sunt cedendæ actiones: & cõpetunt vtiles sine cessione cõtra extraneum, & etiã contra dominũ cui litis æstimationem soluit. Bar.

LXIII. IDEM *lib.* XII. *Quæstionum.*

SI culpa, non fraude quis possessionem amiserit: quoniam pati debet æstimationem, audiẽdus erit à iudice, si desideret, vt aduersarius actiones suas cedat: cùm tamen prætor auxilium quandoque laturus sit, quolibet alio

bet alio possidente, vt nulla captione adficiatur. Ipso
A quoque, qui litis æstimationem percepit, possidente, adiuuari debet: nec facilè audiendus erit ille, si velit postea pecuniam, quam ex sententia iudicis periculo iudicati recepit, restituere.

Ea quæ sunt in vsu, non habentur in fructibus. Bartolus.

L X I I I I. I D E M *lib.* X V. *Quæstionum.*

Cvm in rem agitur: eorum quoque, quæ vsui, nō fructui sunt, restitui fructus certum est.

Possessori debet restitui precium à domino quod est in eius vtilitatem versum, cum vsuris: habita tamen fructuum compensatione. Bartolus.

L X V. I D E M *lib.* I I. *Definitionum.*

B Emptor prædium, quod nō à domino emit: exceptione doli posita, nō aliter restituere domino cogetur, quàm si pecuniam creditori eius solutam, qui pignori datum prædium habuit, vsurarumque medij temporis superfluum recuperauerit: scilicet si minus in fructibus à lite contestata perceptis fuerit. nam eos vsuris nobis dumtaxat compensari, sumptuum in prædium factorum exemplo, æquum est.

Verba enunciatiuè prolata per modum caussæ dispositionem inducunt iure exceptionis. Bartolus.

Ancillà quæ non in dotem data est, sed in peculium filiæ concessa: peculio non legato, mancipium hæreditarium esse conuenit.
C Si tamen pater dotis ac peculij cōtemplatione filiam exhæredauit, & ea ratione reddita, nihil ei testamento reliquit, aut eò minus legauit: filiam defensio tuebitur voluntatis.

Res quæ subiacet restitutioni, potest à domino interim vindicari. Bartolus.

L X V I. P A V L V S *lib.* I I. *Quæstionum.*

Non ideo minus rectè quid nostrū esse vindicamus, quod abire à nobis dominium speratur, si conditio legati vel libertatis exstiterit.

Pecunia in re empta inuenta si est thesaurus, reddetur emptori, si pecunia, reddetur venditori. Bartolus.

L X V I I. S C A E V O L A. *lib.* I I I. *Responsorum.*

A Tutore pupilli domū mercatus, ad eius refectio-

nem fabrum induxit, is pecuniam inuenit. quæritur, ad quem pertineat? Respondi, si non thesauri fuerunt, sed pecunia fortè perdita, vel per errorem ab eo, ad quem pertinebat, non ablata: nihilominus eius eam esse, cuius fuerat. D

A condemnato in rei vindicatione potest res auferri manu militari, si res possidetur: vel contra dolosum iurari in litem: aliàs fiet executio in vera æstimatione, seu aduersarii interesse: & prædicta sunt generaliter vera in omnibus actionibus. Bartolus.

LXVIII. VLPIANVS *lib.* LI. *ad edictum.*

QVi restituere iussus, iudici non paret, contendens non posse restituere: siquidẽ habet rem, manu militari officio iudicis ab eo possessio transfertur, & fructuum dumtaxat, omnisq; caussæ nomine condemnatio fit. Si verò non potest restituere, & dolo fecit, quò minus possit: is quantum aduersarius in litem sine vlla taxatione infinitũ iurauerit, damnandus est. Si verò nec potest restituere, nec dolo fecit, quò min⁹ possit: nõ pluris, quàm res est, id est quãti aduersarij interfuit, cõdemnãdus est. Hæc sentẽtiã generalis: siue interdicta, siue actiones, & siue in rem, siue in personã sint, ex quibus arbitratu iudicis quid restituitur: locum habet. E

Ei qui dolo desiit possidere, non cauetur: nec actiones ceduntur: nec Publiciana datur. Item potest petitor omisso iuramento in litem petere veram æstimationem. Bartolus.

LXIX. PAVLVS *lib.* XVIII. *ad Sabinum.* F

IS qui dolo fecit, quò minus possideret: hoc quoq; nomine punitur, quod actor cauere ei nõ debet: actiões, quas eius rei nomine habeat, se ei præstaturum.

LXX. POMPONIVS *lib.* XXVIII. *ad Sabinum.*

NEc quasi Publicianam quidẽ actionem ei dandam placuit: ne in potestate cuiusq; sit, per rapinam ab inuito domino rem iniusto precio comparare.

LXXI. PAVLVS *lib.* XVIII. *ad Sabinum.*

QVòd si possessor quidem dolo fecit, actor verò iurare non vult, sed quanti res sit aduersarium condemnari malit: mos ei gerendus est.

Publiciana competit contra dominũ, quando possessor & petitor habuerunt caussam ab eodem, vel possessor à petitore. Bartolus.

LXXII.

LXXII. VLPIANVS *lib.* XIX. *ad edictum.*

A SI à Titio fundum emeris Sempronij, & tibi traditus sit precio soluto: deinde Titius Sẽpronio hæres extiterit, & eundẽ alij vendiderit, & tradiderit: æquius est, vt tu potior sis. Nam & si ipse venditor eam rem à te peteret, exceptione eum submoueres. Sed & si ipse possideret, & tu peteres aduersus exceptionem dominij, replicatione vtereris.

Conuentus rei vindicatione non cogitur respondere sit dominus in totum vel pro parte. Bartolus.

LXXIII. IDEM *lib.* XVI. *ad edictum.*

IN speciali actione non cogitur possessor dicere, pro qua parte eius sit. hoc enim petitoris munus est, non
B possessoris. quod & in Publiciana obseruatur. Superficiario,

LXXIIII. PAVLVS *lib.* XXI. *ad edictum.*

ID est, qui in alieno solo superficiem ita habet, vt certam pensionem præstet,

LXXV. VLPIANVS *lib.* XVI. *ad edictum.*

PRætor caussa cognita in rem actionem pollicetur.

Quod iuris est de toto quo ad totum, idem de parte quo ad partem. Bartolus.

LXXVI. CAIVS. *lib.* VII. *ad edictum prouinciale.*

QVæ de tota re vindicanda dicta sunt, eadem & de parte intelligenda sunt: officióq; iudicis contine-
C tur, pro modo partis ea quoq; restitui iubere, quæ simul cum ipsa parte restitui debent.

Admittitur incertæ partis vindicatio, si ex parte actoris est iusta caussa ignorantiæ. Bartolus.

Incertæ partis vindicatio datur, si iusta caussa interueniat. Iusta autem caussa esse potest, si fortè legi Falcidiæ locus sit in testamento, propter incertam detractionem ex legatis, quæ vix apud iudicem examinatur. Iustam enim habet ignorãtiam legatarius, cui homo legatus est: si hæsitet, quotam partem vindicare debeat. itaque tali dabitur actio. eadem & de cæteris rebus intelligemus.

Si venditor vel donator rem conducit, ab eo cui dedit, ipsa conductio transfert possessionem quam habet, & etiam dominium. Bartolus.

LXXVII. VLPIANVS *lib. XII. ad edictum.*

QVædam mulier fundum non marito donauit per epistolam, & eundem fundum ab eo conduxit. dixi posse defendi in rem ei cōpetere, quasi per ipsam adquisierit possessioné, veluti per colonã. Proponebatur, quòd etiam in eo agro, qui donabatur, fuisset, cùm epistola mitteretur. quæ res sufficiebat ad traditã possessionem, licet conductio non interuenisset. D

Fructus efficiuntur bonæ fidei possessoris eo ipso quod à solo sunt separati. Bartolus.

LXXVIII. LABEO *lib. IIII.* πιθανῶν *à Paulo* ἐπιτομηθέντων.

SI eius fundi, quem alienum possidebas, fructũ non coēgisti: nihil eius fundi fructus nomine te dare oportet. PAVLVS NOTAT. imò quæritur, si huius fruct' idcirco factus est, quòd is eum suo nomine perceperit. Perceptioné fructus accipere debemus, nõ tantũ si perfectè sint collecti, sed etiam cœpti ita, vt terra continere se fructus desierint: veluti si oliuæ, vel vuæ collectæ sunt, nondum auté vinum vel oleum ab aliquo factũ est. statim enim ipse accepisse fructum existimandus est. E

Fructus debentur vsque ad id tempus quo desierint posse percipi. Bartolus.

LXXIX. IDEM *lib. VI.* πιθανῶν *à Paulo* ἐπιτομηθέντων.

SI hominem à me petieris, & is post litem contestatam mortuus sit: fructus, quoad vixerit, ęstimari oportet. PAVLVS NOTAT. ita id verum esse puto, si nõ prius is homo in eam valetudiné inciderit, propter quam operæ eius inutiles factæ sunt. nam ne si vixisset quidem in ea valetudine, fructus eius temporis nomine æstimari conueniret. F

Qui negat se possidere, non potest conueniri actione: sed si conuincitur de mendacio, transfertur possessio in actorem. Bartolus.

LXXX. FVRIVS ANTHINVS *lib. I. ad edictum.*

IN rem actionem pati non compellimur: quia licet alicui dicere, se non possidere. ita tamen vt si possit aduersarius conuincere, rem ab aduersario possideri: transferat ad se possessionem per iudicem, licet suam esse nõ probauerit.

DE

DE PVBLICIANA IN REM Actione. Titulus II.

A

VLPIANVS *lib.* XVI. *ad edictum.*

Ait prætor. SI QVIS ID, QVOD TRADITVR EX IVSTA CAVSSA NON A DOMINO, ET NONDVM VSVCAPTVM PETET, IVDICIVM DABO. Meritò prætor ait, NONDVM VSVCAPTVM, nam si vsucaptum est, habet ciuilem actionem, nec desiderat honorariam.

Ex quacũq; caussa iusta transfertur possessio, cõpetit publiciana.

Sed cur traditionis dumtaxat, & vsucapionis fecit mentionem, cùm sanè multę sint iuris partes, quibus dominium quis nanciscatur: vtputa legatum?

B

II. PAVLVS *lib.* XXI. *ad edictum.*

VEl donationes caussa mortis factæ: nam & hic amissa possessione competit Publiciana, quia ad exemplum legatorum capiuntur.

III. VLPIANVS *lib.* XVI. *ad edictum.*

ET aliæ pleræque? Ait prætor, QVI EX IVSTA CAVSSA PETET. qui igitur iustam caussam traditionis habet, vtitur Publiciana. Et non solum bonæ fidei emptori competit publiciana, sed & aliis: vtputa ei, cui dotis nomine tradita res est, necdum vsucapta. est enim iustissima caussa: siue æstimata res in dote data sit, siue non. Item si res ex caussa iudicati tradita sit,

C

IIII. PAVLVS *lib.* XXI. *ad edictum.*

VEl soluendi caussa,

V. VLPIANVS *lib.* XVI. *ad edictum.*

VEl ex caussa noxæ deditionis: siue vera, siue falsa sit caussa.

VI. PAVLVS *lib.* XXI. *ad edictum.*

ITem si seruum ex caussa noxali (quia non defendebatur) iussu prętoris duxero, & amisero possessioné: competit mihi Publiciana.

VII. VLPIANVS *lib.* XVI. *ad edictum.*

SEd & si res adiudicata sit, Publiciana actio competit. Si lis ęstimata fuerit, similis est venditioni: & ait Iu lianus

lianus libro ſeptimo Digeſtorum, ſi obtulerit reus æſtimationem litis, Publicianam competere. D

Titulus putatiuus inducit vſucapiendi conditionem: & per conſequens Publicianam. Bartolus.

Marcellus lib. decimoſeptimo Digeſtorũ ſcribit, eum, qui à furioſo, ignorans eũ furere, emit, poſſe vſucapere. ergo & Publicianã hebebit. Sed & ſi quis ex lucratiuis cauſſis rem acceperit, habet Publicianam: quę etiam aduerſus donatoré competit. eſt enim iuſtus poſſeſſor & petitor, qui ex liberalitate accepit. Si à minore quis emerit, ignorãs eũ minoré eſſe, habet Publicianã. Sed & ſi ꝑmutatio facta ſit, eadé actio cópetit. Publiciana actio ad inſtar ꝓprietatis, non ad inſtar poſſeſſionis reſpicit.

Re tradita ex iureiurando competit Publiciana. Bartolus. E

Si petenti mihi rem iuſiurandum detuleris, egóque iurauero rem meã eſſe: competit mihi Publiciana, ſed aduerſus te dũtaxat. ei enim ſoli nocere debebit iuſiurandum, qui detulit. Sed & ſi poſſeſſori delatũ erit iuſiurandum, & iurauerit rem petitoris nõ eſſe: aduerſus eum ſolum petentem exceptione vtetur, non vt & actionem habeat. In Publiciana actione omnia eadem erũt, quæ & in rei vindicatione diximus. Hæc actio & hæredi, & honorariis ſucceſſoribus cópetit. Si ego nõ emero, ſed ſeruus meus: habebo Publicianã. Idem eſt & ſi procurator meus, vel tutor, vel curator, vel quis alius negocium meum gerens, emerit. F

Hæc actio cópetit emptori bonæ fidei, licet venditor habuerit malam fidem. Item competit hæredi inſpecta fide defuncti. Item domino inſpecta fide ſerui ementis. Bartolus.

Prætor ait, QVI BONA FIDE EMIT. Non igitur omnis emptio proderit, ſed ea quæ bonam fidem habet. Proinde hic ſufficit, me bonæ fidei emptoré fuiſſe: quãuis nõ à domino emerim, & ille callido cõſilio vendiderit. neque enim dolus venditoris mihi nocebit.

In hac actione nõ oberit mihi, ſi ſucceſſor ſum, & dolo feci: cùm is, in cuius locum ſucceſſi, bona fide emiſſet. Nec proderit, & ſi dolo careo: cùm emptor, cui ſucceſſi, dolo feciſſet. Sed enim ſi ſeruus meus emerit: dolus eius ſpectandus erit, non meus, vel contrà. Publiciana

tempus

tempus emptionis continet. & ideo neq; quod ante emptionem, neque quod postea dolo malo factum est, in hanc actionem deduci Pomponio videtur.

A

Vt Publiciana competat, requiritur titulus & traditio facta respectu eiusdem tituli: & bona fides tempore traditionis. Bartolus.

Bonam autem fidem solius emptoris continet. Vt igitur Publiciana cōpetat, hæc debent concurrere: vt & bona fide quis emerit, & ei res empta eo nomine sit tradita. Cæterùm ante traditionem, quamuis bonæ fidei quis emptor sit, experiri Publiciana non poterit. Iulianus lib. septimo Digestorum scribit, traditionem rei emptæ oportere bona fide fieri: ideóque si sciens alienam possessionem apprehēdit, Publiciana eum experiri non posse, quia vsucapere non poterit. Nec quisquā putet hoc nos existimare, sufficere initio traditiōis ignorasse rem alienam, vt quis possit Publiciana experiri: sed oportere & tunc bonæ fidei emptorem esse.

B

Vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Bartolus.

VIII. CAIVS *lib.* VII. *ad edictum prouinciale.*

DE precio verò soluto nihil exprimitur. Vnde potest coniectura capi, quasi nec sententia prætoris ea sit, vt requiratur, an solutum sit precium.

Sufficit quòd res sit tradita, vel pro tradita habita. Item sufficit rem esse emptam, vel in re empta contineri. Bartolus.

IX. VLPIANVS *lib.* XVI. *ad edictum.*

C

SIue autē emptori res tradita est, siue emptoris hæredi, Publiciana competit actio. Si quis rem apud se depositam, vel sibi commodatam, vel pignori datam emerit: pro tradita erit accipienda, si post emptionem apud eum remansit. Sed & si præcessit traditio emptionem, idem erit dicendum. Item si hęreditatem emero, & traditam mihi rem hæreditariam petere velim: Neracius scribit esse Publicianam.

Pluribus ementibus ab eodem, potior est cui traditio facta est. si à diuersis, præfertur possessor. Bartolus.

Si duobus quis separatim vendiderit bona fide ementibus: videamus, quis magis Publiciana vti possit: vtrum is, cui priori res tradita est, an etiam qui tantùm emit. Et Iulianus libro septimo Digestorum scribit: vt, si-

quidem

quidem ab eodem non domino emerint, potior sit, cui priori res tradita est. quòd si à diuersis nó dominis: melior caussa sit possidentis, quàm petentis. quæ sententia vera est. Hæc actio in his, quæ vsucapi nó possunt (puta furtiuis vel seruo fugitiuo) locum non habent. Si seruus hæreditarius ante aditam hæreditatem rem aliquam emerit, & traditam sibi possessionem amiserit: rectè hæres Publiciana vtitur, quasi ipse possedisset. D

Municipes quoque, quorum seruo res tradita est, in eadem erunt conditione.

X. PAVLVS *lib.* XXI. *ad edictum.*

Siue peculiari nomine seruus emerit, siue non.

XI. VLPIANVS *lib.* XVI. *ad edictum.*

Si ego emi, & mea voluntate alij res sit tradita: imperator Seuerus rescripsit, Publicianam dandam. E

Pro seruitutibus realibus & personalibus habet locum Publiciana. Bart.

Si de vsufructu tradito agatur, Publiciana datur. Itéque de seruitutibus vrbanorum prædiorum, per traditionem constitutis, vel per patientiam: fortè si per domũ quis suam passus est aquæductum transduci. item rusticorum. nam & hîc traditionem & patientiam tuendam constat.

Vitium furtiuitatis impedit Publicianam in re furtiua, & partu eius apud furem & eius successorem vniuersalem: sed apud successorem singularem titulo oneroso vel lucratiuo non impeditur vsucapio, nec Publiciana in partu, & partu partus. Bar. F

Partus ancillæ furtiuæ, qui apud bonæ fidei emptoré conceptus est, per hanc actionem petendus est, etiam si ab eo, qui emit, possessus non est. Sed hæres furis hanc actionem non habet, quia viciorum defuncti successor est. Interdum tamen, licet furtiua mater distracta nó sit, sed donata ignoranti mihi, & ea apud me conceperit, & pepererit: competit mihi in partu Publiciana (vt Iulianus ait) si modo eo tempore, quo experiar, furtiuam matrem ignoré. Idem Iulianus generaliter dicit: ex qua caussa matrem vsucapere possem, si furtiua non esset: ex ea caussa partum me vsucapere, si furtiuam esse matrem ignorem. Ex omnibus igitur caussis Publicianã habeo

Idem

Idem est,& si ex partu partus est,& si non natus, sed post
A mortem matris exsecto ventre eius extractus est,vt Pōponius libro quadragesimo scripsit.

Quod de re empta est, vel rei empta accedit, potest peti per Publicianam. Bar.

Idem ait:ædibus emptis,si fuerint dirutæ, ea quæ ædificio accesserunt, huiusmodi actione petenda. Quod tamē per alluuionem fundo accedit:simile fit ei,cui accedit.& ideo si ipse fundus Publiciana peti non potest, nec hoc petetur.si autē potest: & pars, quæ per alluuionem accessit:& ita Pomponius scribit.Idem adiicit,& si statuæ emptæ partes recisæ petantur, similem actionem proficere. Idem scribit, si aream emero, & insulam in
B ea ædificauero,rectè me Publiciana vsurum. Item (inquit)si insulam emi, & ad aream ea peruenit, æquè potero vti.

Valet donatio facta à sponso sponsæ: & ideo est sufficiens caussa ad vsucapionem & Publicianam. Bart.

XII. PAVLVS *lib.* XXI. *ad edictum.*

CVm sponsus sponsæ seruum donasset, eumque in dotem accepisset ante vsucapionem:rescriptum est à diuo Pio,facto diuortio,restituendum esse seruum. nā valuisse donationem inter sponsum & sponsam. dabitur ergo & possidenti exceptio, & amissa possessione Publiciana:siue extraneus,siue donator possideat. Is,cui ex
C Trebelliano hæreditas restituta est: etiam si non fuerit nactus possessionem, vti potest Publiciana. In vectigalibus,& in aliis prædiis,quæ vsucapi non possunt, Publiciana competit: si fortè mihi bona fide tradita sunt. & idem est, si superficiariam insulam non à domino bona fide emero. Si res talis sit, vt eam lex aut constitutio alienari prohibeat, eo casu Publiciana non competit. quia his casibus prætor neminem tuetur, ne contra leges faciat.. Publiciana actione, etiam de infante seruo nondū anniculo,vti possumus. Et si pro parte quis rem repetere vult,Publiciana actione vti potest. Sed etiam is, qui momento possedit, rectè hac actione experitur.

Quacunque est iusta caussa adquirendi dominium, sufficit ad Publicia-

blicianam.Bar.

XIII. CAIVS *lib.* VII.*ad edictum prouinciale.* D

QVæcumque sunt iustæ caussæ adquirendarum rerum, si ex his caussis nacti res amiserimus: dabitur nobis earum rerum prosequendarum gratia hæc actio. Interdum quibusdam nec ex iustis possessionibus competit Publicianum iudicium. namque pignoraticiæ, & precariæ possessiones iustæ sunt: sed ex his non solet competere tale iudicium, illa scilicet ratione: quia neque creditor, neque is qui precariò rogauit, eo animo nanciscitur possessioné, vt credat se dominum esse. Qui à pupillo emit, probare debet tutore authore, & lege non prohibente, se emisse. Sed si deceptus falso tutore emerit, bona fide emisse videtur. E

Prohibitio ne quis faciat id ad quod tenetur, non impedit actũ geri.Bar.

XIIII. VLPIANVS *lib.* XVI.*ad edictum.*

PApinianus libro sexto quæstionum scribit. Si quis prohibuit, vel denunciauit ex caussa venditionis ré tradi, quæ ipsius voluntate à procuratore fuit distracta, & is nihilominus tradiderit: emptorem tuebitur prętor, siue possideat, siue petat rem. Sed quod iudicio empti procurator emptori præstiterit, contrario iudicio mandati consequitur. Potest enim fieri, vt emptori res auferatur ab eo, qui venire mandauit: quia per ignorantiam non est vsus exceptione, quam debuit opponere: veluti si auctor meus non ex voluntate tua vendidit. F

Per seruum fugitiuum adquiritur domino Publiciana.Bar.

XV. POMPONIVS *lib.* III.*ad Sabinum.*

SI seruus meus cùm in fuga sit, rem non à domino emat: Publiciana mihi competere debet, licet possessionem rei traditæ per eum nactus non sim.

XVI. *lib.* X.*Quæstionum* PAPINIANI.

PAulus notat. exceptio iusti dominij Publicianæ obiicienda est.

XVII. NERATIVS *lib.* III.*Membranarum.*

PVbliciana actio non ideo comparata est, vt res domino auferatur: eiusq́ue rei argumentum est, primò æquitas, deinde exceptio, si ea res possessoris non sit: sed

vt is,

vt is, qui bona fide emit, possessionemque ex ea caussa
A nactus est, potius rem habeat.

SI AGER VECTIGALIS VEL *emphiteuticarius petatur.* Tit. III.

De his agris Hyginus lib. de limitibus agrorum.

Emphyteuta vel habens fundum vectigalem etiam contra dominum, si nõ cessauerit in solutione pensionis, habet vtilem in rem. Bar.

PAVLVS *lib.* XXI. *ad edictum.*

AGri ciuitatum alij vectigales vocantur, alij non. Vectigales vocantur, qui in perpetuum locantur: id est hac lege, vt quamdiu pro his
B vectigal pendatur, tam diu neque ipsis, qui conduxerunt, neque his qui in locum eorũ successerunt, auferri eos liceat. Non vectigales sunt, qui ita colendi dantur, vt priuati agros nostros colendos dare solemus. Qui in perpetuum fundum fruẽdũ conduxerunt à municipibus, quãuis non efficiantur domini, tamen placuit competere eis in rem actionem aduersus quemuis possessorem: sed & aduersus ipsos municipes.

II. VLPIANVS *lib.* XVI. *ad edictum.*

ITa tamen, si vectigal soluant.

III. PAVLVS *lib.* XXI. *ad edictum.*

C IDem est, & si ad tempus habuerint conductum, neč tempus conductionis finitum sit.

DIGESTORVM SEV *pandectarum liber septimus.*

DE VSVFRVCTV ET QVEM *admodum quis utatur fruatur.* Tit. I.

PAVLVS *lib.* II. *ad Vitellium.*

Vsus-

VSVSFRVCTVS eſt ius alienis rebus vtendi, fruendi, ſalua rerum ſubſtantia. D

II. CELSVS *lib.* XVIII. *Digeſtorum.*

Eſt enim vſusfructus ius in corpore: quo ſublato, & ipſum tolli neceſſe eſt.

III. CAIVS *lib.* II. *Rerũ quotidianarũ ſiue aureorũ.*

Omnium prædiorum iure legati poteſt conſtitui vſusfructus, vt hæres iubeatur dare alicui vſumfructum. Dare autem intelligitur, ſi induxerit in fundum legatarium, eúmve patiatur vti frui. Et ſine teſtamento, ſi quis velit vſumfructum conſtituere, pactionibus & ſtipulationibus id efficere poteſt. E Conſtituitur auté vſusfructus, non tantùm in fundo & ædibus, verùm & in ſeruis & iumentis cæteriſque rebus. Ne tamen in vniuerſum inutiles eſſent proprietates, ſemper abſcedente vſufructu: placuit certis modis extingui vſumfructum, & ad proprietatem reuerti. Quibus autem modis vſusfructus conſtituitur & finitur, iiſdem modis etiam nudus vſus & conſtitui & finiri ſolet.

IIII. PAVLVS *lib.* II. *ad edictum.*

Vſusfructus in multis caſibus pars* dominij eſt: & exſtat, quod vel præſens, vel ex die dari poteſt.

**Iuxta hoc eſt q̃d Ci. ad Curium li. 7. epi. cenſet. id cuiuſq; eſſe ꝓpriũ, quo quiſq; vtitur & fruitur.*

V. PAPINIANVS *lib.* VI. *Quæſtionum.* F

Vſusfructus & ab initio pro parte indiuiſa vel diuiſa conſtitui, & legitimo tempore ſimiliter amitti, eademque ratione per legem Falcidiã minui poteſt.

Reo quoque promittendi defuncto, in partes hæreditarias vſusfructus obligatio diuiditur: & ſi ex communi prædio debeatur, vno ex ſociis defendente, fiet reſtitutio pro parte defendentis.

VI. CAIVS *lib.* VII. *ad edictum prouinciale.*

Vſusfructus pluribus modis conſtituitur: vt ecce, ſi legatus fuerit. Sed & proprietas deducto vſufructu legari poteſt, vt apud hæredem maneat vſusfructus. Conſtituitur ad hæc vſusfructus, & in iudicio familiæ Erciſcundę, & cõmuni diuidundo, ſi iudex alij proprietatem

tatem adiudicauerit, alij vsumfructum. Adquiritur autẽ
A nobis vsusfructus non solùm per nosmetipsos, sed etiam per eas quoque personas, quas iuri nostro subiectas habemus. Nihil autem vetat, seruo meo hærede instituto, legari proprietatem, deducto vsufructu.

VII. VLPIANVS *lib.* VI. *ad Sabinum.*

Vsufructu legato, omnis fructus rei ad fructuarium pertinet. Et aut soli, aut rei mobilis vsusfructus legatur. soli (vtputa ædium) vsufructu legato, quicunque rei reditus est, ad vsufructuarium pertinet: quæque obuentiones sunt ex ædificiis, ex areis, & cæteris, quæcũque ædium sunt. Vnde etiam mitti eum in possessionem vicinarum ædium, caussa damni infecti placuit: & iure
B dominij possessurum eas ædes, si perseueretur nõ caueri: nec quidquam amittere, finito vsufructu. Hac ratione Labeo scribit: nec ædificium licere domino, te inuito, altius tollere: sicuti nec areæ vsufructu legato, potest in area ædificium poni. quam sententiam puto esse verã. Quoniam igitur omnis fructus rei ad eum pertinet: reficere quoque eum ædes per arbitrũ cogi, Celsus libro decimooctauo Digestorum scribit. hactenus tamen, vt sarta tecta habeat: si qua tamẽ vetustate corruissent, neutiquam cogi reficere. Sed si hæres refecerit, passurum fructuarium vti. Vnde Celsus de modo sarta tecta habẽdi quærit, si quæ vetustate corruerunt, reficere non co-
C gatur. modica igitur refectio ad eum pertinet, quoniam & alia onera agnoscit, vsufructu legato: vtputa stipendium, vel tributum, vel solarium, vel alimenta ab eo relicta. & ita Marcellus libro decimotertio scribit. Cassi' quoque scribit libro octauo iuris ciuilis: fructuarium per arbitrum cogi reficere, quemadmodũ subserere cogitur arbores. & Aristo notat hæc vera esse. Neratius autem libro tertio Membranarum ait: non posse fructuarium prohiberi, quò minus reficiat: quia nec arare prohiberi possit, aut colere. & non solùm necessarias refectiones facturum, sed etiam voluptatis caussa tectoria, & pauimenta, & similia. neque autem ampliare, nec inutile detrahere posse:

VIII. IDEM *lib.* XL. *ad edictum.*

QVamuis melius repoſiturus ſit. quæ ſententia vera eſt. D

IX. IDEM *lib. XVII. ad Sabinum.*

SI fundi vſusfructus ſit legatus: quicquid in fundo naſcitur, quidquid inde percipi poteſt, ipſius fructuarij eſt: ſic tamen, vt boni viri arbitratu fruatur. Nam & Celſus libro decimooctauo Digeſtorum ſcribit, cogi eũ poſſe rectè colere. Et ſi apes in eo fundo ſint, eorum quoque vſusfructus ad eum pertinet. Sed & ſi lapidicinas habeat, & lapides cædere velit: vel cretifodinas habeat, vel arenas: omnib⁹ his vſurum Sabinus ait, quaſi bonum patremfamiliâs. quam ſententiam puto veram. Sed & ſi metalla poſt vſumfructum legatum ſint inuenta: cùm totius agri relinquatur vſusfructus, non partium, continentur legato. Huic vicinus tractatus eſt, E qui ſolet in eo, quod acceſſit, tractari. & placuit alluuionis quoque vſumfructum ad fructuarium pertinere. Sed ſi inſula iuxta fundũ in flumine nata ſit: eius vſumfructum ad fructuarium non pertinere, Pegaſus ſcribit, licet proprietati accedat. eſſe enim veluti proprium fundum, cuius vſusfructus ad te non pertineat. quæ ſententia non eſt ſine ratione. Nam vbi latitat incrementum, & vſusfructus augetur: vbi autem apparet ſeparatum, fructuario non accedit. Aucupiorum quoque, & venationum reditum Caſſius ait libro octauo iuris ciuilis, ad fructuarium pertinere. ergo & piſcationum. Seminarij etiam fructus puto ad fructuarium pertinere: ita vt F & vendere ei, & ſeminare liceat. debet tamen conferendi agri cauſſa ſeminarium paratum, ſemper renouare, quaſi inſtrumẽtũm agri: vt finito vſufructu domino reſtituatur. Inſtrumenti autem fructum habere debet, vt vendendi tamen facultatem non habeat. Nam & ſi fundi vſusfructus fuerit legatus: & ſit ager, vnde in fundum, cuius vſusfructus legatus eſt, ſolebat paterfamiliâs vel palo vti, vel ſalice, vel arundine: puto fructuarium hactenus vti poſſe, ne ex eo vendat: niſi fortè ſalicti eius, vel ſyluæ palaris, vel arundineti vſusfructus ſit legatus. tunc enim & vendere poteſt. Nam & Trebatius ſcribit: ſyluam cæduam & arundinetum poſſe fructuarium

rium cædere, sicut paterfamiliâs cædebat: & vendere, licet paterfamiliâs non solebat vendere, sed ipse
A vti. ad modum enim referendum est, non ad qualitaté vtendi.

X. POMPONIVS *lib. V. ad Sabinum.*

EX sylua cædua pedamenta & ramos ex arbore vsufructuarium sumpturum: ex non cædua, in vineam sumpturum, dum ne fundum deteriorem faciat.

XI. PAVLVS *lib. 11. ἐπιτομῶν. Alfeni Digestorum.*

ET si grandes arbores essent,* non posse cædere eas.

** Huc pertinent quæ Varro lib. 3. de re rustic. cap. 4.*

XII. VLPIANVS *lib. XVII. ad edictum.*

ARboribus euulsis, vel vi ventorum deiectis, vsque ad vsum suum & villæ posse vsufructuarium ferre,
B Labeo ait: nec materia eum pro ligno vsurum, si habet, vnde vtatur ligno. quam sententiam puto veram. Alioquin & si totus ager hunc casum passus sit, omnes arbores auferet vsufructuarius. Materiam tamen ipsum succidere, quantum ad villæ refectionem satis sit, putat posse: quemadmodum calcem (inquit) coquere, vel arenam fodere, aliúdve quid ædificio necessarium sumere potest. Nauis vsufructu legato nauigatum mittédam puto, licet naufragij periculum immineat. nauis etenim ad hoc paratur, vt nauigetur. *V*sufructuarius vel ipse frui ea re, vel locare, vel vendere, vel alij fruendam concedere potest. nam & qui locat, vtitur, & qui ven-
C dit. sed & si alij precariò concedat, vel donet: puto eum vti, atque ideò retinere vsumfructum: & hoc Cassius & Pegasus responderunt, & Pomponius libro quinto ex Sabino probat. Non solùm autem si ego locauero, retineo vsumfructum: sed & si alius negocium meum gerens locauerit vsumfructum: Iulianus libro tricesimo quinto scripsit, retinere me vsumfructum. Quid tamen, si non locauero, sed absente & ignorante me, negocium meum gerens, vtatur quis & fruatur? nihilominus retineo vsumfructum: quod & Pomponius libro quinto probat per hoc, quòd negociorum gestorum actionem adquisiui.

Per vnum actum singularem retinetur quasi possessio totius iuris in vniuerso. Bart.

De illo Pomponius dubitat: ſi fugitiuus nondum ab aliquo poſſeſſus, in quo mihi vſusfructus eſt, ſtipuletur aliquid ex re mea, vel per traditionem accipiat: an per hoc ipſum quaſi vtar, retineam vſumfructum. magiſque admittit retinere. nam ſæpe & præſentibus ſeruis, licet non vtamur, tamen vſumfructum retinemus, vtputa ægrotante ſeruo, vel infante, cuius operæ nullæ ſunt, vel defectæ ſenectutis homine. Nam & ſi agrum aremus: licet tam ſterilis ſit, vt nullus fructus naſcatur, retinemus vſumfructum. Iulianus tamen libro triceſimo quinto digeſtorum ſcribit: etiam ſi non ſtipuletur quid ſeruus fugitiuus, retineri vſumfructum. nam qua ratione (inquit) retinetur à proprietario poſſeſſio, etiam ſi in fuga ſeru° ſit: pari ratione etiam vſusfructus retinetur. Idem tractat, quid ſi quis poſſeſſionem eius nactus ſit? an quemadmodum à proprietario poſſideri deſinit, ita etiam vſusfructus amittatur? Et primò quidem ait, poſſe dici amitti vſumfructum: ſed licet amittatur, tamen dicendũ, quod intra conſtitutum tempus ex re fructuarij ſtipulatus eſt, fructuario adquiri. Per quod colligi poſſe dicit: ne quidem ſi poſſideatur ab alio, amitti vſumfructũ, ſi modò mihi aliquid ſtipuletur. paruiq́ue referre, ab hærede poſſideatur, vel ab eo, cui hæreditas vendita, vel cui proprietas legata ſit: an à prędone. ſufficere enim ad retinendum vſumfructum, volentis retinere affectum, & ſeruum nomine fructuarij aliquid facere. quæ ſententia habet rationem. D E F

Fructus non efficiuntur fructuarii, niſi ab eo vel ab alio eius nomine ſeparentur à terra: & ideo actiones competentes domino, ei nõ competunt. Bar.

Iulianus libro triceſimo quinto tractat. Si fur decerpſerit, vel deſecuerit fructus maturos pendentes, cui condictione teneatur: domino fundi, an fructuario? & putat, quoniam fructus non fiunt fructuarij, niſi ab eo percipiantur: ſi ab alio terra ſeparentur, magis proprietario condictionem competere, fructuario autem furti actionem: quoniam interfuit eius fructus non eſſe ablatos. Marcellus autem mouetur eo, quòd ſi poſtea fruct° iſtos nactus fuerit fructuarius, fortaſſis fiant eius. nam ſi fiunt:

ſi fiunt: qua ratione hoc euenit, niſi ea, vt interim fiant
A proprietarij, mox adprehenſi fructuarij efficiantur? exẽplo rei ſub conditione legatæ, quæ interim hæredis eſt: exiſtente autem conditione ad legatarium tranſit. verũ eſt enim condictionem competere proprietario. Cùm autem in pendenti eſt dominium (vt ipſe Iulianus ait) in fœtu, qui ſubmittitur: & in eo, quod ſeruus fructuarius per traditionem accepit, nondum quidem precio ſoluto, ſed tamen ab eo ſatisfacto: dicendum eſt, condictionem pendere magis, quàm in pendenti eſſe dominium.

XIII. IDEM *lib.* XVIII. *ad Sabinum.*

SI cuius rei vſusfructus legatus fuerit: poteſt domin⁹
B in ea re ſatisdationem deſiderare, vt officio iudicis hoc fiat. Nam ſicuti debet fructuari⁹ vti frui, ita & proprietatis dominus ſecurus eſſe de proprietate. Hoc autẽ ad omnem vſumfructum pertinere, Iulianus libro triceſimoquinto digeſtorum probat. nec prius dandam actionem vſufructuario, quàm ſatiſdederit, ſe boni viri arbitratu vſurum fruiturum. Sed & ſi plures ſint, à quibus vſusfructus relictus eſt: ſingulis ſatiſdari oportere. Cùm igitur de vſufructu agitur, non ſolùm quod factum eſt, arbitratur: ſed etiam in futurũ, quemadmodum vti frui debeat. De præteritis autem damnis fructuari⁹ etiã lege Aquilia tenetur, & interdicto QVOD
C VI AVT CLAM, vt Iulianus ait. nam fructuarium quoque teneri his actionibus, nec non furti, certum eſt: ſicut quemlibet alium, qui in aliena re tale quid commiſerit. Denique conſultus, quòd bonum ſit actionem prætorem polliceri, cùm competat ex lege Aquilia? reſpondit, quia ſunt caſus, in quibus ceſſat Aquiliæ actio: & ideo iudicem dari, vt eius arbitratu vtatur fruatur. Quia qui agrum non proſcindit, qui vites non ſubſerit, item aquarum ductus corrumpi patitur: lege Aquilia nõ tenetur. Eadem & in vſuario dicenda ſunt.

Quando inter duos eſt contentio de vna poſſeßione, iudex poteſt prohibere vtrique parti ingreſſum, ne veniant ad arma & rixas. Bartolus.

Sed ſi inter duos fructuarios ſit controuerſia: Iulia-

 nus libro

nus libro tricesimoquinto digestorum scribit, æquissimum esse, quasi communi diuidundo iudicio iudicium dari: vel stipulatione inter se eos cauere, qualiter fruatur. Cur enim (inquit Iulianus) ad arma & rixam procedere patiatur prætor, quos potest iurisdictione sua cōponere? quam sententiam Celsus quoque libro octauo decimo digestorum probat, & ego puto veram. Fructuarius caussam proprietatis deteriorem facere nō debet, meliorem facere potest. Ita si fundi vsusfructus legatus est: non debet, neque arbores frugiferas excidere, neque villam diruere, nec quidquam facere in perniciem proprietatis. Et si fortè voluptarium fuit prædium, viridiaria, vel gestationes, vel deambulationes arboribus infructuosis opacas atque amœnas habens: non debebit deiicere, vt fortè hortos holitorios faciat, vel aliud quid, quod ad reditum spectat. Inde est quæsitum, an lapidicinas, vel cretifodinas, vel arenifodinas ipse instituere possit? Et puto, etiā ipsum instituere posse, si nō agri partem necessariam huic rei occupet. Proinde si venas lapidicinarum: & metallorum quoque poterit inquirere. Ergo & auri, & argenti, & sulfuris, & æris, & ferri, & cęterorum fodinas: vel quas paterfamiliâs instituit, exercere poterit: vel ipse instituere, si nihil agriculturæ nocebit. Et si fortè in hoc, quod instituit, pl⁹ reditus sit, quàm in vineis, vel arbustis, vel oliuetis, quæ fuerunt: forsitan etiam hæc deiicere poterit. siquidem permittitur ei meliorare proprietatē. Si tamen quæ instituit vsufructuarius, aut cœlum corrumpant agri, aut etiam magnum apparatū sint desideratura (opificū fortè vel legulorum) quem nō possit sustinere proprietarius: non videbitur boni viri arbitratu frui. Sed ne ædificiū quidem positurum in fundo, nisi quod ad fructum percipiendum necessarium sit. Sed si ædiū vsusfructus legatus sit, Nerua filius & lumina immittere eū posse ait. sed & colores, & picturas, & marmora poterit, & sigilla, & si quid ad domus ornatum pertinet. Sed neque diętas transformare, vel coniungere, casúe separare ei permittitur: vel aditus, posticasúe vertere, vel refugia aperire, vel atrium mutare, vel viridiaria ad alium modū cōuertere,

tere.excolere enim quod inuenit poteſt, qualitate ædiũ
A nõ mutata. Inde Nerua eũ,cui ędiũ vſusfructus legatus ſit,altius tollere non poſſe ait, quamuis lumina non obſtruētur:quia tectum magis turbatur. quod Labeo etiam in proprietatis domino ſcribit. idē Nerua nec obſtruere eum poſſe. Item ſi domus vſusfructus legatus ſit,meritoria illic facere fructuarius non debet, nec per cœnacula diuidere domũ.atquin locare poteſt.ſed oportebit quaſi domũ locare. nec balineum ibi faciendũ eſt. Quod autē dicitur meritoria non facturũ, accipe quæ diuerſoria,vel fullonica vulgò appellãtur. Ergo & ſi balineum ſit in domo,vſibus dominicis ſolitũ vacare,in vltima parte domus,vel inter diætas amænas:nõ rectè,nec
B ex boni viri arbitratu facturũ,ſi id locare cœperit,vt publicè lauet:nõ magis, quàm ſi domũ ad ſtationem iumētorum locauerit: aut ſi ſtabulum,quod erat domi iumētis & carruchis vacans,piſtrino locauerit:

XIIII. PAVLVS *lib.* III. *ad Sabinum.*

LIcet multò minus ex ea re fructuum percipiat.

XV. VLPIANVS *lib.* XVIII. *ad Sabinum.*

SEd & ſi quid inædificauerit: poſtea neq; eum tollere hoc,neq; refigere poſſe: planè refixa poſſe cũ vindicare. Mancipiorũ quoq; vſufructu legato, non debet abuti,ſed ſecundũ conditionem† eorũ vti. Nam ſi librarium rus mittat,& qualum, & calcem portare cogat:
C vel hiſtrionem balneatorem faciat: vel de ſymphoniaco atrienſem,vel de palæſtra latrinis extergendis præponat: abuti videbitur proprietate. Sufficienter autem alere & veſtire debet, ſecundum ordinem & dignitatem mancipiorum Et generaliter Labeo ait: in omnibus rebus mobilibus,modum eum tenere debere, ne ſua feritate vel ſæuitia ea corrumpat. alioquin etiã lege Aquilia eum conueniri. Et ſi veſtimentorum vſusfructus legatus ſit: non quemadmodum ſi quantitatis vſusfructus legetur, dicendum eſt,ita vti eum debere, ne abutatur: nec tamen locaturum, quia vir bonus ita non vteretur. Proinde & ſi ſcenicæ veſtis vſusfructus legetur(velut aulæi vel alteri⁹ apparatus)alibi, quàm in ſcena, non vtetur.Sed an & locare poſſit, videndum eſt. &

†Eãdē cõditiõis ſeruorũ differētiã tradit Ariſtote.lib.1. Politi. capite.4.

puto locaturum.& licet testator commodare,non locare fuerit solitus: tamen ipsum fructuarium locaturũ, tam scenicam, quàm funebrem vestem. Proprietatis domi- D
nus non debebit impedire fructuarium vtentem, ne deteriorem eius conditionem faciat. De quibusdam planè dubitatur,si eum vti prohibeat,an iure id faciat: vtputa doliis,si fortè fundi vsusfructus sit legatus.& putãt quidam,& si defossa sint,vti prohibẽdum. idem & in seriis, & cupis, & cadis, & amphoris putant. idem & in specularibus,si domus vsusfructus legetur.Sed ego puto(nisi sit contraria voluntas)etiam instrumentum fundi, vel domus cõtineri. Sed nec seruitutem imponere fundo potest proprietarius, nec amittere seruitutem. Adquirere planè seruitutem eum posse, etiam inuito fructuario, E
Iulianus scripsit. Quibus consequenter fructuarius quidem adquirere fundo seruitutem non potest, retinere autem potest. Et si fortè fuerint non vtente fructuario amissæ,hoc quoque nomine tenebitur. Proprietatis dominus, ne quidem consentiente fructuario, seruitutem imponere potest.

XVI. PAVLVS *lib.* III. *ad Sabinum.*

NIsi qua deterior conditio fructuarij non fiat: veluti si talem seruitutem vicino concesserit,ius sibi nõ esse altius tollere.

XVII. VLPIANVS *lib.* XVIII. *ad Sabinum.*

LOcum autẽ religiosum facere potest, cõsentiẽte vsufructuario:& hoc verũ, fauore religionis. sed in- F
terdum & solus proprietatis dominus locũ religiosum facere potest. finge enim eum testatorem inferre, cùm non esset tam opportunè,vbi sepeliretur. Ex eo,ne deteriorem conditionem fructuarij faciat proprietarius, solet quæri,an seruum dominus coërcere possit?Et Aristo apud Cassium probat, plenissimam eum coërcitionem habere,si modò sine dolo malo faciat: quamuis vsufructuarius ne contrariis quidem ministeriis, aut inusitatis artificium eius corrumpere possit, nec seruũ cicatricibus deformare. Proprietarius autem & seruum noxæ dedere poterit,si hoc sine dolo malo faciat: quoniam noxæ deditio iure non perimit vsumfructum,non

magis,

magis, quàm vſucapio proprietatis, quæ poſt conſtitu-
A tum vſumfructum cótingit. Debebit planè denegari vſusfructus perſecutio: ſi ei, qui noxæ accepit, litis æſtimatio non offeratur à fructuario. Si quis ſeruum occiderit: vtilem actionem exemplo Aquiliæ fructuario dandam, nunquam dubitaui.

XVIII. PAVLVS *lib.* III. *ad Sabinum.*

AGri vſufructu legato, in locum demortuarum arborum aliæ ſubſtituendæ ſunt, & priores ad fructuarium pertinent.

Verba per modum conditionis prolata inducunt diſpoſitionem, quando diſpoſitio eſt ſibi annexa: aliàs non ſortiretur effectum: & tunc appellatione vſusfructus continetur proprietas. Bartolus.

B XIX. POMPONIVS *lib.* V. *ad Sabinum.*

PRoculus putat inſulam poſſe legari, vt ei ſeruitus imponatur, quæ alteri inſulæ hæreditariæ debeatur, hoc modo: SI ILLE HAEREDI MEO PROMISERIT, PER SE NON FORE, QVO ALTIVS EA AEDIFICIA TOLLANTVR: TVM EORVM AEDIFICIORVM VSVMFRVCTVM DO LEGO. vel ſic, AEDIVM ILLARVM, QVO AD ALTIVS, QVAM NVNC SVNT, AEDIFICATAE NON ERVNT: ILLI VSVMFRVCTVM DO LEGO. Si arbores vento deiectas dominus non tollat, per quod incómodior ſit vſusfructus, vel iter: ſuis actionibus vſufructuario cum eo
C experiundum.

Qui legat fructus annuos, videtur legare vſumfructum formalem. Bartolus.

XX. VLPIANVS *lib.* XVIII. *ad Sabinum.*

SI quis ita legauit, FRVCTVS ANNVOS FVNDI CORNELIANI CAIO MAEVIO DO LEGO: perinde accipi debet hic ſermo, ac ſi vſusfructus fundi legatus eſſet.

XXI. IDEM *lib.* XVII. *ad edictum.*

SI ſerui vſusfructus legatus ſit, quidquid opera ſua adquirit, vel ex re fructuarij, ad eum pertinet: ſiue ſtipuletur, ſiue poſſeſſio ei tradita fuerit. Si verò hæres inſtitutus ſit, vel legatum acceperit: Labeo diſtinguit,

cuius

cuius gratia vel hæres instituitur, vel legatum accipit.

XXII. IDEM *lib.* XVIII. *ad Sabinum.* D

SEd & si quid donetur seruo, in quo vsusfructus alterius est: quæritur, quid fieri oporteat? Et in omnibus istis, si quid contemplatione fructuarij ei relictum vel donatum est, ipsi adquiret: sin verò proprietarij, siue ipsius serui, adquiritur domino. nec distinguimus, vnde cognitum eum, & cuius merito habuit, qui donauit, vel reliquit. Sed & si conditionis implendæ caussa quid seruus fructuarius consequatur, & constiterit contemplatione fructuarij eam conditionem adscriptam: dicendum est, ipsi adquiri. nam & in mortis caussa donatione idem dicendum est.

XXIII. IDEM *lib.* XVII. *ad edictum.* E

SEd & sicuti stipulando fructuario adquirit: ita etiam paciscēdo eum adquirere exceptionem fructuario, Iulianus libro tricesimoquinto digestorū scribit. Itemque si acceptum rogauerit, liberationem ei parere.

Quoniam autem diximus, quod ex operis adquiritur, ad fructuarium pertinere: sciendum est, etiam cogendum eum operari. etenim modicam quoque castigationem fructuario competere, Sabinus respondit, & Cassius libro octauo iuris ciuilis scripsit: vt neque torqueat, neque flagellis cædat.

XXIIII. PAVLVS *lib.* X. *ad Sabinum.*

SI quis donaturus vsufructuario, spoponderit seruo, in quo vsumfructum habet, stipulanti: ipsi vsufructuario obligatur. quia vt ei seruus talis stipulari possit, vsitatum est. F

XXV. VLPIANVS *lib.* XVI. *ad Sabinum.*

SEd & si quis stipuletur sibi, aut Sticho seruo fructuarij donandi caussa, dum vult fructuario præstitum: dicendum est, si ei soluatur, fructuario adquiri.

Vbi pendet caussa, pendet caussatum.

Interdum tamen in pendenti est, cui adquirat iste fructuarius seruus. vtputà seruum emit, & per traditionem accepit, necdum preciū numerauit, sed tantūmodo pro eo satisfecit. interim cuius sit, quæritur. Et Iulianus libro tricesimoquinto digestorum scripsit; in pēdenti esse dominium

miniũ eius & numerationẽ precij declaraturã, cuius ſit.
A Nam ſi ex re fructuarij: retro fructuarij fuiſſe. Idemque & ſi fortè ſtipulatus ſit ſeruus, numeraturus pecuniam. nam numeratio declarabit, cui ſit adquiſita ſtipulatio. ergo oſtendimus in pendenti eſſe dominiũ, donec precium numeretur. Quid ergo ſi amiſſo vſufructu, tunc precium numeretur? Iulianusque libro triceſimoquinto digeſtorum ſcripſit, adhuc intereſſe, vnde ſit precium numeratum. Marcellus verò & Martianus, amiſſo vſufructu, iam putant dominium adquiſitum proprietatis domino. Sed Iuliani ſententia humanior eſt. Quòd ſi ex re vtriuſq; precium fuerit ſolutum: ad vtrumq; dominiũ pertinere, Iulianus ſcribit: ſcilicet pro rata ſoluti precij.
B Quid tamen, ſi fortè ſimul ſoluerit ex re vtriuſque? vtputa decem nomine precij debebat, & dena ſoluit ex re ſingulorũ: cui magis ſeruus adquiret? Si numeratione ſoluit: intererit, cuius priores numos ſoluat. nã quos poſtea ſoluerit: aut vindicabit, aut ſi fuerint numi conſumpti, ad condictionem pertinent. ſi verò ſimul in ſacculo ſoluit: nihil fecit accipientis. & ideo nondum adquiſiuiſſe cuiquã dominium videtur: quia cum precio plus ſoluit ſeruus, non facit numos accipientis.

Pro tẽpore quo durat vſusfructus in effectu, quæritur fructuario: pro tempore quo non durat in effectu, proprietario. Albe. de Ro.

. Si operas ſuas iſte ſeruus locauit, & in annos ſingulos
C certum aliquid ſtipuletur: eorũ quidem annorum ſtipulatio, quibus vſusfructus manſit, adquiretur fructuario: ſequentium verò ſtipulatio ad proprietariũ tranſit, vel ſemel adquiſita fructuario: quãuis non ſoleat ſtipulatio ſemel cui quæſita ad alium tranſire, niſi ad hæredẽ, vel adrogatorem. Proinde ſi fortè vſusfructus in annos ſingulos fuit legatus, & iſte ſeruus operas ſuas locauit, & ſtipulatus eſt, vt ſupra ſcriptum eſt: prout capitis deminutione amiſſus vſusfructus, mox reſtituitur, & ambulabit ſtipulatio, profectaque ad hæredem redibit ad fructuarium: quæſtionis eſt, an id, quod adquiri fructuario non poteſt, proprietario quæratur? Et Iulianus quidem libro triceſimoquinto Digeſtorum ſcribit: quod fructuario adquiri non poteſt, proprietario quæri. Denique

nique ſcribit:eum, qui ex re fructuarij ſtipuletur nominatim proprietario,vel iuſſu eius, ipſi adquirere. Cõtrà autem nihil agi, ſi nõ ex re fructuarij, nec ex operis ſuis fructuario ſtipuletur. Seruus fructuarius ſi vſumfructum dari in ſe ſtipuletur,aut ſine nomine, aut nominatim:proprietario adquirit, exemplo ſerui cõmunis: qui ſtipulando rem alteri ex dominis, cuius res eſt, nihil agit(quoniam rem ſuam ſtipulando quis nihil agit)alteri ſtipulando adquirit ſolidum. Idem Iulianus eodem libro ſcripſit:ſi ſeruo fructuari⁹ operas eius locauerat, nihil agi.nam & ſi ex re mea(inquit)à me ſtipulatus ſit,nihil agit:non magis, quàm ſeruus alienus bona fide mihi ſeruiens, idem agendo domino quicquã adquirit.Simili modo ait:ne quidẽ,ſi rem meam à me fructuario conducat,me nõ obligauit.Et regulariter definit:quod quis ab alio ſtipulando mihi adquirit, id à me ſtipulando nihil agit: niſi fortè (inquit) nominatim domino ſuo à me ſtipuletur vel cõducat. Si duos fructuarios ponas,vt ex alterius re ſeruus ſit ſtipulatus: quæritur, vtrum totum, an pro parte,qua habet vſumfructum,ei quæratur? Nam & in duobus bonæ fidei poſſeſſoribus hoc idem eſt apud Scæuolam agitatum libro ſecundo Quæſtionum. Et ait, vulgò creditum, rationémq; hoc facere: ſi ex re alterius ſtipuletur, partem ei dumtaxat quæri, partem domino. quod ſi nominatim ſit ſtipulatus : nec dubitari debere, quin adiecto nomine ſolidum ei quæratur.Idémque ait, & ſi iuſſu eius ſtipuletur : quoniam iuſſum pro nomine accipimus. Idem & in fructuariis erit dicendum:vt quo caſu non totum adquiritur fructuario, proprietatis domino ſit quæſitum:quoniã ex re fructuarij quęri ei poſſe oſtendimus. Quod autem diximus,ex re fructuarij vel operis poſſe adquiri: vtrum tũc locum habeat,quoties iure legati vſusfructus ſit conſtitutus:an & ſi per traditionem, vel ſtipulationem, vel alium quem modum: videndum eſt. Et vera eſt Pegaſi ſententia, quam & Iulianus libro decimo ſexto ſecutus eſt, omnia fructuario adquiri.

D

E

F

Pro rata temporis quoad vſusfructus durauit: diuiditur emolumentum ſtipulationis inter proprietarium & fructuarium. Bal.

XXVI.

XXVI. PAVLVS *lib.* III. *ad Sabinum.*

A SI operas suas locauerit seruus fructuarius, & imperfecto tempore locationis vsusfructus interierit: quod superest, ad proprietarium pertinebit. Sed & si ab initio certam summam propter operas stipulatus fuerit: capite minuto eo, idem dicendum est.

Fructus pendentes die usufructus legati cedente spectant ad fructuarium. Albe.

XXVII. VLPIANVS *lib.* XVIII. *ad Sabinum.*

SI pendentes fructus iam maturos reliquerit testator: fructuarius eos feret, si die legati cedente, adhuc pendentes deprehenderit. nam exstantes fructus ad vsufructuarium pertinent. Si dominus solitus fuerit tabernis

B ad merces suas vti, vel ad negociationem: vtique permittetur fructuario locare eas vel ad alias merces: & istud solum obseruandum, ne vel abutatur vsufructu, vel contumeliosè iniurioséve vtatur. Si serui vsusfructus legatus est, cuius testator quasi ministerio vacuo vtebatur: si eum disciplinis vel arte instituerit vsufructuarius, arte ei⁹ vel peritia vtetur. Si quid cloacarij nomine debeatur, vel si quid ob formã aquæductus, qui per agrum transit, pendatur: ad onus fructuarij pertinebit. sed & si quid ad collationem viç: puto hoc quoque fructuarium subiturum. Ergo & quod ob trãsitum exercitus confertur ex fructibus, sed & si quid municipio debetur (nam

C solent possessores certã partem fructuum municipio viliore precio addicere, solent & fisco functiones præstare) hæc onera ad fructuarium pertinebunt.

Vsufructuarius potest vti re secundum conditionẽ & possibilitatem rei: & ita vt non incidatur in pœnam per proprietarium impositam. Bartolus.

Si qua seruitus imposita est fundo: necesse habebit fructuarius sustinere. vnde & si stipulatione seruitus debeatur, idem puto dicendum. Sed & si seruus sub pœna emptus sit, interdictis certis quibusdam: an si vsusfructus eius fuerit legatus, obseruare hæc fructuarius debeat? & puto debere eum obseruare: alioquin nõ boni viri arbitratu vtitur fruitur.

In numismatibus potest constitui verus vsusfructus: quia vsu non consumuntur

conſumuntur. Albe. de Ro.

XXVIII. POMPONIVS *lib.* V. *ad Sabinum.* D

NOmiſmatum aureorum vel argenteorum veterum, quibus pro gemmis vti ſolent, vſusfructus legari poteſt.

XXIX. VLPIANVS *lib.* XVIII. *ad Sabinum.*

OMnium bonorum vſumfructum poſſe legari, niſi excedat dodrantis æſtimationem, Celſus libro tricesimo ſecundo, & Iulianus libro ſexageſimoprimo ſcribunt. & eſt verius.

XXX. PAVLVS *lib.* III. *ad Sabinum.*

SI is, qui binas ædes habeat, alterarum vſumfructum legauerit: poſſe hæredem, Marcellus ſcribit, alteras altius tollendo obſcurare luminibus: quoniam habitari E poteſt etiam obſcuratis ædibus. Quod vſque adeò temperãdum eſt, vt non in totum ædes obſcurentur: ſed modicum lumen, quod habitantibus ſufficit, habeant.

XXXI. IDEM *lib.* V. *ad Sabinum.*

EX re fructuarij etiam illud intelligitur, quod ei fructuarius donauerit, conceſſerítve, vel ex adminiſtratione rerum eius compendij ſeruus fecerit.

Cap. 9. de ſeruit. vrban. præ.

XXXII. POMPONIVS *lib.* XXXIII. *ad Sabinum.*

SI quis vnas ædes, quas ſolas habet, vel fundũ tradit: excipere poteſt id, quod perſonę, non prędij eſt: veluti vſum & vſumfructũ. Sed & ſi excipiat, vt paſcere ſibi, vel inhabitare liceat, valet exceptio: cũ ex multis ſaltib' F paſtione fructus percipiatur. Et habitationis exceptione, ſiue temporalis, ſiue vſque ad mortem eius, qui excipit, vſus videtur exceptus.

XXXIII. PAPINIANVS *lib.* XVIII. *Quæſtionum.*

SI Titio fructus, Mæuio proprietas legata ſit, & viuo teſtatore decedat Titius: nihil apud ſcriptum hæredem relinquetur, & id Neratius quoque reſpondit. Vſumfructum in quibuſdam caſibus, non *proprietatis effectum obtinere conuenit. vnde ſi fructus vel fundi portio petatur, & abſolutione ſecuta, poſtea pars altera, quæ adcreuit, vindicetur: in litem quidé * ꝓprietatis, rei iudicatæ exceptionem obſtare: in fructus verò, non obſtare, ſcribit Iulianus: quoniã portio fundi (velut alluuio) portioni

**al. partis*

portioni, perſonæ vſusfructus adcreſceret.

A *Ordo ſcripturæ deſignat ordinem voluntatis, & ordinem proceſſus.* Bartolus.

XXXIIII. IVLIANVS *lib.* XXXV. *Digeſtorum.*

QVoties duobus vſusfructus legatur; ita vt alternis annis vtantur fruantur: ſi quidem ita legatus fuerit, TITIO ET MAEVIO: poteſt dici prius Titio, deinde Mæuio legatum datum. Si verò duo eiuſdem nominis fuerint, & ita ſcriptũ fuerit, TITIIS VSVMFRVCTVM ALTERNIS ANNIS DO LEGO: niſi conſenſerint, vter eorum prior vtatur, inuicẽ ſe impedient. Quòd ſi Titius eo anno, quo frueretur, proprietatem accepiſſet: interim legatum nõ habebit, ſed ad B Mæuium alternis annis vſusfructus pertinebit. & ſi Titius proprietatem alienaſſet, habebit eum vſumfructum: quia & ſi ſub cõditione vſusfructus mihi legatus fuerit, & interim proprietatem ab hærede accepero; pendente autem cõditione eandem alienauero, ad legatum admittar. Si colono tuo vſumfructũ fundi legaueris: vſumfructum vindicabit; & cum hærede tuo aget ex conducto: & cõſequetur, vt neque mercedes præſtet, & impenſas, quas in culturam fecerat, recipiat. Vniuerſorum bonorum, an ſingularium rerum vſusfructus legetur, hactenus intereſſe puto: quòd ſi ædes incẽſæ fuerint, vſusfructus ædium ſpecialiter legatus peti nõ poteſt: bonorum autẽ vſufructu legato, areæ vſusfruct⁹ peti poterit. C quoniam qui bonorũ ſuorũ vſumfructum legat: non ſolùm eorum, quæ in ſpecie ſunt, ſed & ſubſtantiæ omnis vſumfructum legare videtur. in ſubſtantia autem bonorum etiam area eſt.

Hæres tenetur de mora & tarditate aditionis. Bartolus.

XXXV. IDEM *lib.* II. *ad Vrſeium ferocem.*

SI vſusfructus legatus eſt, & hęres ſcriptus ob hoc tardius adierit, vt tardius ad legatum perueniretur: hoc quoq; præſtabitur, vt Sabino placuit. Vſusfructus ſerui mihi legatus eſt: iſque, cùm ego vti frui deſiiſſem, liber eſſe iuſſus eſt. deinde ego ab hærede æſtimationem legati tuli. nihilo magis eum liberum fore, Sabinus reſpõdit. Námq; videri me vtifrui homine, pro quo aliquã rem

rem habeam. Cōditionem autem libertatis eius eandem manere: ita vt mortis meæ, aut capitis deminutionis interuentu liber futurus ſit. D

XXXVI. AFRICANVS *lib.* V. *Quæſtionum.*

QVi vſumfructum areæ legauerat, inſulam ibi ædificauit. ea viuo eo décidit vel deuſta eſt. vſumfructū deberi exiſtimauit. Contrà autem non idem iuris eſſe, ſi inſulæ vſufructu legato, area deinde inſula facta ſit. Idémque eſſe, & ſi ſcyphorum vſusfructus legatus ſit, deinde maſſa facta, & iterū ſcyphi. licet enim priſtina qualitas ſcyphorum reſtituta ſit: non tamen illos eſſe, quorum vſusfructus legatus ſit.

Vſusfructus exceptio finitur cum perſona excipientis: niſi tacitè vel expreſſè ſit actum quod exceptio tranſeat ad hæredem. Bal. E

Stipulatus ſum de Titio fundum Cornelianum, detracto vſufructu. Titius deceſſit. quæſitum eſt, quid mihi hæredem eius præſtare oporteat? Reſpondit referre, qua mente vſusfructus exceptus ſit. Nam ſiquidem hoc actū eſt, vt in cuiuſlibet perſona vſusfructus conſtitueretur: ſolam proprietatem hæredem daturum. ſin autem id auctum ſit, vt promiſſori dumtaxat vſusfructus reciperetur: plenā proprietatem hæredē eius daturum. Hoc ita ſe habere, manifeſtius in cauſſa legatorum apparere. etenim ſi hæres, à quo detracto vſufructu proprietas legata ſit, priuſquā ex teſtamento ageretur, deceſſerit: minus dubitandum, quin hæres plenam proprietatem ſit debiturus. Idémque & ſi ſub cōditione ſimiliter legatum fuerit, & pendente conditione hæres deceſſit. F

In legato vſufructu poſt mortē ſuccedit obligatio ad intereſſe. Bal.

Vſusfructus ſerui Titio legatus eſt: & cùm per hæredem ſtaret, quò minus præſtaretur, ſeruus mortuus eſt. aliud dici non poſſe ait, quàm in id obligatum eſſe hæredem, quanti legatarij interſit, moram factam non eſſe: vt ſcilicet ex eo tépore in diem, in quo ſeruus ſit mortuus, vſusfructus æſtimetur. Cui illud quoque cōſequens ſit: vt ſi Titius ipſe moriatur, ſimiliter ex eo tempore, quo mora facta ſit, in diem mortis æſtimatio vſusfructus hęredi eius præſtetur.

XXXVII. IDEM *lib.* VII. *Quæſtionum.*

Quæſitum

A QVæſitum eſt: ſi cùm in annos decem proximos vſumfructum de te dari ſtipulatus eſſem, per te ſtetit, quominus dares, & quinquennium tranſiit: quid iuris ſit? Item ſi Stichi decem annorum proximorum operas de te dari ſtipulatus ſim, & ſimiliter quinquennium præteriit? Reſpondit, eius temporis vſumfructum, & operas rectè peti: quod per te factum eſſet, quo minus darentur.

XXXVIII. MARTIANVS. *lib.* III. *Inſtitutionum.*

NOn vtitur vſufructuarius, ſi nec ipſe vtatur, nec nomine eius alius: puta qui emit, vel qui cõduxit, vel cui donatus eſt, vel qui negocium eius geſſit. Planè illud intereſt, quòd ſi vẽdidero vſumfructum, etiam ſi emptor B non vtatur, videor vſumfructum retinere.

XXXIX. CAIVS. *lib.* VII. *ad edictum prouinciale.*

QVia qui precio fruitur, nõ minus habere intelligitur, quàm qui principali re vtitur fruitur.

XL. MARTIANVS *lib.* III. *Inſtitutionum.*

QVòd ſi donauero, nõ aliâs retineo, niſi ſi ille vtatur.

XLI. IDEM *eodem libro.*

STatuæ & imaginis vſumfructum poſſe relinqui, magis eſt: quia & ipſæ habent vtilitatem, ſi quo loco opportuno ponantur. Licet quædam prædia talia ſint, vt magis in ea impendamus, quàm de illis adquiramus: tamen vſusfructus eorum relinqui poteſt.

C XLII. FLORENTINVS *lib.* XI. *Inſtitutionum.*

SI alij vſus, alij fructus eiuſdem rei legetur: id percipiet fructuarius, quod vſuario ſupererit, nec minus ipſe fruendi cauſſa & vſum habebit. Rerum, an æſtimationis vſusfructus tibi legetur, intereſt. Nam ſi quidem rerum legetur: deducto eo, quod tibi præter ea legatum eſt, reliquis bonis vſumfructum feres. Sin autem æſtimationis legatus eſt: id quoque æſtimabitur, quod præter ea tibi legatum eſt. Nam ſæpius idem legando, non ampliat teſtator legatum. re autem legata, etiam æſtimationem eius legando, ampliare legatum poſſumus.

XLIII. VLPIANVS *lib.* VII. *Regularum.*

ETiam partis bonorum vſusfructus legari poteſt. Si tamen non ſit ſpecialiter facta partis mentio, dimi-

D dia

dia pars bonorum continetur.

XLIIII. NERATIVS lib. III. Membranarum. D

†De tectoriis Vitruui° li. 7. de Architect.

VSufructuarius nouum tectorium † parietibus, qui rudes fuissent, imponere non potest: quia tametsi meliorem, excolendo ædificium, domini caussam facturus esset, non tamen id iure suo facere potest: aliúdque est tueri, quod accepit, aliud nouum facere.

XLV. CAIVS lib. XIIII. ad edictum prouinciale.

SIcut impendia cibariorum in seruum, cuius vsusfructus ad aliquem pertinet: ita & valetudinis impédia ad eum respicere natura manifestum est.

Etiam proprietate quæ & conseruatur in iure speciali, consolidatur vsusfructus formalis. Baldus.

XLVI. PAVLVS lib. XVIII. ad Plautium. E

SI extraneo scripto hærede, & emancipato præterito, matri defuncti deducto vsufructu proprietas legata sit: petita contra tabulas bonorum possessione, plena proprietas pietatis respectu matri præstanda est. Si testator iusserit, vt hæres reficeret insulam, cuius vsumfructum legauit: potest fructuarius ex testamento agere, vt hæres reficiat.

XLVII. POMPONIVS lib. V. ex Plautio.

QVòd si hæres hoc non fecisset, & ob id fructuarius frui non potuisset: hæres etiam fructuarij eo nomine habebit actionem, quanti fructuarij interfuisset, non cessasse hæredem: licet vsusfructus morte eius interiisset. F

XLVIII. PAVLVS lib. VII. Quæstionum ad Plautium.

SI absente fructuario hæres, quasi negocium eius gerens, reficiat: negociorum gestorum actionem aduersus fructuarium habet, tametsi sibi in futurū hæres prospexerit. Sed si paratus sit recedere ab vsufructu fructuarius: non est cogendus reficere, sed actione negociorum gestorum liberatur. Syluam cæduam, etiam si intempestiuè cæsa sit, in fructu esse constat: sicut oliua immaturè lecta, item fœnum immaturè cæsum, in fructu est.

XLIX. POMPONIVS lib. V. ad Plautium.

SI mihi & tibi à Sépronio & Mutio hæredibus vsusfructus legatus sit: ego in partem Sépronij quadrantem,

tem, in partem Mutij alterum quadrantẽ habebo: tu item in vtriusque partem eorum quadrantes habebis.

A *Legatarius cui imminet restitutio, recuperat expensam ab eo cui tenetur restituere.* Baldus.

L. PAVLVS *lib.* III. *ad Vitellium.*

Titius Mæuio fundum Tusculanum reliquit: eiúsque fidei commisit, vt eiusdẽ fundi partis dimidiæ vsumfructum Titiæ præstaret. Mæuius villam vetustate corruptam, necessariam cogendis & cõseruandis fructibus, ædificauit. quæsitum est, an sumptus partem pro portione vsusfructus Titia agnoscere debeat? Respondit Scæuola: si prius, quàm vsusfructus præstaretur, necessariò ædificasset: non aliter cogendum restituere, quàm eius sumptus ratio haberetur.

B

LI. MODESTINVS. *lib.* IX. *Differentiarum.*

Titio cùm morietur, vsusfructus inutiliter legari intelligitur: in id tempus videlicet collatus, quo à persona discedere incipit.

LII. IDEM *lib.* VIII. *Regularum.*

Vsufructu relicto, si tributa eius rei præstentur: ea vsufructuarium præstare debere, dubium non est: nisi specialiter nomine fideicommissi testatori placuisse probetur, hoc quoque ab hærede dari.

LIII. IABOLENVS *lib.* II. ἐπιςολῶν.

C Si cui insulæ vsusfructus est legatus: quàm diu quælibet portio eius insulæ remanet, totius soli vsumfructum retinet.

LIIII. IDEM *lib.* III. ἐπιςολῶν.

Sub conditione vsusfructus fundi à te hærede, Titio legatus est. tu fundum mihi vendidisti & tradidisti, detracto vsufructu. Quæro si non exstiterit cõditio, aut exstiterit & interierit vsusfructus, ad quẽ pertineat? Respondi. intelligo de vsufructu quærere, qui legatus est. itaque si conditio eius legati exstiterit: dubium non est, quin ad legatarium vsusfructus pertineat: & si aliquo casu ab eo amissus fuerit, ad proprietatem fundi reuertatur. quòd si cõditio non exstiterit, vsusfructus ad hæredem pertinebit: ita vt in eius persona omnia eadem seruentur, quæ ad amittendum vsumfructum pertinent, &

ſeruari ſolent. Cęterùm in eiuſmodi venditione ſpectandum id erit, quod inter ementem vendentémque conuenerit: vt ſi apparuerit legati cauſſa eum vſumfructũ exceptum eſſe, etiam ſi cõditio non extiterit, reſtitui à venditore emptori debeat. D

LV. POMPONIVS *lib.* XXVI. *ad Quint. Mutium.*

SI infantis vſusfructus tãtummodo legatus ſit: etiam ſi nullus interim ſit, ſi tamen infantis ætatem excesserit, eſſe incipit.

Vſusfructus relictus ciuitati durat cẽtum annis. Baldus:

LVI. CAIVS *lib.* VII. *ad edictum prouinciale.*

AN vſusfructus nomine actio municipibus dari debeat, quæſitũ eſt? periculum enim eſſe videbatur, ne perpetuus fieret: quia neq; morte, neq; facilè capitis deminutione periturus eſt: qua ratione proprietas inutilis eſſet futura, ſemper abſcedente vſufructu. Sed tamẽ placuit dandam eſſe actionem. Vnde ſequens dubitatio eſt: quouſq; tuendi eſſent in eo vſufructu municipes? & placuit centum annis tuendos eſſe municipes: quia is finis vitæ longæui† hominis eſt. E

†De ſpatiis vitæ lõgiſſimus Plin. li. 7. c. 48

Querela inoffıcioſi teſtamenti ſicut reſcindit legatũ, ita reſtituit integrum ius primæuum, quod erat à legato confuſum. Baldus.

LVII. PAPINIANVS *lib.* VII. *Reſponſorum.*

DOminus fructuario prædiũ, quod ei per vſumfructum ſeruiebat, legauit: idque prædium aliquandiu poſſeſſum legatarius reſtituere filio, qui cauſſam inofficioſi teſtamenti rectè pertulerat, coactus eſt. manſiſſe fructus ius integrum ex poſt facto apparuit. Per fideicommiſſum fructu prædiorum ob alimenta libertis relicto, partium emolumentum ex perſona vita decedentium ad dominum proprietatis recurrit. F

Fructus percepti pertinent ad fructuariũ, non inſpecta quota parte anni vixerit fructuarius. Bartolus.

LVIII. SCAEVOLA *lib.* III. *Reſponſorum.*

DEfuncta fructuaria menſe Decembri, iam omnibus fructibus, qui in his agris naſcerẽtur, mẽſe Octobri per colonos ſublatis: quæſitum eſt, vtrum penſio hęredi fructuariæ ſolui deberet, quamuis fructuaria ante Kalendas Martias, quibus penſiones inferri debebant, deceſſerit:

deceſſerit: an diuidi debeant inter hæredem fructuariæ
A & rempublicam, cui proprietas legata eſt? Reſpondi, rempublicam quidem cum colono nullam actionem habere: fructuariæ verò hæredem ſua die, ſecundum ea, quæ proponerentur, integram penſioné percepturum. Sempronio do lego ex reditu fructuũ holeris & porrinæ, q̃ habeo in agro farrario, partem ſextam. Quæritur, an his verbis vſusfructus legatus videatur? Reſpondi, non vſumfructum, ſed ex eo quod redactum eſſet, partem legatam. Item quæſitum eſt, ſi vſusfructus non eſſet: an quotannis partem ſextam redactam legauerit? Reſpódi, quotannis videri relictum, niſi cõtrarium ſpecialiter ab hærede probetur.

B LIX. PAVLVS *lib.* III. *Sententiarum.*

ARbores vi tempeſtatis, non culpa fructuarij euerſas, ab eo ſubſtitui non placet. Quicquid in fundo naſcitur, quicquid inde percipitur, ad fructuarium pertinet: penſiones quoque iam ante locatorum agrorũ, ſi ipſæ quoque ſpecialiter comprehenſæ ſint. Sed & ad exemplum véditionis (niſi fuerit ſpecialiter exceptum) poteſt vſufructuarius conductorem repellere. Cæſæ arundinis vel pali compendium, ſi in eo fundo vectigal eſſe conſueuit, ad fructuarium pertinet.

LX. IDEM *lib.* V. *Sententiarum.*

CViuſcumq; fundi fructuarius prohibitus, aut deiectus, de reſtitutione omnium rerum ſimul occupa-
C tarum aget. ſed & ſi medio tempore alio caſu interciderit vſusfructus: æquè de perceptis antea fructibus vtilis actio tribuitur.

Etiam contra ciuiliter poßidentem rei vindicatio poteſt intentari. Bartolus.

Si fundus, cuius vſusfructus petitur, nõ à domino poſſideatur: actio redditur. Et ideo ſi de fundi proprietate inter duos quæſtio ſit, fructuarius nihilominus in poſſeſſione eſſe debet: ſatiſque ei à poſſeſſore dãdum eſt, quod non ſit prohibiturus frui eum, cui vſusfructus relictus eſt, quàm diu de iure ſuo probetur. Sed ſi ipſi vſufructuario quæſtio moueatur: interim vſusfructus ei differtur, ſed caueri debet de reſtituendo eo, quod ex his fru-

ctibus percepturus sit: vel si satis non detur, ipse frui permittitur. D

Onus reale euitatur ab eo qui vult rem dimittere. secus in onere personali. Bartolus.

LXI. NERATIVS *lib. III. Responsorum.*

VSufructuarius nouum riuum parietibus nõ potest imponere. Aedificium inchoatũ fructuarius consummare non potest, etiam si eo loco aliter vti non possit. Sed ne eius quidem vsumfructum esse: nisi in constituendo, vel legando vsumfructum hoc specialiter adiectum sit, vt vtrumque ei liceat.

LXII. TRIPHONINVS *lib. VI. Disputationum.*

VSufructuarium venari in saltibus, vel mõtibus possessionis, probè dicitur: nec aprũ aut ceruum, qué ceperit, proprium domini capit: sed fructus, aut iure ciuili, aut gentium suos facit. Si viuariis inclusę feræ in ea possessione custodiebantur, quando vsusfructus cœpit: non exercere eas fructuarius potest, nõ occidere. aliâs si quas initio incluserit operis suis, vel si metipsæ inciderint, dilapsæúe fuerint: hæ fructuarij iuris sunt. Cõmodissimè tamen, ne per singula animalia facultatis fructuarij, propter discretioné difficilem, ius incertum sit: sufficit eundem numerum per singula quæque genera ferarum, finito vsufructu, domino proprietatis adsignare, qui fuit cœpti vsusfructus tempore. E

LXIII. PAVLVS *lib. singulari Regularum.*

QVod nostrum non est, trãsferimus ad alium: veluti is, qui fundum habet, quãquam vsumfructũ non habeat, tamen vsumfructum cedere potest. F

Si vsufructuarius vult cedere vsuifructui, non tenetur ad onera propter vsumfructum incumbentia. Baldus.

LXIIII. VLPIANVS *lib. L. ad edictum.*

CVm fructuarius parat⁹ est vsumfructũ derelinquere, non est cogédus domum reficere: in quibus casibus & vsufructuario hoc onus incumbit. Sed & post acceptum contra eum iudicium, parato fructuario derelinquere vsumfructum: dicendum est, absolui eum debere à iudice.

LXV. POMPONIVS *lib. V. ex Plautio.*

Sed

A SEd cùm fructuarius debeat, quod ſuo ſuorumque facto deterius factum ſit, reficere: non eſt abſoluẽdus, licet vſumfructum derelinquere parat⁹ ſit. Debet enim omne, quod diligens paterfamiliâs in ſua domo facit, & ipſe facere. Nõ magis hæres reficere debet, quod vetuſtate iam deterius factũ reliquit teſtator, quàm ſi proprietatem alicui teſtator legaſſet.

LXVI. PAVLVS *lib.* XVI. *ad edictum.*

CVm vſufructuario non ſolùm legis Aquiliæ actio competere poteſt, ſed & ſerui corrupti, & iniuriarum, ſi ſeruum torquendo deteriorem fecit.

LXVII. IVLIANVS *lib.* I. *ex* Minicio.

B CVi vſusfructus legatus eſt, etiam inuito hærede, eũ extraneo vendere poteſt.

LXVIII. VLPIANVS *lib.* XVIII. *ad Sabinum.*

VEtus * fuit quęſtio, an partus ad fructuarium pertineret. Sed Bruti ſententia obtinuit, fructuarium in eo locum non habere. neque enim in fructu hominis homo eſſe poteſt. hac ratione, nec vſumfructũ in eo fructuarius habebit. Quid tamen, ſi fuerit etiam partus vſusfructus relictus? an habeat in eo vſumfructum? & cũ poſſit partus legari, poterit & vſusfructus eius. Fœtus tamen pecorum Sabinus & Caſſius opinati ſunt ad fructuarium pertinere. Planè ſi gregis, vel armenti ſit vſusfructus legatus: debebit ex natis gregẽ ſupplere, id eſt C in locum capitum defunctorum,

* *In hunc locũ* Cic. *lib.* I. *de finib. bono. et mal.*

LXIX. POMPONIVS *lib.* V. *ad Sabinum.*

VEl inutilium alia ſubmittere: vt poſt ſubſtituta fiãt propria fructuarij, ne lucro ea res cedat domino. Et ſicut ſubſtituta ſtatim domini fiunt, ita priora quoque ex natura fructus deſinunt eius eſſe. Nam alioquin, quod naſcitur, fructuarij eſt: & cùm ſubſtituit, deſinit eius eſſe.

LXX. VLPIANVS *lib.* XVIII. *ad Sabinum.*

QVid ergo, ſi nõ faciat, nec ſuppleat? teneri eũ proprietario Caius Caſſius ſcribit lib. octauo iuris ciuilis. Interim tamẽ, quàmdiu ſubmittantur, * & ſuppleantur capita, quæ demortua ſunt: cuius ſit fœtus, quæritur? Et Iulianus lib. triceſimoquinto digeſto-

* *Qui ſub mittẽdi fœtus* Colu*mel. lib.* 8. *de ruſtic.*

rum ſcribit, pendere eorum dominium: vt ſi ſubmittantur, ſint proprietarij: ſi non ſubmittantur, fructuarij. quę ſententia vera eſt. ſecundum quæ ſi deceſſerit fœtus, erit periculo fructuarij, non proprietarij: & neceſſe habebit alios fœtus ſubmittere. Vnde Caius Caſſius libr. octauo ſcribit, carnem fœtus demortui ad fructuarium pertinere. Sed quod dicitur, debere eum ſubmittere: toties verum eſt, quoties gregis, vel armenti vel equitij, id eſt, vniuerſitatis vſusfructus legatus eſt. cæterùm ſi ſingulorum capitum: nihil ſupplebit. Item ſi fortè eo tempore, quo fœtus editi ſunt, nihil fuit, quod ſubmitti deberet: nunc poſt editionem vtrum ex his, quæ edentur, ſubmittere debebit: an ex his, quæ edita ſunt, videndum eſt. puto autem verius, ea quæ pleno grege edita ſunt, ad fructuarium pertinere: ſed poſteriorem gregis caſum nocere debere fructuario. Submittere autem facti eſt. & Iulianus propriè dicit, diſpertire, & diuidere, & diuiſionem quandam facere: quod dominium ſubmiſſorum erit proprietarij. D E

LXXI. MARCELLVS *lib.* XVIII. *Digeſtorum.*

SI in area, cuius vſusfructus alienus eſſet, quis ædificaſſet intra tempus, quo vſusfructus periit: ſuperficie ſublata, reſtitui vſumfructum, veteres reſponderũt.

LXXII. VLPIANVS *lib.* XVIII. *ad Sabinum.*

SI dominus nudæ proprietatis vſumfructum legauerit: verum eſt, quod Mætianus ſcribit libro tertio quæſtionum de fideicommiſſis, valere legatum: & ſi fortè in vita teſtatoris, vel ante aditam hæreditatem proprietati fructus acceſſerit, ad legatarium pertinere. Plus admittit Mætianus: etiam ſi poſt aditam hæreditatẽ acceſſiſſet vſusfructus, vtiliter diem cedere, & ad legatarium pertinere. F

LXXIII. PAPINIANVS *lib.* II. *Definitionum.*

SI areæ vſusfructus legatus mihi ſit: poſſe me caſam ibi ædificare, cuſtodiæ earum rerum cauſſa, quæ in area ſunt.

LXXIIII. CAIVS *lib.* VII. *ad edictum prouinciale.*

SI Sticho ſeruo tuo & Pamphilo meo legat' fuerit vſusfructus: tale eſt legatum, quale ſi mihi & tibi legatus

gatus eſſet: & ideo dubium non eſt, quin æqualiter ad
A nos pertineat.

DE VSVFRVCTV ADCRE-ſcendo. Tit. II.

Inter coniunctos eſt locus iuri adcreſcendi, non inter totaliter diſiunctos. Bart.

VLPIANVS *lib.* XVIII. *ad Sabinum.*

Quoties vſusfructus legatus eſt, ita inter fructuarios eſt ius adcreſcendi, ſi cõiunctim ſit vſusfructus relictus. Cæterùm ſi ſeparatim vnicuique partis rei vſusfructus ſit relictus: ſine dubio ius adcreſcendi ceſſat.

Coniunctio realis inducit ius adcreſcendi. Bar.

B Denique apud Iulianum libro triceſimoquinto digeſtorum quæritur: ſi communi ſeruo vſusfructus ſit relictus, & vtrique domino adquiſitus: an altero repudiante, vel amittẽte vſumfructum, alter totum habeat? Et putat ad alterum pertinere. Et licet dominis vſusfructus non æquis partibus, ſed pro dominicis adquiratur: tamen perſona eius, non dominorum inſpecta, ad alterum ex dominis pertinere, non proprietati accedere.

Coniunctus coniunctione legali præfertur coniuncto tantũ quãtũ ad ius adcreſcendi in vſufructu. Bal.

Idẽ ait, & ſi communi ſeruo & ſeparatim Titio vſuſ-
C fructus legatus ſit: amiſſum ab altero ex ſociis vſumfructum non ad Titium, ſed ad ſuum ſocium pertinere debere, quaſi ſolùm coniunctum. quæ ſententia vera eſt. nãquàm diu vel vnus vtitur, poteſt dici vſumfructum in ſuo ſtatu eſſe. Idem eſt & ſi duobus coniunctim, & alteri ſeparatim vſusfructus eſſet relictus.

Coniunctio realis inducit ius adcreſcẽdi in vſufructu, & proprietate. Item durat vſusfructus etiam poſt eum adquiſitum. Bar.

Interdum tamen & ſi non ſint coniuncti, tamen vſuſfructus legatus alteri adcreſcit: vtputa ſi mihi fundi ſeparatim totius, & tibi ſimiliter fuerit vſusfructus relictus. Nam vt Celſus libro octauo decimo digeſtorum, & Iulianus libro triceſimoquinto ſcribũt, cõcurſu partes habemus. quod & in proprietate contingeret. nam altero

tero repudiante, alter fundum haberet. Sed in vsufructu hoc plus est: quia & constitutus, & postea amissus, nihilominus ius adcrescendi admittit. omnes enim authores D apud Plautium de hoc cōsensere. & (vt Celsus & Iulianus eleganter aiunt) vsusfructus quotidie constituitur, & legatur non vt proprietas eo solo tempore, quo vindicatur. Cùm itaque primus non inueniet alterum eum, qui sibi concurrat, solus vtetur in totum: nec refert cōiunctim, an separatim relinquatur.

Qui vocátur ad vsumfructum, ex verbis testatoris ius adcrescendi non habent. Bar.

Idem Iulianus libro tricesimoquinto digestorum scribit: si duobus hæredibus institutis, deducto vsufructu, proprietas legatur: ius adcrescendi hæres nō habere. nā E videri vsumfructum constitutum, non per concursum diuisum.

II. AFRICANVS *lib.* V. *Quæstionum.*

IDeoque amissa pars vsusfructus ad legatarium, eundemque proprietarium redibit.

III. VLPIANVS *lib.* XVIII. *ad Sabinum.*

INde Neratius putat libro secundo responsorum, cessare ius adcrescendi. Cui sentétiæ congruit ratio Celsi dicétis: toties ius adcrescendi esse, quoties à duobus, qui insolidum habuerunt, concursu diuisus est. Vnde Celsus libro octauodecimo scribit: si duo domini fundi deducto vsufructu, proprietaté tradiderint: vter eo- F rum amiserit, vsumfructum ad proprietatem redire: licet non ad totum, sed cuiusque vsumfructm ei parti accedere, quam ipse tradidit. ad eam enim partem redire debet, à qua & initio diuisus est.

Inter legatarium plenæ proprietatis & legatarium vsusfructus non est locus iuri adcrescendi. Bar.

Non solùm autem si duobus vsusfructus legetur, est ius adcrescédi: verùm & si alteri vsusfructus, alteri fundus legatus sit. nam amittente vsumfructum altero, cui erat legatus: magis iure adcrescendi ad alterum pertinet, quàm redit ad proprietatem. nec nouum. nam & si duobus vsusfructus legetur, & apud alterum sit consolidatus; ius adcrescendi non perit neque ei, apud quem consoli-

cōſolidatus eſt, neque ab eo: & ipſe quibus modis amitteret, ante conſolidationem, iiſdem & nūc amittit: & ita
A Neratio & Ariſtoni videtur, & Pomponius probat.

Inter habentem vſumfructum cauſalem, & vſumfructum formalem eſt ius adcreſcendi ratione coniunctionis verbalis. Bal.

IIII. IVLIANVS *lib.* XXXV. *Digeſtorum.*

SI tibi proprietas fundi legata fuerit, mihi autem, & Mæuio, & tibi eiuſdem fundi vſusfructus: habebimus ego & Mæuius trientes in vſufructu, & triens vnus proprietati miſcebitur. Siue autem ego, ſiue Mæuius capite minuti fuerimus: triens inter te & alterutrum noſtrum diuidetur: ita vt ſemiſſem in vſufructu habeat is, qui ex nobis capite minutus nō fuerat: ad te autem pro-
B prietas cum parte dimidia vſusfructus pertineat.

V. CAIVS *lib.* VII. *ad edictum prouinciale.*

ET ſi tradideris alicui proprietatem, deducto vſufructu: nihilominus putat Iulianus adcreſcere, nec videri nouum tibi adquiri vſumfructum.

VI. VLPIANVS *lib.* XVIII. *ad Sabinum.*

IDem & ſi apud vnum ex tribus fructuariis cōſolidatus ſit vſusfructus. Sed ſi cui proprietas deducto vſufructu legata ſit, & mihi pars vſusfructus: videndum erit, an inter me & hæredem ius adcreſcendi verſetur. & verum eſt (vt quiuis amiſerit) ad proprietatem reuerti. Si mihi vſusfructus fundi pure, & tibi ſub cō-
C ditione legatus ſit: poteſt dici, totius fundi vſumfructū ad me interim pertinere: & ſi capite minutus fuero, totum amittere. ſed ſi exſtiterit conditio: totum vſumfructum ad te pertinere, ſi fortè capite minutus ſim. Cæterùm cùm in meo ſtatu maneo: communicandum vſumfructum.

Tantum habet vnus nominatus quantum plures innominati cōiuncti per nomen collectiuum. Item dictio cum, per modum copulæ cadens inter perſonas, operatur idem quod dictio &. Bal.

VII. PAVLVS *lib.* III. *ad Sabinum.*

SI quis Attio & hæredibus ſuis vſumfructum legauerit: dimidiam Attius, dimidiam hæredes eius habebūt. Quod ſi ita ſcriptū ſit, ATTIO ET MAEVIO CVM HAEREDIBVS MEIS, tres partes fient: vt

vnam

vnam habeant hęredes,alteram Attius,tertiam Mæuius. Nec enim interest ita legeť, ILLI ET ILLI CVM MAEVIO, an ita, ILLI ET ILLI ET MAEVIO. D

VIII. VLPIANVS *lib.* XVIII. *ad Sabinum.*

SI mulieri cum liberis suis vsusfructus legetur: amissis liberis, ea vsumfructum habet. sed & matre mortua, liberi eius nihilominus vsumfructum habent, iure adcrescendi. Nam ita Iulianus libro tricesimoquinto digestorum ait. idem intelligendum in eo, qui solos liberos hæredes scripserat: licet non vt legatarios eos nominauerit, sed vt ostenderet magis velle se matrem ita frui, vt liberos secum habeat fruentes. Sed & Pomponius quęrit, quid si mistim fuerint liberi & extranei hęredes? & ait filios legatarios esse intelligendos. Econtrario si noluerit eos liberos simul cum matre frui: debere dici matrem legatariam esse intelligendam, & per omnia similem esse in hoc casu iuris euentum. E

Nota quòd ei cui legatur proprietas, videtur etiam legatus vsusfructus caussalis. Baldus.

IX. AFRICANVS *lib.* V. *Quæstionum.*

SI proprietas fundi duobus, vsusfructus vni legatus sit: nõ trientes in vsufructu habét, sed semissem duo, fructuarius semissem. Item contrà, si duo fructuarij, & vnus fundi legatarius sit.

X. VLPIANVS *lib.* VII. *ad edictum.*

INterdum pars vsusfructus etiam non habenti partem suam, sed amittenti adcrescit. nam si vsusfructus duobus fuerit legatus, & alter lite cõtestata amiserit vsumfructum: mox & collegatarius, qui litem contestatus nõ erat, vsumfructum amisit: partem dimidiam dumtaxat, quam amisit, qui litem cõtestatus est, aduersus eum, qui se liti obtulit, à possessore consequitur. pars enim collegatarij ipsi adcrescit, non domino proprietatis. vsusfructus enim personæ adcrescit, & si fuerit amissus. F

Vbi diuersi sunt grauati, & diuersi onerati, non habet locum ius adcrescendi. Bal.

XI. PAPINIANVS *lib.* II. *Definitionum.*

CVm singulis ab hæredibus singulis eiusdẽ rei fructus legatur: fructuarij separati videntur non minus,

nus, quàm ſi æquis portionibus duobus eiuſdem rei fru-
A ctus legatus fuiſſet. vnde fit, vt inter eos ius adcreſcen-
di non ſit.

C XII. VLPIANVS *lib.* XVIII. *ad Sabinum.*
Cum alius ab alio hærede vſumfructū vindicat.

QVANDO DIES VSVSFRV-*ctus legati cedat.* *Tit.* III.

VLPIANVS *lib.* XVIII. *ad Sabinum.*

QVanquam vſusfructus ex fruendo conſiſtit,
id eſt, facto aliquo eius, qui fruitur & vti-
B tur: tamen ſemel cedit dies, aliter atque ſi
cui in menſes, vel dies, vel annos ſingulos
quid legetur. tūc enim per dies ſingulos, vel
menſes, vel annos dies legati cedit. Vnde quæri poteſt,
ſi vſusfructus cui per ſingulos dies legetur, vel in ſin-
gulos annos, an dies ſimul cedat? Et puto non ſimul ce-
dere, ſed per tempora adiecta, vt plura legata ſint: & ita
libro tertio digeſtorum Marcellus probat in eo, cui al-
ternis diebus vſusfructus legatus eſt. Et ideo ſi vſusfru
ctus legatus ſit, qui quotidie percipi non poteſt, non e-
rit inutile legatum: ſed dies hi legatum habebunt, qui-
bus vti frui poterit. Dies autem vſusfructus, item v-
C ſus, non prius cedit, quàm hæreditas adeatur. tunc enim
conſtituitur vſusfructus, cùm quis iam vti frui poteſt.
Hac ratione & ſi ſeruo hæreditario vſusfructus legetur,
Iulianus ſcribit: quamuis cætera legata hæreditati ad-
quirantur, in vſufructu tamen perſonam domini exſpe-
ctari, quę vti frui poſſit. Item ſi ex die vſusfructus le-
getur: dies eius nondum cedit, niſi cùm dies venit. poſ-
ſe enim vſumfructum ex die legari, & in diem, conſtat.

Non ſolùm autem vſusfructus ante aditam hæredita-
tem dies non cedit, ſed nec actio de vſufructu. Idemq́ue
& ſi ex die fuerit legatus vſusfructus. Denique Scæuo-
la ait, & agentem ante diem vſusfructus, nihil facere:
quamuis aliâs, qui ante diem agit, malè agit.

Quibus

QVIBVS MODIS VSVSFRVctus uel uſus amittatur. Tit. IIII. D

VLPIANVS lib. XVIII. ad Sabinum.

NOn ſolùm vſumfructũ amitti capitis deminutione conſtat, ſed etiam actionem de vſufructu: & parui refert, vtrum iure ſit conſtitutus vſusfructus, an verò tuitione prætoris. Proinde traditus quoque vſusfructus, item in fundo vectigali, vel ſuperficie non iure conſtitutus, capitis deminutione amittitur. ſed ita demum amittitur capitis deminutione vſusfructus, ſi iam conſtitutus eſt. cæterùm ſi ante aditam hæreditatẽ, aut ante diem cedẽtem quis capite minutus ſit: conſtat nõ amitti. Si tibi E fundus legatus ex die eſt, & vſumfructũ mihi rogatus es reſtituere: videndũ eſt, ſi capite minutus fuero intra diẽ legato tuo inſertum: ne fortè ſaluus ſit mihi vſusfructus, quaſi ante diem cedentem capitis deminutio interuenerit. quod benignè dici poteſt. Vſque adeo autem capitis deminutio eum demum vſumfructum perimit, qui iam conſtitutus eſt: vt ſi in ſingulos annos, vel menſes, vel dies legatus ſit: is demum amittatur, qui iam præceſſit. & ita ſi fortè in annos ſingulos legatus eſt, illius dumtaxat anni vſusfructus amittitur: & ſi in mẽſes, eius menſis: & ſi in dies, eius diei.

Separatio & diſtinctio temporum habet vim diſtinctionis re & verbis, & impedit ius adcreſcendi. Bald*us.* F

II. PAPINIANVS lib. XII. *Quæſtionum.*

SI duobus ſeparatim alternis annis vſusfructus relinquatur, continuis annis proprietas nuda eſt: cùm ſi legatarium vnum ſubſtituas, cui alternis annis legatus ſit vſusfructus, plena ſit apud hæredem proprietas eo tempore, quo ius fruendi legatario non eſt. Quod ſi ex duobus illis alter decedat: per vices temporum plena proprietas erit. neque enim adcreſcere alteri quidquam poteſt: quoniam per propria quiſque tempora, nõ concurrente altero, fructus integros habuit. Si non mors, ſed capitis deminutio interceſſerit: quia plura legata ſunt, illius anni tantũ (ſi modò ius fruendi habuit) fructus,

ctus amissus erit. Quod & in vno legatario, qui fructum in annos singulos accepit, defendendum est: vt commemoratio temporũ repetitionis potestatem habeat. Cũ singulis fructus alternis annis legatur: si consentiant in eundem annum, impediuntur: quia non id actum videtur, vt concurrant. multum enim refert, duobus simul alternis annis legetur (quod sanè vltra primum annum procedere non poterit: non magis, quàm si vni legatum ita fuisset) an singulis alternis annis. nam si concurrere volent: aut impedient inuicem propter voluntatem, aut (si ea non refragabitur) singulorum annorum fructus vacabit.

B *Vsusfructus capitis deminutione amissus potest resumi ex dispositione repentina. & videtur dispositio repentina eo ipso quod est facta commemoratio temporis. Baldus.*

III. VLPIANVS *lib.* XVIII. *ad Sabinum.*

SIcut in annos singulos vsusfructus legari potest, ita & capitis deminutiõe amissus legari poterit, vt adiiciatur, QVOTIES CAPITE MINVTVS ERIT, EI DO LEGO: vel sic, QVOTIES AMISSVS ERIT: & tũc si capitis deminutiõe amittat, repetitus videbitur. Vnde tractatũ est, si cui quãdiu viuat, vsusfruct' legatus sit: an videat repetit', quoties amissus est. quod & Martianus tentat? & puto repetitum videri. Quare si vsque ad diem sit legatus, puta vsque ad decénium, idem erit dicendum.

C *Vsufructuarius vtens ex repetitione habet ius adcrescendi, sicut haberet substitutus sibi non tanquam verbis: sed tanquam re coniunctus. Baldus.*

Hæc autem repetitio, quę fit post amissum capitis deminutione vsumfructum: quæritur, an ius adcrescendi secum habeat? vtputa Titio & Mæuio vsusfructus legatus est: & si Titius capite minutus esset, vsumfructum eidem legauit. quæsitum est, si Titius ex repetitione vsumfructum haberet, an inter eos ius adcrescendi saluũ esset? Et Papinianus libro decimoseptimo quæstionum scribit saluum esse perinde, ac si alius esset Titio in vsufructu substitutus, eos enim tametsi non verbis, re tamé coniunctos videri.

Quando

Quando non est repetita tota pars partis: illa pars repetita habet ius adcrescendi non respectu partis non repetitæ, imò sola consolidatur proprietati, sed respectu partis collegatarii. Baldus. D

Idem Papinianus quærit: si Titio & Mæuio vsusfructus legatus esset, in repetitione autem vsusfructus non totum, sed partem Titio legasset, an viderentur coniuncti? Et ait, siquidem Titius amiserit, totum Mæuio adcrescere. quod si Mæuius amisisset: neque totum adcrescere, sed partem ad eum, partem ad proprietatem redire. quæ sententia habet rationem. Neque potest dici eo momento, quo quis amittit vsumfructum & resumit, etiam ipsi quidquã ex vsufructu adcrescere. Placet enim nobis: ei, qui amittit vsumfructum, ex eo quod amittit, nihil adcrescere. Morte quoque amitti vsumfructum, E non recipit dubitationem: cùm ius fruendi morte exstinguatur, sicuti si quid aliud personæ cohæret.

IIII. MARTIANVS *lib.* III. *Institutionum.*

SI legatum vsumfructum legatarius alij restituere rogatus est: id agere prætor debet, vt ex fideicommissarij persona magis, quàm ex legatarij pereat vsusfructus.

V. VLPIANVS *lib.* XVIII. *ad Sabinum.*

REpeti potest vsusfructus amissus qualicunque ratione, dummodo non morte: nisi fortè hæredibus eius eum legauerit. Si quis vsumfructum solum serui alienauerit, per quem vsusfructus ei adquisitus est: dubium nõ est, quin vsusfructus per eum adquisitus retineatur. F Rei mutatione interire vsumfructum placet. veluti vsusfructus mihi ædium legatus est. ædes corruerunt, vel exustæ sunt. sine dubio exstinguitur vsusfructus. An & areæ? certissimum est, exustis ædibus, nec areæ, nec cæmentorum vsumfructum deberi. & ita Iulianus. Si areæ vsusfructus sit legatus, & in ea ædificium sit positum: rem mutari, & ita vsumfructũ exstingui constat. Planè si proprietarius hoc fecit: ex testamento, vel de dolo tenebitur.

VI. POMPONIVS *lib.* V. *ad Sabinum.*

SEd & interdictum QVOD VI AVT CLAM vsufructuario competit.

VII. IVLIANVS *lib.* XXXV. *Digestorum.*

Nisi

NIſi ſublato ædificio vſumfructũ areæ ceſſerit: tempore ſcilicet, quo vſusfructus periit, tranſacto.

A

VIII. VLPIANVS *lib.* XVIII. *ad Sabinum.*

FVndi vſufructu legato, ſi villa diruta ſit, vſusfructus non exſtinguitur (quia villa fundi acceſſio eſt) non magis, quàm ſi arbores deciderint.

IX. PAVLVS *lib,* III. *ad Sabinum.*

SEd & eo quoq; ſolo, in quo fuit villa, vti frui potero.

X. VLPIANVS *lib.* XVIII. *ad Sabinum.*

QVid tamen ſi fundus villæ acceſſio fuit: videamus, ne etiã fundi vſusfructus exſtinguatur? & idem dicendũ eſt, vt non exſtinguatur. Non tantum ſi ædes ad aream redactæ ſint, vſusfructus exſtinguitur: B verumetiam ſi demolitis ędibus, teſtator alias nouas reſtituerit. Planè ſi per partes reficiat: licet omnis noua facta ſit, aliud erit nobis dicendum. Agri vel loci vſufructu legato, ſi fuerit inũdatus, vt ſtagnum iam ſit, aut palus: proculdubio exſtinguetur. Sed & ſi ſtagni vſusfructus legetur, & exaruit, ſic vt ager ſit factus: mutata re, vſusfructus exſtinguitur. Non tamen, ſi arui vſusfructus legetur, & ibi vites ſint poſitæ, vel contrà, puto exſtingui. Certè ſyluæ vſufructu legato, ſi ſylua cæſa illic ſationes fuerint factæ: ſine dubio vſusfructus exſtinguitur. Si maſſæ vſusfructus legeт̃, & ex ea vaſa ſint facta, vel contra: Caſſius apud Vrſeium ſcribit, interire v- C ſumfructum. quam ſententiam puto veram. Proinde & ornamentum diſſolutum, aut transfiguratum, exſtinguit vſumfructum. In nauis quoque vſufructu Sabinus ſcribit, ſiquidem per partes refecta ſit, vſumfructum non interire. Sin autem diſſoluta ſit: licet iiſdem tabulis, nulla præterea adiecta, reſtaurata ſit: vſumfructum exſtinctum. quam ſententiam puto veriorem. Nam & ſi domus ex iiſdem cæmentis tigniſque fuerit reſtituta, vſusfructus exſtinguitur. Quadrigæ vſufructu legato, ſi vnus ex equis deceſſerit, an exſtinguetur vſusfructus quæritur? & ego puto multum intereſſe, equorum, an quadrigæ vſusfructus ſit legatus. nam ſi equorum, ſupererit in reſiduis: ſi quadrigæ, non remanebit, quoniam quadriga eſſe deſiit.

XI. PAVLVS *lib.* III. *ad Sabinum.*

NIſi alius ante diem legati cedentem ſubſtitutus ſit. D

Mutato miniſterio ex quo dependet effectus, intelligitur res mutata. Baldus.

XII. VLPIANVS *lib.* XVIII. *ad Sabinum.*

SI cui balinei vſusfructus legatus ſit,& teſtator habitationem ex hoc fecerit: vel ſi tabernæ,& diætam fecerit: dicendum eſt,vſumfructum exſtinctum. Proinde & ſi hiſtrionis reliquerit vſumfructum, & eum ad aliud miniſterium tranſtulerit: exſtinctum eſſe vſumfructum, dicendum erit.

Fructus efficiuntur fructuarii cum ab eo ſunt in horreo recõditi: bonæ fidei poſſeſſoris eoipſo quod ſunt à ſolo ſeparati. vel ſic: vſufructuarius facit fructus ſuos, ſi ſuo nomine à ſolo ſeparentur: ſed bonæ fidei poſſeſſor à quocunque à terra ſeparentur. Bartolus. E

XIII. PAVLVS *lib.* III. *ad Sabinum.*

SI vſufructuarius meſſem fecit, & deceſſit: ſtipulam, quæ demeſſa iacet, hæredis eius eſſe Labeo ait: ſpicam, quæ terra teneatur, domini fundi eſſe. Fructumque percipi ſpica, aut fœno cæſo, aut vua adempta, aut excuſſa olea: quamuis nondum tritum frumentum, aut oleum factum, vel vindemia coacta ſit. Sed vt verum eſt, quod de olea excuſſa ſcribit: ita aliter obſeruandum de ea olea, quæ per ſe decidit. Iulianus ait, fructuarij fructus tunc fieri, cùm eos perceperit: bonæ fidei autem poſſeſſoris, mox quàm à ſolo ſeparati ſunt. F

XIIII. POMPONIVS *lib.* V. *ad Sabinum.*

EXcepta capitis deminutione, vel morte: reliquæ cauſſæ vel pro parte interitũ vſusfructus recipiũt.

XV. VLPIANVS. *lib.* XVIII. *ad Sabinum.*

INterdum proprietarius ad libertatem perducet: ſi fortè vſusfructus fuerit tamdiu legatus, quamdiu manumittatur. nam incipiente proprietario manumittere, exſtinguetur vſusfructus.

Ex teſtamento diuerſorum non eſt locus iuri adcreſcendi. quã L. no. quia eſt vna de regulis in materia iuris adcreſcendi. Bartolus.

XVI. IDEM *lib.* V. *Diſputationum.*

SI ſub conditione mihi legatus ſit vſusfructus, medioque tẽpore ſit penes hæredem: poteſt hæres vſũfructum

fructum alij legare. quæ res facit, vt ſi conditio exſtitit mei legati, vſusfructus ab hęrede relict⁹ finiatur. Quod A ſi ego vſumfructum amiſero: non reuertetur ad legatarium, cui ab hærede purè legatus fuerat: quia ex diuerſis teſtamentis ius coniunctionis non contingit.

Conſolidatio voluntaria perimit vſumfructum: nec poſtea reuiuiſcit. Bartolus.

XVII. IVLIANVS *lib.* XXXV. *Digeſtorum.*

SI tibi vſusfructus fundi purè, proprietas autem ſub conditione Titio legata fuerit, & pendēte conditione dominium proprietatis adquiſieris, deinde conditio exſtiterit: pleno iure fundum Titius habebit. neque intereſt, quod detracto vſufructu proprietas legata ſit. dū B enim proprietatem adquiris, ius omne legati vſusfructus amiſiſti.

XVIII. POMPONIVS *lib.* V. *ad Sabinum.*

SI ſeruo hæreditario ante aditam hæreditatem legatus vſusfructus fuiſſet: magis placet, adita hæreditate eum vſumfructum ad te tranſire, nec interire quaſi mutato dominio: quia nec dies antè ceſſerit, quàm tu hæres exſtiteris.

XIX. CAIVS *lib.* VII. *ad edictū prouinciale.*

NEque vſusfructus, neque iter actúsve dominij mutatione amittitur.

Vſu partis retinetur ius totius à ſciente: ſecus ab ignorante. B.

C XX. PAVLVS *lib.* XV. *ad Plautium.*

IS, qui vſumfructum habet, ſi tantum vtatur, quia exiſtimet ſe vſum tantùm habere, an vſumfructum retineat? Et ſi quidem ſciens ſe vſumfructum habere, tantū vti velit: nihilominus & frui videtur. ſi verò ignoret: puto eum amittere fructum. non enim eo, quod habet, vtitur: ſed eo, quod putauit ſe habere.

XXI. MODESTINVS *lib.* IIII. *Differentiarū.*

SI vſusfructus ciuitati legetur, & aratrū † in ea ducatur, vt paſſa eſt Carthago: ciuitas eſſe deſinit, ideoq́; quaſi morte deſinit habere vſumfructum.

Vxor detinet poſſeſſionem per maritum, & maritus per vxorem: & idem per reliquam familiam. Bartolus.

XXII. POMPONIVS *lib.* VI. *ad Q. Mutium.*

† *Mos antiquorū erat in euertēdis vrbibus aratrū inducere. Vnde Hora. li. I. Car. Imprimeret q́; muris hoſtile aratrū Exercit⁹ inſolens.*

SI mulieri vſus domus legatus ſit, & illa trans mare profecta, conſtituto tempore ad amittendũ vſum abfuerit, maritus verò domo vſus fuerit: retinetur nihilominus vſus, quemadmodum ſi familiam ſuam in domo reliquiſſet, dum peregrinaretur. Et hoc magis dicẽdum eſt, ſi vxorem in domo reliquerit maritus, cum ipſi marito vſus domus legatus ſit. D

XXIII. IDEM *lib.* XXVI. *ad Q. Mutium.*

SI ager, cuius vſusfructus noſter ſit, flumine vel mari inundatus fuerit: amittitur vſusfructus, cùm ipſa etiam proprietas eo caſu amittatur: ac ne piſcando quidem retinere poterimus vſumfructũ. Sed quemadmodum ſi eodem impetu diſceſſerit aqua, quò venit, reſtituitur proprietas: ita & vſumfructum reſtituendum, dicendum eſt. E

XXIIII. IABOLENVS *lib.* III. *ex poſterioribus Labeonis.*

CVm vſumfructum horti haberem, flumen hortũ occupauit. deinde ab eo receſſit. ius quoque vſusfructus reſtitutum eſſe, Labeoni videtur: quoniam id ſolũ perpetuò eiuſdem iuris manſiſſet. Sed ita id verum puto, ſi flumen inundatione hortum occupauit. nam ſi alueo mutato, inde manare cœperit, amitti vſumfructum exiſtimo: cùm is locus aluei publicus eſſe cœperit, nec in priſtinum ſtatum reſtitui poſſit. Idem iuris in itinere etiam actuque cuſtodiendum eſſe, ait Labeo. de quibus rebus ego idem, quod in vſufructu, ſentio. Labeo ait. nec ſi ſumma terra ſublata ex fundo meo, & alia regeſta eſſet, idcirco meum ſolum eſſe deſinit: non magis, quàm ſtercorato agro. F

XXV. POMPONIVS *lib.* XI. *ex variis lectionibus.*

PLacet vel certæ partis, vel pro indiuiſo vſumfructũ non vtendo amitti.

XXVI. PAVLVS *lib.* I. *ad Neratium.*

SI ager ab hoſtibus occupatus, ſeruúſve captus, liberatus fuerit: iure poſtliminij reſtituitur vſusfruct⁹.

XXVII. IDEM *lib.* I. *Manualium.*

SI ſeruus, in quo vſusfruct⁹ alienus eſt, noxæ dedatur à domino proprietatis vſufructuario: liberabitur, confuſa

confuſa ſeruitute proprietatis comparatione.

XXVIII. IDEM *lib.* XV. *ad Plautium.*

A SI fructus alternis annis legetur, cõſtat non poſſe non vtendo eum amitti, quia plura ſunt legata.

Per colonum ſuo nomine poſſidentẽ non retinet fructuarius poſſeßionẽ, licet vſumfructũ locauerit, & annuã receperit pẽſionem: ſed per colonum coloni bene retinet poſſeßionem. Baldus.

XXIX. VLPIANVS *lib.* XVIII. *ad Sabinum.*

POmponius quærit: ſi fundũ à me proprietarius cõduxerit, eumq́; fundũ vendiderit Seio, vſufructu nõ deducto: an vſumfructũ per emptorem retineã? Et ait: licet proprietarius mihi penſioné ſoluerit, tamen vſumfructũ amitti: quia nõ meo nomine, ſed ſuo fruitus eſt B emptor. Teneri planè mihi ex locato proprietariũ, quãti mea interfuit, id factũ non eſſe. quãquàm ſi à me conductum vſumfructum quis alicui locauerit, retinetur vſusfructus: ſed ſi proprietarius eũ locaſſet ſuo nomine, dicendũ amitti. non enim meo nomine fruitur colonus. Sed ſi emptũ à me vſumfructũ proprietarius vẽdidiſſet: an amitterem vſumfructũ, quærendum eſt? & puto amitti, quoniã & hic nõ vt à me empto fruitur fundi emptor. Idem Pomponius quærit: ſi legatum mihi vſumfructum rogatus ſim tibi reſtituere, an pro te frui videar, nec amittatur vſusfruct⁹? Et ait, dubitare ſe de hac quæſtione. Sed eſt verius, quod Marcellus notat: nihil hanc rem C fideicõmiſſario nocere. ſuo enim nomine vtilem actionem eum habiturum.

XXX. CAIVS *lib.* VII. *ad edictum prouinciale.*

CAro & corium mortui pecoris in fructu non eſt: quia exſtinguitur mortuo eo vſusfructus.

XXXI. POMPONIVS *lib.* III. *ad Q. Mutium.*

CVm gregis vſusfructus legatus eſt, & eouſque numerus peruenit gregis, vt grex nõ intelligatur: perit vſusfructus.

DE VSVFRVCTV EARVM REꝛum, *quæ uſu conſumuntur, uel minuuntur.* Tit. V.

Quædam sunt res in quibus non cadit vsusfructus distinctus à proprietate, quia vsu consumũtur: & ideo tũc nõ interponitur cautio de vtendo salua rerum substantia, quia est impossibile: sed de æstimatione restituenda: & transfertur dominium. Baldus. D

VLPIANVS *lib.* XVIII. *ad Sabinum.*

SEnatus censuit, vt omniũ rerum, quas in cuiusq; patrimonio esse cõstaret, vsusfructus legari possit. quo senatusconsulto inductũ videtur, vt & earũ rerum, quæ vsu tollũtur, vel minuuntur, possit vsusfructus legari.

II. CAIVS *lib.* VII. *ad edictum prouinciale.*

SEd de pecunia rectè caueri oportet his, à quibus eius pecuniæ vsusfructus legatus erit. Quo senatusconsulto non id effectũ est, vt pecuniæ vsusfructus proprius esset: (nec enim naturalis ratio authoritate† senatusconsulti mutari potuit) sed remedio introducto, cœpit quasi vsusfructus haberi. E

†Hãc sentẽtiã latè explicat Cicero li. 2. de Leg.

III. VLPIANVS *lib.* XVIII. *ad Sabinum.*

POstquàm omnium rerũ vsusfructus legari poterit: an & nominum? Nerua negauit. sed est verius, quod Cassius & Proculus existimant, posse legari. Idem tamẽ Nerua ipsi quoque debitori posse vsumfructum legari scribit, & remittendas ei vsuras.

IIII. PAVLVS *lib.* I. *ad Neratium.*

ERgo cautio & ab hoc exigenda erit.

V. VLPIANVS *lib.* XVIII. *ad Sabinum.* F

HOc senatusconsultum non solùm ad eum pertinet, qui pecuniæ vsumfructum, vel cæterarum rerum, quas habuit, legauit: verùm etiam si fuerint alienæ.

Cautio omissa condicitur per condictionem incerti. Baldus.

Si pecuniæ sit vsusfructus legatus, vel aliarũ rerum, quæ in abusu cõsistunt, nec cautio interueniat: videndũ est, finito vsufructu, an pecunia, quæ data sit, vel cæteræ res, quæ in absumptione sunt, cõdici possint. Et siquidẽ adhuc constante vsufructu, cautionem quis velit condicere: potest dici, omissam cautionem posse condici incerti condictione. sed finito vsufructu, ipsam quantitatem Sabinus putat posse condici. quam sententiam & Celsus libro decimooctauo digestorum scribit, & mihi

non

non inarguta videtur. Quæ in vsufructu pecuniæ di-
A ximus, vel cęterarum rerum quæ sunt in abusu: eadem & in vsu dicenda sunt. Nam idem continere vsum pecunię & vsumfructum Iulianus scribit, & Pomponius libro octauo de stipulationibus.

Legatarius vsusfructus pecuniæ cauet legatario proprietatis eiusdem pecuniæ: & de sua manu habet percipere sicut in vero vsufructu: & fructuarii debent cauere sibi adinuicem propter alios superius adcrescendi. Baldus.

VI. IVLIANVS *lib.* XXXV. *Digestorum.*

SI tibi decem legata fuerint, mihi eorūdem decem vsusfructus: fiét quidē tua tota decem, sed mihi quinque numerari debebunt: ita vt tibi caueam, tēpore mor-
B tis meæ, aut capitis deminutionis restituiri*. Nam & si fundus tibi legatus fuisset, & mihi eiusdem fundi vsusfructus: haberes tu quidem totius fundi proprietatem, sed partim cum vsufructu, partim sine vsufructu: & non hæredi, sed tibi cauerem boni viri arbitratu. Sed & si duobus eorūdem decē vsusfructus legatus fuerit: quina accipient, & inuicem hæredi satisdabunt.

**i. restitutum iri.*

VII. CAIVS. *lib.* VII. *ad edictum prouinciale.*

SI vini, olei, frumēti vsusfructus legat⁹ erit: proprietas ad legatariū debet transferri, & ab eo cautio desideranda est: vt quandoque is mortuus, aut capite minutus sit, eiusdem qualitatis res restituatur: aut æstimatis
C rebus certæ pecuniæ nomine cauendum, quod & cōmodius est. Idem scilicet de cæteris quoq; rebus, quæ abusu continentur, intelligimus.

Quando plures hæredes sunt grauati in præstando vsumfructum pecuniæ, & etiam cauendo pro legatario, duo versantur in legato, scilicet, datio pecuniæ, & factum, id est cautio: & pro legatario debet hæres vnus cauere alteri, & alter alteri: & legatarius etiam cogitur promittere tāquam principalis persona: & si finito vsufructu fideiubens soluat, non repetit: quia ex necessitate fideiussit: & legatum istud quantum ad secundum caput de fideiubendo videtur appositum fauore legatarii, non fauore hæredum. Bartolus.

VIII. PAPINIANVS *lib.* XVI. *Quæstionum.*

TRibus hæredibus institutis vsumfructum quindecim miliū Titio legauit, & duos ex hæredibus ius-

sit pro legatario satisdare. placebat vtile esse cautionis quoque legatum, nec refragari senatuscõsulto: quia cautio non impediretur: & esse alterum legatum veluti certi, alterum incerti. vsusfructus itaque nomine partem pecuniæ petendam ab eo, qui satis accepit à cohærede: incertique cum eodem agendũ, si satis non dedisset. Eum verò, qui satis præstitit, ac propter moram cohæredis non satis accepit: neque fructus nomine interim teneri propter senatusconsultum, nec actione incerti: quia cohæredi satisdedit. Illud etiam nobis placebat, legatarium cogendum promittere. Finito autem vsufructu, si coheredes ex caussa fideiussoria cõuenirentur: eos mandati non acturos. non enim suscepisse mandatum, sed voluntati paruisse: denique cautionis legato liberatos. de illo nec diu tractandum fuit: secundum legatum, id est, cautionis, non hæredum videri: sed eius, cui pecuniæ vsusfructus relictus est, cuique testator prospicere voluit, & cuius interesse credidit fideiussores non suo periculo quærere. D E

IX. PAVLVS *lib.* I. *ad Neratium.*

IN stipulatione de reddendo vsufructu pecuniæ, duo soli casus interponũtur, mortis & capitis deminutionis.

X. VLPIANVS *lib.* LXXIX. *ad edictum.*

Ca. 7. vsufruct. quẽadmodum cau.

QVoniã pecuniæ vsus aliter amitti nõ potest, quàm his casibus. Si vsus tantùm pecuniæ legatus sit (quia in hac specie, vsus appellatione & fructum cõtineri, magis accipiendum est) stipulatio ista erit interponenda. Et quidam aiunt, non ante hanc interponi stipulationem, quàm data fuerit pecunia. ego autem puto: siue antea, siue postea ea pecunia data sit: tenere stipulationem. F

XI. IDEM *lib.* XVIII. *ad Sabinum.*

SI lanæ alicui legatus sit vsusfructus, vel odorum, vel aromatũ: nullus videtur vsusfructus in istis iure constitutus, sed ad senatusconsultũ erit descendẽdum, quod de cautione eorum loquitur.

XII. MARCIANVS *lib.* VII. *Institutionum.*

CVm pecunia erat relicta Titio, ita vt post mortem legatarij

legatarij ad Mæuium rediret: quãquam adſcriptũ ſit, vt
A vſum eius Titius haberet: proprietaté tamé ei legatam, & vſus mentionem factam, quia erat reſtituenda ab eo pecunia poſt mortem eius, diui Seuerus & Antoninus reſcripſerunt.

SI VSVSFRVCTVS PETATVR uel ad alium pertinere negetur. Tit. VI.

Fructuarius non agit confeſſoria pro ſeruitute acceſſoria, ſed pro ipſo vſufructu: per quod indirectè conſequatur quod mero iure directè conſequi non poteſt. Baldus.

VLPIANVS *lib.* XVIII. *ad Sabinum.*

B SI fundo fructuario ſeruitus debeatur, Marcellus libro octauo apud Iulianũ ſententiam Labeonis & Neruæ probat: exiſtimantiũ ſeruitutem quidé eum vindicare non poſſe, verùm vſumfructum vindicaturum: ac per hoc vicinum, ſi non patiatur eum ire & agere, teneri ei quaſi non patiatur vti frui.

Quoties diſpoſitioni adponitur aliquid quod eſt contra naturam rei ſuper qua diſponitur, non valet diſpoſitio. Bartolus.

Vſusfructus legatus adminiculis eget, ſine quibus vti frui quis nõ poteſt. Et ideo ſi vſusfructus legetur, neceſſe eſt tamen, vt ſequatur eum aditus. Vſque adeo, vt ſi quis vſumfructum loci leget, ita ne hæres cogatur viam
C præſtare: inutiliter hoc adiectum eſſe videatur. Item ſi vſufructu legato, iter ademptum ſit: inutilis eſt adéptio, quia ſemper ſequitur vſumfructum. Sed ſi vſusfructus ſit legatus, ad quem aditus nõ eſt, niſi per hæreditarium fundum: ex teſtamento vtique agendo fructuarius conſequitur, vt cum aditu ſibi præſtetur vſusfructus. Vtrum autem aditus tantùm & iter, an verò & via debeatur fructuario, legato ei vſufructu, Põponius libro quinto dubitat. Et rectè putat, prout vſusfructus perceptio deſiderat, hoc ei præſtandum. Sed an & alias vtilitates & ſeruitutes ei hæres præſtare debeat (puta luminum & aquarum) an verò non? Et puto eas ſolas præſtare compellendum, ſine quibus omnino vti non poteſt: ſed ſi cum aliquo incommodo vtatur, non eſſe præſtandas.

Vbi

Vbi petitur vsusfructus contra hæredem: iudex debet cõdemnare hæredem ad interesse deteriorationis. Baldus. D

II. POMPONIVS *lib.* V. *ad Sabinum.*

SI ab hærede ex testamento fundi vsusfructus petitus sit, qui arbores deiecisset, aut ædificium demolitus esset, aut aliquo modo deteriorem vsumfructum fecisset, aut seruitutes imponendo, aut vicinorum prædia liberando: ad iudicis religionem pertinet, vt inspiciatur, qualis ante iudicium acceptum fundus fuerit: vt vsufructuario hoc, quod interest, ab eo seruetur.

III. IVLIANVS *lib.* XXXV. *Digestorum.*

QVi vsumfructum traditum sibi ex caussa fideicommissi, desiit in vsu habere tanto tempore, quanto si legitimè eius factus esset, amissurus eum fuerit: actionem ad restituẽdum eum habere non debet. est enim absurdum, plus iuris habere eos, qui possessionem dumtaxat vsusfructus, non etiam dominium sunt adepti. E

IIII. IDEM *eodem libro.*

FVndus detracto vsufructu legatus est Titio, & eiusdem fundi vsusfructus Sempronio sub conditione. Dixi interim cum proprietate vsumfructũ esse, licet placeat, cùm detracto vsufructu fundus legatur, apud hæredem vsumfructum esse: quia cùm paterfamiliâs detracto vsufructu fundum legat, & alij vsumfructũ sub conditione nõ hoc agit, vt apud hæredem vsusfructus remaneat.

Confessoria datur fructuario: nec potest proprietarius ex persona fructuarii agere contra tertium confessoria: quia quis habet intentare ius suum, non ius tertii. sed negatoria competit domino: & sic nec possessor nec petitor habet ius in re: præualet tamẽ possessor propter modum possessionis. Baldus. F

V. VLPIANVS *lib.* XVIII. *ad Sabinum.*

VTi frui ius sibi esse, solus potest intendere, qui habet vsumfructum: dominus autem fundi nõ potest. quia qui habet proprietatem, vtendi fruẽdi ius separatũ non habet. nec enim potest ei suus fundus seruire. de suo enim, non de alieno iure quẽque agere oportet. Quanquam enim actio negatoria domino competit aduersus fructuariũ: magis tamẽ de suo iure agere videtur, quàm alieno: cùm inuito se negat ius esse vtendi fruendi fructuario,

ctuario, vel ius sibi esse prohibendi. Quòd si fortè, qui
A agit, dominus proprietatis nō sit: quāuis fructuarius ius vtendi fruendi non habet: vincet tamen iure, quo possessores potiores sunt, licet nullum ius habeat.

Iura realia possunt intentari contra quemlibet, non solùm contra eum, à quo quis habet caussam. Baldus.

Vtrum autem aduersus dominum dumtaxat in rem actio vsufructuario cōpetat, an etiam aduersus quemuis possessorem? Q. Mucius & Iulianus libro septimo Digestorum scribunt, hanc actionē aduersus quemuis possessorem ei competere. nam & si fundo fructuario seruitus debeatur: fructuarius non seruitutem, sed vsumfructum vindicare debet aduersus alterius vicini fundi dominum. Si partis fundi vsusfructus constituatur: po-
B test de eo in rem agi, siue vindicet quis vsumfructum, siue alij neget. In his autem actionibus, quæ de vsufructu aguntur, etiam fructus venire, plusquam manifestum est.

Si lite pendente moritur fructuarius, pro futuro tempore nulla fit condemnatio. Baldus.

Si post litem de vsufructu contestatam fuerit finitus vsusfructus, an vlterius fructus deberi desinant? Et puto desinere. nam & si mortuus fuerit fructuarius: hæredi eius actionem præteritorum dumtaxat fructuum dandam, Pomponius libro quadragesimo scribit. Fructua-
C rio, qui vicit, omnis caussa restituenda est. & ideo si serui fuerit vsusfructus legatus: quidquid ex re fructuarij, vel ex operis suis consecutus est, possessor restituet. Sed & si tempore fortè vsusfructus amissus est, alio quidem possidente, alio autem liti se offerente: non sufficit eum vsumfructum iterum renouare, verùm cauere quoque eum de euictione vsufructuario oportet. quid enim si seruum aut fundum is, qui possidebat, pignori dedit: isque ab eo qui accepit, iure vti prohibetur? debebit itaque habere cautum.

In confessoria & negatoria quando intentatur à non possidente, veniunt fructus: sed imponitur silentium victo. Baldus.

Sicut fructuario confessoria in rē agenti fructus prçstādi sunt: ita & proprietatis domino, si negatoria actione vta-

ne vtatur. Sed in omnibus ita demum, ſi nō ſit poſſeſſor, qui agat. nam & poſſeſſori competunt. Quòd ſi poſſidet, nihil fructuum nomine conſequentur. Quid ergo officium iudicis erit? nempe vt ſecurus fructuarius conſequatur fruendi licentiam, proprietatis dominus ne inquietetur. D

VI. PAVLVS *lib.* XXI. *ad edictum.*

QVi de vſufructu iudicium accepit, ſi deſierit poſſidere ſine dolo, abſoluetur: quòd ſi liti ſe obtulit, & quaſi poſſeſſor actionem de vſufructu accepit, damnabitur.

DE OPERIS SERVORVM. Tit. VII. E

PAVLVS *lib.* XXI. *ad edictum.*

OPera in actu conſiſtit: nec antè in rerum natura eſt, quàm ſi is dies venit, quo præſtāda eſt: quemadmodum cùm ſtipulamur, quod ex Areſcuſa natum erit.

II. VLPIANVS *lib.* XVIII. *ad Sabinū.*

OPeræ ſerui legatæ capitis deminutione non amittuntur.

III. CAIVS *lib.* VI. *ad edictum prouinciale.*

IN hominis vſufructu operæ ſunt, & ob operas mercedes.

IIII. IDEM *lib.* VI. *ad edictum vrbicum, titulo de liberali cauſſa.* F

FRuctus hominis in operis conſiſtit, & retro in fructu hominis operæ ſunt. Et vt in cæteris rebus fructus, deductis neceſſariis impenſis, intelligitur: ita & in operis ſeruorum.

V. TERENTIVS CLEMENS *lib.* XVIII. *ad* L. *Iuliam & Papiam.*

OPeris ſerui legatis, vſum datum intelligi, & ego didici, & Iulianus exiſtimat.

VI. PAVLVS *lib.* XXI. *ad edictum.*

CVm de operis ſerui artificis agitur, pro modo reſtituēdæ ſunt: ſed mediaſtini, ſecundum miniſterium, & ita Mela ſcribit. Si minor annis quinque, vel debilis ſer-

lis ſeruus ſit, vel quis alius, cuius nulla opera eſſe apud
A dominum potuit: nulla æſtimatio fiet. Item voluptatis vel affectionis æſtimatio non habebitur: veluti ſi dilexerit eum dominus, aut in deliciis habuerit. Cæterùm deductis neceſſariis impenſis fiet æſtimatio.

DE VSV ET HABITATIONE. Tit. VIII.

CAIVS *lib.* VII. *ad edictum prouinciale.*

NVnc videndum de vſu & habitatione. Conſtituitur enim & nudus vſus, id eſt ſine fructu: qui & ipſe eiſdem modis conſtitui ſolet, quibus & vſusfructus.

B II. VLPIANVS *lib.* XVIII. *ad Sabinũ.*

CVi vſus relictus eſt, vti poteſt, frui verò non poteſt: & de ſingulis videndum. Domus vſus aut eſt relictus marito, aut mulieri. ſi marito: poteſt illic habitare nec ſolus, verùm cum familia quoque ſua. an & cum libertis, fuit quæſtionis? & Celſus ſcripſit, etiam cum libertis. poſſe hoſpitem quoque recipere. nam ita libro ſeptimo digeſtorum ſcripſit. quam ſententiam & Tubero probat. Sed an & inquilinum recipere poſſit, apud Labeonem memini tractatum libris poſteriorum. & ait Labeo eum, qui ipſe habitat, inquilinum poſſe recipere. Itẽ & hoſpitem, & libertos ſuos,

C III. PAVLVS *lib.* III. *ad Vitellium.*

ET clientes.

IIII. VLPIANVS *lib.* XVIII. *ad Sabinum.*

CAeterùm ſine eo ne hos quidẽ habitare poſſe. Proculus autem de inquilino notat, non bellè inquilinum dici, qui cum eo habitat. & ſecundum hæc & ſi pẽſionem habitationis percipiat, dum ipſe quoque inhabitat, non erit ei inuidendum. quid enim ſi tam ſpacioſæ domus vſus ſit relictus homini mediocri, vt portiuncula contentus ſit? Sed & cum his, quos loco ſeruorum in operis habet, habitabit: licet liberi ſint, vel ſerui alieni.

Mulieri autem ſi vſus relictus ſit: poſſe eam & cũ marito habitare, Quintus Mutius primus admiſit: ne ei matrimonio carendum foret, cum vti vult domo. Nam per

contra-

contrarium, quin vxor cum marito possit habitare, nec dubitatum fuit. Quid ergo si viduæ legatus sit: an nuptiis contractis, post vsum constitutum mulier habitare cum marito possit? Et verum est (vt & Pomponius libro quinto, & Papinianus libro decimonono quæstionum probat) posse eam cum viro & postea nubentem habitare. Hoc amplius Pomponius ait, & cum socero habitaturam. D

V. PAVLVS *lib.* III. *ad Sabinum.*

IMo & socer cum nuru habitabit, hoc vtique cum viro iuncta sit.

VI. VLPIANVS *lib.* XVIII. *ad Sabinum.*

NOn solùm autem cum marito, sed etiam cum liberis, libertisque habitare, & cum parentibus poterit: vt Aristo notat apud Sabinum. Et huc vsq; erit procedendum, vt eosdem, quos masculi reciperent, & mulieres possint. E

VII. POMPONIVS *lib.* V. *ad Sabinum.*

NOn aliter autem mulier hospitem recipere potest, quàm si is sit, qui honestè cum ea, quæ vsum habet, habitaturus sit.

VIII. VLPIANVS *lib.* XVIII. *ad Sabinum.*

SEd neque locabunt seorsum, neque concedent habitationem sine se, nec vẽdent vsum. Sed si vsus ædiũ mulieri legatus sit ea conditione, SI A VIRO DIVERTISSET: remittendam ei conditionem, & cum viro habitaturam, Pomponius libro quinto probat. F

IX. PAVLVS *lib.* III. *ad Sabinum.*

CAeterarum quoque rerum vsu legato, dicẽdum est, vxorem cum viro in promiscuo vsu eas res habere posse.

X. VLPIANVS *lib.* XVIII. *ad Sabinum.*

SI habitatio legetur, an perinde sit, atq; si vsus: quæritur. Et effectu quidem idem penè esse legatũ vsus & habitationis, etiam Papinianus consensit libro decimo octauo quæstionum. Denique donare non poterit: sed eas personas recipiet, quas & vsuarius. ad hæredem tamen nec ipsa transit: nec non vtendo amittitur, nec capitis deminutione. Sed si χρῆσις sit relicta, an vsus sit, videndum.

videndum. & Papinianus libro ſeptimo reſponſorũ ait,
A vſum eſſe,nõ etiam fructum relictum . Sed & ſi relictus ſit illi domus vſufructus habitandi cauſſa : vtrum habitationem ſolam,an verò & vſumfructum habeat, videndum.Et Priſcus Neratius putat,ſolam habitationem legatam,quod eſt verum.Planè ſi dixiſſet teſtator,VSVM HABITANDI CAVSSA: non dubitaremus, quin valeret.Vtrum autem vnius anni ſit habitatio , an vſque ad vitam:apud veteres quæſitum eſt.Et Rutilius, donec viuat,habitationem competere ait . quam ſententiam & Celſus probat libro decimo octauo digeſtorum. Si vſus fundi ſit relictus:minus vtique eſſe , quàm fructum, longeque diſtare,nemo dubitat.ſed quid in ea cauſſa ſit,
B videndum . Et Labeo ait , habitare eum in fundo poſſe, dominumque prohibiturum illò venire : ſed colonum non prohibiturum,nec familiam,quæ agri colendi cauſſa illic ſit. Cæterùm ſi vrbanam familiam illò mittat,qua ratione ipſe prohibetur,& familiam prohibẽdam, eiuſdem rationis eſt . Idẽ Labeo ait ,& cella vinaria & olearia eum ſolùm vſurum : dominum verò inuito eo nõ vſurum.

XI. CAIVS *lib.* III. *rerũ quotidianarũ ſiue aureorũ.*

IN eóque fundo hactenꝰ ei morari licet, vt neque domino fundi moleſtus ſit: neque his,per quos opera ruſtica fiunt,impedimento : nec vlli alij ius , quod habet,
C aut vendere,aut locare,aut gratis concedere poteſt.

XII. VLPIANVS *lib.* XVIII. *ad Sabinum.*

PLenum autem vſum habere debet,ſi & villæ,& prætorij relictus eſt . Venire planè poſſe proprietarium ad fructus percipiendos,magis dicendum eſt: & per ipſa tempora fructuum colligendorum etiam habitare illic poſſe , admittendum eſt. Præter habitationem autem,quam habet,cui vſus datus eſt : deambulandi quoque,& geſtandi ius habebit.Sabinus & Caſſius etiam lignis ad vſum quotidianum,& horto,& pomis,& holeribus,& floribus , & aqua vſurum:non vſque ad compendium,ſed ad vſum,non ad abuſum.idem Nerua:& adiicit,ſtramentis etiam vſurum: ſed neque foliis, neque oleo,neque frumento,neque frugibus vſurum.Sed Sabinus &

nus & Cassius, Labeo & Proculus hoc amplius: ex his, quæ in fundo nascuntur, quod ad victũ sibi suisque sufficiat, sumpturum: etiam ex his, quæ Nerua negauit. Iuuentius autem etiam cum conuiuis & hospitibus posse vti. quæ sententia mihi vera esse videtur. Aliquo modo enim largius cum vsuario agendum est pro dignitate eius, cui relictus est vsus. Sed vtetur his (vt puto) dumtaxat in villa. Pomis autem, & holeribus, & floribus, & lignis videndum, vtrum eodem loco vtatur dumtaxat, an etiam in oppidum ei deferri possint. Sed melius est accipere, & in oppidum deferenda. neque enim graue onus est eorum, si abundent in fundo. Sed & si pecoris ei relictus vsus est (puta gregis ouilis) ad stercorãdum vsurum dumtaxat, Labeo ait: sed neque lana, neque lacte, neque agnis vsurum. hęc enim magis in fructu esse. Hoc amplius etiam modico lacte vsurum puto. neque enim tam strictè interpretandę sunt voluntates defunctorum. D E

Sed & si boum armenti vsus relinquatur: omnẽ vsum habebit, & ad arandum, & ad cætera, ad quæ boues apti sunt.

Nota quòd verba testatoris debent intelligi secundum conditionẽ personæ cui datur, seu ad quem dispositio confertur.

Equitij quoque legato vsu, videndum ne & domare possit, & ad vehendũ sub iugo vti. Et si fortè auriga fuerit, cui vsus equorum relictus est: non puto eum in Circensibus iis vsurum, quia quasi locare eos videtur. Sed si testator sciens eum huius esse instituti & vitæ, reliquit: videbitur de hoc etiam vsu sensisse. Si vsus ministerij alicui fuerit relictus, ad suum ministerium vtetur, & liberorum, coniugisque: nec videbitur alij concessisse, si simul cum ipsis vtatur. quamquam si filiofamiliâs vsus serui sit relictus, vel seruo: patri dominóve adquisitus, in ipsius dumtaxat vsum exigatur, non etiam eorũ, qui sunt in potestate. Operas autem serui vsuarij nõ locabit, neque alij vtendas concedet, & ita Labeo. quemadmodum enim concedere alij operas poterit, cùm ipse tantùm vti debeat? Idem tamen Labeo putat, si fundum conduxerit quis, vsuariũ seruum ibi posse operari. quid enim interest, in quam rem opera eius vtatur? Quarè si F

lanam

lanam conduxerit vſuarius expediendam, poterit etiam A per vſuarias ancillas opus perficere. Itemq́; ſi veſtiméta texenda redemerit, vel inſulam, vel nauem fabricãdam: poterit ad hæc operis vti vſuarius. nec offendetur illa Sabini ſententia: ancillæ vſu dato, ad lanificium eam nõ admitti, nec ex operis mercedem capi, ſed ſibi lanam facere iure cogere. ſibi enim facere videbitur, qui non operas eius locabit, ſed opus, quod conduxit, expediet. Idem & Octauenus probat.

XIII. CAIVS *lib.* VII. *ad edictum prouinciale.*

SEd & ipſi ſeruo ancillæúe pro operis mercedem imponi poſſe, Labeoni placet.

Per ſeruum vſuarium adquiritur ex re nõ ex opera: ſed per vſu- B *fructuarium adquiritur vtroque modo.* Bar.

XIIII. VLPIANVS *lib.* XVIII. *ad Sabinum.*

PEr ſeruum vſuarium ſi ſtipuler, vel per traditionem accipiam, an adquiram, quæritur: ſi ex re mea, vel ex operis eius? Et ſiquidem ex operis eius, non valebit: quoniam nec locare eius operas poſſumus. ſed ſi ex re mea: dicimus ſeruum vſuarium ſtipulantem, vel per traditionem accipientem, mihi adquirere, cùm hac opera eius vtar.

Qui legat fructum, videtur legare vſumfructum: quia vſus fruitioni ineſt ex neceßitate: & ſi teſtator legat vſumfructum ſine vſu: ita quod in legando adimat vſum qui eſt de ſubſtantia legati, non C *tenet legatum: ſecus ſi poſt legatum adimat: quia non tenet ademptio. h. d.* Baldus.

Vſusfructus, an fructus legetur, nihil intereſt. nam fructui & vſus ineſt, vſui fructus deeſt: & fructus quidem ſine vſu eſſe non poteſt, vſus ſine fructu poteſt. Denique ſi tibi fructus deducto vſu legatus eſt: inutile eſſe legatum, Pomponius libro quinto ad Sabinum ſcribit. Et ſi fortè vſufructu legato, fructus adimatur: totum videri ademptum ſcribit. ſed ſi de fructu ſine vſu ſenſit, vſum videri conſtitutum: quia & initio conſtitui poteſt. Sed ſi vſufructu legato, vſus adimatur: Ariſto ſcribit, nullam eſſe ademptionem. quæ ſententia benignior eſt. Vſu legato, ſi eidem fructus legetur, Pomponius ait, confundi eum cum vſu. Idem ait, & ſi tibi vſus, mihi fructus lege-

tur: concurrere nos in vſum, me ſolum fructum habiturum. Poterit autem apud alium eſſe vſus, apud alium fructus ſine vſu, apud alium proprietas: veluti ſi is, qui habet fundum, vſum Titio legauerit: mox hæres eius tibi fructum legauerit, vel alio modo conſtituerit. D

XV. PAVLVS *lib. III. ad Sabinum.*

FVndi vſu legato, licebit vſuario & ex penu, quod in annum dumtaxat ſufficiat, capere: licet mediocris prædij eo modo fructus conſumantur: quia & domo & ſeruo ita vteretur, vt nihil alij fructuum nomine ſupereſſet. Sicut is, cui vſus fundi legatus eſt, quò minus dominus agri colendi cauſſa ibi verſetur, prohibere nõ poteſt (alioquin & frui dominum prohiberet) ita nec hæres quidquam facere debet, quò minus is, cui vſus legatus eſt, vtatur, vt bonus paterfamiliâs vti debet. E

XVI. POMPONIVS *lib. V. ad Sabinum.*

SI ita legat⁹ eſſet vſus fundi, VT INSTRVCTVS EST: earum rerum, quæ in inſtrumento eſſent, perinde vſus ad legatarium pertineret, ac ſi nominatim earum rerum vſus legatus fuiſſet. Dominus proprietatis, etiam inuito vſufructuario vel vſuario, fundũ vel ædes per ſaltuarium vel inſularium cuſtodire poterit. intereſt enim eius fines prædij tueri. Eaque omnia dicenda ſunt, quolibet modo conſtitutus vſusfructus vel vſus fuerit. Seruo, cuius vſum dumtaxat, nõ etiam fructum habemus, poteſt à nobis quid donari: vel etiam ex pecunia noſtra negociatio permitti, vt quidquid eo modo adquiſierit, in peculio noſtro ſit. F

XVII. AFRICANVS *lib V. Quæſtionum.*

FIliofamiliâs vel ſeruo ædium vſu legato, vtile legatum eſſe exiſtimo: & eodem modo perſecutionem eius competituram, quo competeret, ſi fructus quoque legatus eſſet. itaque non minus abſente, quàm præſente filio ſeruóue, pater dominúſue in his ædibus habitabit.

XVIII. PAVLVS *lib. IX. ad Plautium.*

SI domus vſus legatus ſit ſine fructu: communis refectio eſt in ſartis tectis tam hæredis, quàm vſuarij. Videamus tamen, ne ſi fructum hæres accipiat, ipſe reficere debeat. ſi verò talis res ſit, cuius vſus legatus eſt, vt

hæres

hæres fructum percipere non poſſit: legatarius reficere cogendus ſit. quæ diſtinctio rationem habet.

A *Seruitus vſus eſt eſſentialiter indiuidua: ſeruitus vſusfructus eſt diuidua.* Bal.

XIX. IDEM *lib.* III. *ad Vitellium.*

VSus pars legari non poteſt. nam frui quidem pro parte poſſumus, vti pro parte non poſſumus.

XX. MARCELLVS *lib.* XII. *Digeſtorum.*

SEruus, cuius mihi vſus legatus eſt, adquirit mihi, ſi inſtitor ſit, & operis eius vtar in taberna. nam mercibus vendendis emendiſque adquirit mihi. Sed & ſi iuſſu meo per traditionem accipiat.

XXI. MODESTINVS *lib.* II. *Regularum.*

B VSus aquæ perſonalis eſt, & ideò ad hæredem vſuarij tranſmitti non poteſt.

XXII. POMPONIVS *lib.* V. *ad Quint. Mutium.*

DIuus Hadrianus, cùm quibuſdam vſus ſyluæ legatus eſſet, ſtatuit fructum quoque eis legatum videri: quia niſi liceret legatariis cædere ſyluam & vendere, quemadmodum fructuariis licet: nihil habituri eſſent ex eo legato.

Facultas alicui competens non eſt anguſtanda ſeu arctāda: quia etiam magnum ius in habilitate & potentialitate conſiſtit, & magnum intereſſe verſatur. Bart.

Licet tam anguſtus eſt legatarius, cui domus vſus le-C gatus eſt, vt non poſſit occupare totius domus vſum: tamen eis, quæ vacabunt, proprietarius non vtetur, quia licebit vſuario & aliis temporibus tota domo vti: cũ interdum domini quoque ædium (prout temporis conditio exigit) quibuſdam vtantur, quibuſdam non vtantur.

Vſu legato, ſi plus ſit vſus legatarius, quàm oportet: officio iudicis, qui iudicat, quemadmodum vtatur: continetur, ne aliter, quàm debet, vtatur.

XXIII. PAVLVS *lib.* II. *ad Neratium.*

NEratius ait: vſuariæ rei ſpeciem is, cuius proprietas eſt, nullo modo commutare poteſt. deteriorem enim cauſſam vſuarij facere non poteſt. PAVLVS. facit autem deteriorem, & in meliorem ſtatum commutando.

VSVFRVCTVARIVS QVEM- admodum caueat. Tit. IX. D

VLPIANVS *lib.* LXXIX. *ad edictum.*

SI cuius rei vſusfructus legatus ſit: æquiſſimum prætori viſum eſt, de vtroque legatarium cauere: & vſurum ſe boni viri arbitratu, & cùm vſusfructus ad eum pertinere deſinet, reſtituturũ quod inde exſtabit. Hæc ſtipulatio, ſiue mobilis ſit res, ſiue ſoli, interponi debet. Illud ſciendum eſt, ad fideicommiſſa etiam aptari eam debere. Planè & ſi mortis cauſſa donatione vſusfructus conſtituatur: exemplo legatorum, debebit hæc cautio præſtari. ſed & ſi ex alia quacumque cauſſa conſtitutus fuerit vſusfructus, idem dicendum eſt. E Cauere autem debet, boni viri arbitratu perceptum iri vſumfructum: hoc eſt, non deteriorem ſe cauſſam vſusfructus facturum: cæteraque facturum, quæ in re ſua faceret. Rectè autem facient hæres & legatarius, qualis res ſit, cum incipit frui legatarius, ſi in teſtatum redegerint: vt inde poſſit apparere, an & quatenus rem peiorem legatarius fecerit. Vtilius autem viſum eſt, ſtipulatione de hoc caueri: vt ſi quis non boni viri arbitratu vtatur, committatur ſtipulatio ſtatim: nec expectandum ſit, dum vt amittatur vſusfructus. Habet autem ſtipulatio iſta duas cauſſas: vnam, ſi aliter quis vtatur, quàm vir bonus arbitrabitur: aliam de vſufructu F reſtituendo. quarum prior ſtatim committitur, quàm aliter fuerit vſus, & ſæpiſſimè committetur: ſequens committitur finito vſufructu. Sed quod diximus, id quod inde exſtabit, reſtitui: non ipſam rem ſtipulatur proprietarius (inutiliter enim rem ſuam ſtipulari videretur) ſed ſtipulatur reſtitui, quod inde exſtabit. Interdũ etiam inerit proprietatis æſtimatio, ſi fortè fructuarius, cùm poſſit vſucapionem interpellare, neglexerit. omnem enim rei curam ſuſcipit.

II. PAVLVS *lib.* XXV. *ad edictum.*

NAm fructuarius cuſtodiam præſtare debet.

III. VLPIANVS *lib.* LXXIX. *ad edictum.*

Omnes

A OMnes autem caſus continentur hac ſtipulatione, quibus vſusfructus amittitur. Deſinere pertinere vſumfructum accipiemus, & ſi nec cœperit pertinere, quamuis legatus ſit: & committetur nihilominus ſtipulatio, quaſi deſinat pertinere, quod nec cœperit.

Si vſusfructus repetitus erit legato, quotieſcumque amiſſus fuerit (niſi vtiliter fuerit cautum) committetur iſta ſtipulatio: ſed exceptione opus erit. Sed & ſi quis vſumfructum tibi legauerit, & ſub conditione SI LIBEROS HABVERIS proprietatem: amiſſo vſufructu, ſtipulatio committetur: ſed exceptio locum habebit. Si hæres alienauerit ante proprietatem, & poſtea amittatur vſusfructus: an ex ſtipulatu agere poſſit, B videamus. Et fortius dici poterit, ipſo iure non committi ſtipulationem: quia neque hæredi, ſucceſſori búſue eius reſtitui poteſt: neque is, cui poteſt, id eſt ad quem peruenit proprietas, pertinet ad ſtipulationem. Sed is, ad quem peruenit proprietas, tempore quæſiti dominij proſpicere ſibi alia cautione debet, quod & ſi non fecerit, nihilominus in rem actione vti poteſt.

IIII. VENVLEIVS *lib.* VIII. *Stipulationum.*

SI fructuarius proprietatem adſecutus fuerit: deſinit quidem vſusfructus ad eum pertinere, propter confuſionem. ſed ſi ex ſtipulatu cũ eo agatur: aut ipſo iure inutiliter agi dicendum eſt, ſi boni viri arbitrium huc C vſque porrigitur: aut in factum excipere debebit.

V. VLPIANVS *lib.* LXXIX. *ad edictum.*

HAc ſtipulatione dolum malum abeſſe, abſuturumque eſſe, continetur. Et cùm in rem ſit doli mali mentio concepta: omnium dolum comprehendere videtur, ſucceſſorum, & adoptiui patris. Sed & ſi vſus ſine fructu legatus erit, adempta fructus cauſſa, ſatiſdare iubet prætor. hoc meritò: vt de ſolo vſu, non etiam de fructu caueatur. Ergo & ſi fructus ſine vſu obtigerit, ſtipulatio locum habebit. Sed & ſi habitatio, vel operæ hominis, vel cuius alterius animalis relictæ fuerint, ſtipulatio locum habebit: licet hæc vſumfructum per omnia non imitentur.

VI. PAVLVS *lib.* LXXV. *ad edictum.*

IDem eſt & in reditu prædij: ſicuti ſi vindemia legata ſit, vel meſſis: quamuis ex vſufructu ea percipiantur, morteque legatarij ad hæredem redeant. D

VII. VLPIANVS *lib.* LXXIX. *ad edictum.*

Ca. 10. *de vſufr. ear. rer. quæ vſ. con.* SI vſusfructus nomine tradita re ſatiſdatū nō fuerit: Proculus ait, poſſe hæredē rē vindicare: & ſi obiiciatur exceptio de re vſusfructus nomine tradita, replicandum eſſe. quæ ſententia habet rationem. ſed & ipſa ſtipulatio condici poterit. Cùm vſusfructus pecuniæ legatus eſt, exprimi debent hi duo caſus in ſtipulatione: CVM MORIERIS, AVT CAPITE MINVTVS ERIS, DARI. idcirco hi duo ſoli caſus: quoniā pecuniæ vſus aliter amitti nō poteſt, q̃ his caſibus.

VIII. PAVLVS *lib.* LXXV. *ad edictum.* E

SI tibi vſusfructus, & mihi proprietas legata ſit, mihi cauendum eſt. Sed ſi mihi ſub conditione legata ſit: quidam (vt Marcianus) & hęredi, & mihi cauendum eſſe putant. quæ ſentētia vera eſt. Item ſi mihi legata ſit, & cū ad me pertinere deſierit, alij: & hic vtriſque cauēdū (vt ſuprà) placuit. Quòd ſi duobus coniunctim vſusfructus legatus ſit: inuicem ſibi cauere debebunt, & hæredi in caſum illum, SI AD SOCIVM NON PERTINEAT VSVSFRVCTVS, HAEREDI REDDI.

IX. VLPIANVS *lib.* LI. *ad edictum.*

SI vſusfructus mihi legatus ſit, eumque reſtituere ſim Titio rogatus: videndum eſt, quis debeat cauere: vtrū Titius, an ego, qui legatarius ſū. An illud dicim⁹, mecum hæredem acturum, vt caueat: & cū fideicōmiſſario me agere debere? Et eſt expediti⁹ hoc dicere: ſi mihi ſpes aliqua durat vſusfructus, & cū tu amiſeris, poteſt ad me recidere, id eſt, ad legatarium: ita rē expediri, vt tu mihi, ego domino proprietatis caueam. Quod ſi fideicōmiſſarij cauſſa fructus mihi relictus eſt, nec eſt vlla ſpes ad me reuertendi vſusfructus: recta via fideicōmiſſarium cauere oportet domino proprietatis. Illud ſciendū eſt: ſiue iure ipſo quis vſumfructū habeat, ſiue etiā per tuitionē prætoris: nihilominus cogēdū eſſe, fructuariū cauere, aut actiones ſuſcipere. Planè ſi ex die proprietas alicui legata ſit, vſusfructus purè: dicendum eſſe F

eſſe Pomponius ait, remittendam hanc cautionem fru-
A ctuario: quia certum ſit, ad eum proprietatem, vel ad hæredem eius peruenturam. Si veſtis vſusfructus legatus ſit: ſcripſit Pomponius, quanquàm hæres ſtipulatus ſit, finito vſufructu, veſtem reddi: attamen non obligari promiſſorem, ſi eam ſine dolo malo attritam reddiderit. Si plures domini ſint proprietatis, vnuſquiſq; pro ſua parte ſtipulabitur.

X. PAVLVS *lib.* XL. *ad edictum.*

SI ſerui, qui nobis communis erat, vſumfructum tibi legauero: neceſſaria erit hæc cautio hæredi meo. quamuis enim de proprietate poſſit communi diuidundo iudicio experiri: tamen cauſſa vſusfructus, qui tuus
B proprius eſt, ad officium communi diuidundo iudicis non pertinebit.

x Etiam cohabitans cum proprio debet ei cauere de vtendo arbitrio boni viri. Baldus.

XI. PAPINIANVS *lib.* VII. *Reſponſorum.*

VSu quoque domus relicto, boni viri arbitratu cautionem interponi oportet. Nec mutatur, ſi pater hæredes filios ſimul habitare cum vxore legataria voluit.

Nemo condicit rem ſuam præterquam à fure. ad hoc allegatur. vel ſic. omnis condictio degenerat contra furem. Baldus.

C XII. VLPIANVS *lib.* XVIII. *ad Sabinum.*

SI vaſorum vſusfructus relictus ſit: non erit cautio ſenatuſcõſulti neceſſaria, ſed illa ſola, BONI VIRI ARBITRATV SE VSVRVM FRVITVRVM. Si igitur tradita ſunt fruendi cauſſa: nemo dubitat, non fieri eius, qui accipit. non enim ideo traduntur, vt dominium recedat ab eo, qui tradit: ſed vt vtatur fruatur legatarius. ergo cùm non fiant fructuarij vaſa: vindicari à proprietario poſſunt, cautione non data. videndum eſt de condictione, an poſſit locum habere. & proditum eſt, neminem rem ſuam, niſi furi condicere poſſe.

DIGESTORVM SEV PANdectarum liber octauus. D

DE SERVITVTIBVS. Titu. I.

I. MARCIANVS *lib.* II. *Regularum.*

SERVITVTES aut personarum sunt, vt vsus, vt vsusfructus: aut rerum, vt seruitutes rusticorum prædiorum & vrbanorum.

II. VLPIANVS *lib.* XVII. *ad edictum.* E

VNus ex dominis cõmuniũ ædiũ seruitutẽ impónere nõ potest. III. PAVLVS *lib.* XXI. *ad edictum.*

SEruitutes prædiorum aliæ in solo, aliæ in superficie consistunt.

Seruitus non potest exstingui tempore vel conditione, neque constitui ex tempore ipso iure, sed ope exceptionis.

IIII. PAPINIANVS *lib.* VII. *Quæstionum.*

SEruitutes ipso quidem iure neque ex tempore, neq; ad tempus, neque sub conditione, neque ad certam conditionem (verbi gratia, QVÀM DIV VOLAM) constitui possunt. Sed tamen si hæc adiiciantur: per pacti, vel per doli exceptionem occurretur contra placita seruitutem vindicanti: idq́ue & Sabinum respondisse Cassius retulit, & sibi placere. F

Seruitutes & earum vsus possunt modificari in ipsa constitutione: licet non exstingui. Bartolus.

Modum adiici seruitutibus posse constat: veluti quo genere vehiculi agatur, vel vt equo dumtaxat, aut certum pondus vehatur, vel vt grex ille traducatur, aut carbo portetur. Interualla quoque dierum & horarũ non ad temporis caussam, sed ad modum pertinent iure constitutæ seruitutis.

Seruitus prædialis potest cõstitui eisdẽ modis quib⁹ personalis. B.

V. CAIVS *lib.* VII. *ad edictum prouinciale.*

Via,

Via, iter, actus, aquæductus eisdem ferè modis constituuntur, quibus & vsumfructũ constitui dixim⁹.
A Vsus seruitutum temporibus secerni potest: fortè vt quis post horã tertiam vsque in horam decimam eo iure vtatur, vel vt alternis diebus vtatur.

VI. PAVLVS *lib.* XXI. *ad edictum.*

AD certam partem fundi seruitus tam remitti, quàm constitui potest.

VII. VLPIANVS *lib.* XIII. *ad L. Iuliã & Papiã.*

IVs cloacæ mittendæ seruitus est.

VIII. IDEM *lib.* XV. *ad Plautium.*

VT pomum decerpere liceat, vt spaciari, vt cœnare in alieno possimus: seruitus imponi non potest.
B Si prædium tuum mihi seruiat: siue ego partis prædij tui dominus esse cœpero, siue tu mei: per partes quidẽ seruitus retinetur, licet ab initio per partes adquiri nõ poterat.

Verba contractus debent ciuiliter intelligi: & qui semel locum eligit, variare non potest. Vel sic. ius seruitutis respicit fundum & quamlibet partem eius. Idem in eius vsu ab initio: sed cùm per certum locum cœperit, non poterit postea variare. Bartolus.

IX. CELSVS *lib.* V. *Digestorum.*

SI cui simpliciter via per fundum cuiuspiam cedatur, vel relinquatur: in infinito, videlicet per quamlibet eius partem, ire agere licebit: modò ciuiliter. Nam quędam in sermone tacitè excipiuntur. non enim per villam
C ipsam, nec per medias vineas ire agere sinendus est: cùm id æquè commodè per alteram partem facere possit, & minore seruientis fundi detrimento. Verum constitit: vt quà primùm viam direxisset, ea demum ire agere deberet, nec amplius mutandæ eius potestatem haberet. sic & Sabino quoque videbatur, qui argumento riui vtebatur, quem primo, quà liberet, ducere licuisset: postea, quàm ductus esset, transferre non liceret. quod & in via seruandum esse, verum est.

X. IDEM *lib.* XVIII. *Digestorum.*

SI iter legatum sit, quà, nisi opere facto, iri non possit: licere fodiendo, substruendo iter facere, Proculus ait.

Seruitus nõ potest adquiri pro parte, & actus nõ perfectus vitiatur si deuenitur ad eum casum, à quo non potuit inchoari. Bar. D

XI. MODESTINUS *lib.* VI. *Differentiarum*

PRo parte dominij seruitutem adquiri non posse, vulgo traditur. Et ideo si quis fundum habens, viam stipuletur, & partem fundi sui postea alienet: corrumpit stipulationem, in eum casum deducendo, à quo stipulatio incipere nõ possit. Pro parte quoq; neq; legari, neq; adimi via potest: etsi id factum sit, neque legatum, neque ademptio valet.

XII. IABOLENUS *lib.* IIII. ἐπιστολῶν.

NOn dubito, quin fundo municipum per seruum rectè seruitus adquiratur.

In seruitutibus realibus si non valet quod ago, vt ago: valeat vt valere potest. Bartolus. E

XIII. POMPONIUS *lib.* XIIII. *ad Quint. Mutium.*

SI tam angusti loci demonstratione facta, via concessa fuerit, vt neque vehiculum, neque iumentũ ea inire possit: iter magis, quàm via, aut actus adquisitus videbitur. Sed si iumentum per eam duci poterit, non etiã vehiculum: actus videbitur adquisitus.

Incorporalia quæ non habent caussam continuam, non vsucapiũtur. vel sic. Incorporalia non habentia caussam continuam non possunt præscribi. Bartolus.

XIIII. PAULUS *lib.* XV. *ad Sabinum.*

SEruitutes prædiorum rusticorum etsi corporibus accedunt, incorporales tamen sunt, & idcirco vsu non capiuntur: vel ideo, quia tales sunt seruitutes, vt nõ habeant certam cõtinuamq; possessionem. nemo enim tam perpetuo, tamque continenter ire potest, vt nullo momento possessio eius interpellari videatur. Idẽ & in seruitutibus prædiorum vrbanorum obseruatur. Seruitus itineris ad sepulchrum, priuati iuris manet: & ideo remitti domino fundi seruientis, & adquiri etiam post religionem sepulchri hæc seruitus potest. Publico loco interueniente, vel via publica, haustus seruitus imponi potest, aquæ ductus non potest. à principe tamen peti solet, vt per viam publicam aquam ducere sine incommodo publico liceat. Sacri & religiosi loci interuentus, F

uentus, etiam itineris ſeruitutem impedit: cùm ſeruitus
A per ea loca nulli deberi poteſt.

Non poteſt imponi ſeruitus de eo quod fundi vtilitatem non reſpicit. Bartolus.

XV. POMPONIVS *lib.* XXXIII. *ad Sabinum.*

QVoties nec hominum, nec prædiorum ſeruitutes ſunt (quia nihil vicinorum intereſt) non valét: veluti ne per fundum tuum eas, aut ne ibi conſiſtas. & ideo ſi mihi concedas, ius tibi non eſſe fundo tuo vti frui, nihil agitur: aliter atque ſi mihi cócedas, ius tibi non eſſe in fundo tuo aquam quærere, minuédæ aquæ meæ gratia. Seruitutum non ea natura eſt, vt aliquid faciat quis: veluti viridiaria tollat, aut amæniorem proſpectum præſtet, aut in hoc vt in ſuo pingat: ſed vt
B patiatur, aut non faciat aliquid.

Creditori & emphyteutæ competit vtilis actio pro ſeruitute. Bar.

XVI. IVLIANVS *lib.* XLIX. *Digeſtorum.*

EI qui pignori fundum accepit, non eſt iniquum vtilem petitioné ſeruitutis dari, ſicuti ipſius fundi vtilis petitio datur. Idemque ſeruari conuenit & in eo, ad quem vectigalis fundus pertinet.

Seruitutes ſunt indiuiduæ: & tranſeunt in hæredes inſolidum actiuè & paſſiuè. Bartolus.

XVII. POMPONIVS *lib. ſingulari Regularum.*

C VIæ, itineris actus, aquæ ductus pars, in obligationem deduci non poteſt: quia vſus eorum indiuiſus eſt. Et ideo ſi ſtipulator deceſſerit, pluribus hæredibus relictis, ſinguli inſolidum viam petunt: & ſi promiſſor deceſſerit, pluribus hæredibus relictis, à ſingulis hæredibus ſolida petitio eſt.

Seruitus confuſa aditione, debet per legatarium reſtaurari. Bar.

XVIII. PAVLVS *lib.* XXXI. *Quæſtionum Papiniani notat.*

IN omnibus ſeruitutibus, quæ aditione confuſæ ſunt, reſpóſum eſt: doli exceptionem nocituram legatario, ſi non patiatur eas iterum imponi.

Poteſt imponi ſeruitus de eo quod non intereſt tunc, ſed ſperatur intereſſe in futurum. Bar.

XIX. LABEO *lib.* IIII. *poſteriorum à Iaboleno epitomatorum.* D

SI fundo, quem quis vendit, ſeruitutem imponi (etſi non ſit vtilis) poſſe exiſtimo: veluti ſi aquam alicui ducere non expediret, nihilominus conſtitui ea ſeruitus poſſit. quædam enim habere poſſumus, quamuis ea nobis vtilia non ſunt.

Qui debet ſeruitutem, debet pati aduerſarium vti: quod pro traditione habetur. Bartolus.

XX. IABOLENVS *lib.* V. *ex poſterioribus* Labeonis.

QVoties via, aut aliquod ius fundi emeretur, cauendum eſſe putat Labeo, PER TE NON FIERI, QVÒ MINVS EO IVRE VTI POSSIM: quia nulla eiuſmodi iuris vacua traditio eſſet. Ego puto, vſum eius iuris pro traditione poſſeſſionis accipiendum eſſe: ideóque & interdicta veluti poſſeſſoria conſtituta ſunt. E

DE SERVITVTIBVS VRBANOrum prædiorum. *Titulus* II.

PAVLVS *lib.* XXI. *ad edictum.*

SI intercedat ſolum publicum, vel via publica: neque itineris actúſve, neque altius tollẽdi ſeruitutes impedit: ſed immittẽdi, protegendi, proiiciendi. Item fluminum & ſtillicidiorũ ſeruitutem impedit: quia cœlum, quod ſupra id ſolum intercedit, liberum eſſe debet. Si vſusfructus tuus ſit, ædium proprietas mea, quæ onera vicini ſuſtinere debeant: mecum inſolidum agi poteſt, tecum verò nullo modo. F

II. CAIVS *lib.* VII. *ad edictum prouinciale.*

VRbanorũ prædiorum iura talia ſunt: altius tollendi, & officiendi luminibus vicini, aut non extollendi. item ſtillicidium auertendi in tectum, vel aream vicini, aut non auertendi. item immittendi tigna in parietem vicini: & denique proiiciendi, protegendíve, cæteráque iſtis ſimilia.

III. VLPIANVS *lib.* XXIX. *ad Sabinum.*

EST & hæc ſeruitus eorum, ne proſpectui officiatur.

IIII. PAVLVS *lib.* II. *Institutionum.*

A Luminum seruitute cõstituta, id adquisitum videtur, vt vicinus lumina vicini excipiat. cùm autem seruit⁹ imponitur, NE LVMINIBVS OFFICIATVR: hoc maximè adeptum videbitur, ne ius sit vicino inuitis nobis, altius ædificare, atque ita minuere lumina nostrorum ædificiorum.

Qui non consentit videtur contradicere. Bartolus

V. VLPIANVS *lib.* VIII. *ad edictum.*

INVITVM autem in seruitutibus accipere debemus, non solùm qui contradicit, sed & qui non consentit. Ideo Pomponius libro quadragesimo, infantem & furiosum inuitos rectè dici ait. nõ enim ad factum, sed ad ius

B seruitutis hæc verba referuntur.

Libertas seruitutis vrbana non præscribitur, si habẽs prædii dominantis solummodo non vtatur, sed requiritur factum præscribentis, scilicet quòd domus altius eleuetur, vel foramina obturẽtur. Bartolus.

VI. CAIVS *lib.* VII. *ad edictum prouinciale.*

HAec autem iura similiter, vt rusticorum quoque prædiorum, certo tempore non vtendo pereũt: nisi quòd hæc dissimilitudo est, quod non omnino pereunt non vtendo, sed ita si vicinus simul libertatẽ vsucapiat. Veluti si ædes tuæ ædibus meis seruiant, ne altius tollantur, ne luminibus mearum ædium officiatur: & ego

C per statutum tempus fenestras meas præfixas habuero, vel obstruxero: ita demũ ius meum amitto, si tu per hoc tempus ædes tuas altius sublatas habueris. alioquin si nihil noui feceris, retineo seruitutem. Item si tigni immissi ædes tuæ seruitutem debeant, & ego exemero tignum: ita demum amitto ius meum, si tu foramen, vnde exemptũ est tignum, obturaueris, & per cõstitutum tempus ita habueris. alioquin si nihil noui feceris, integrum ius meum permanet.

Licet arbor altius extollatur, non præscribitur libertas contra seruitutem altius non tollendi. Bartolus.

VII. POMPONIVS *lib.* XXVI. *ad Qu. Mutium.*

QVòd autem ædificio meo me posse consequi, vt libertatem vsucaperem, dicitur: idem me non consecuturum,

cuturum, ſi arborem in eodem loco ſitam habuiſſem, Mutius ait, & rectè: quia non ita in ſuo ſtatu & loco maneret arbor, quemadmodum paries propter motus naturales arboris. D

VIII. CAIVS *lib. VII. ad edictum prouinciale.*

PArietem, qui naturali ratione communis eſt: alterutri vicinorum demoliendi eum, & reficiendi ius nõ eſt: quia non ſolus dominus eſt.

IX. VLPIANVS *lib. V. ad edictum.*

CVm eo, qui tollendo obſcurat vicini ædes, quibus non ſeruiat: nulla competit actio.

Hæres non poteſt in domo quæ ſibi remanet ædificare: ita quòd uſus ædium legatarum totaliter perimatur. ſecus ſi aliter incommodè. Bartolus. E

X. MARCELLVS *lib. IIII. Digeſtorum.*

Ca. 30. de vſufruct.

SCAVRVS MARCELLO S. Binas ædes habeo. alteras tibi lego. hæres alteras ædes altius tollit, & luminibus tuis officit. nunquid cum illo agere potes? Et an intereſſe putes: ſuas ædes altius tollat, an hæreditarias; ſed & de illo quæro. an per alienas ædes acceſſum hæres ad eam rem quæ legatur, præſtare debet: ſicut ſolet quæri, cùm vſusfructus loci legatus eſt, ad quem locum accedi, niſi per alienum, non poteſt? MARCELLVS RESPONDIT. qui binas ædes habebat, ſi alteras legauit: non dubium eſt, quin hæres poſſit altius tollendo obſcurare lumina legatarum ædium. Idem dicẽdum, ſi alteri ædes, alteri aliarum ædium vſumfructum legauerit. Non autem ſimile eſt itineris argumẽtum: quia ſine acceſſu nullum eſt fructus legatum: habitari autẽ poteſt etiam ædibus obſcuratis. Cęterùm vſufructu loci legato, etiam acceſſus dandus eſt: quia & hauſtu aquæ relicto, iter quoque ad hauriendum præſtaretur. ſed ita officere luminibus, & obſcurare legatas ędes conceditur: vt non penitus lumen recludatur, ſed tantùm relinquatur, quantum ſufficit habitantibus in vſus diurni moderationem. F

XI. VLPIANVS *lib. I. de officio conſulis.*

QVi luminibus vicinorum officere, aliúdve quid facere contra commodum eorum volet: ſciat ſe formam

mam ac statum antiquorum ędificiorum custodire debere. Si inter te & vicinũ tuum non conuenit, ad quam altitudinem extolli ædificia, quæ facere instituisti, oporteat: arbitrum accipere poteris.
A

Plantatio arborum non est contra seruitutem altius non tollendi, sed est contra seruitutem ne officiatur prospectui. Bartolus.

XII. IABOLENVS *lib. x. ex Caßio.*

AEdificia, quæ seruitutem patiuntur, ne quid altius tollatur: viridiaria supra eam altitudinem habere possunt. At si de prospectu est, eáque obstatura sunt, non possunt.

Non licet supra vel iuxta parietem communem aliquid facere; propter quod deterioraretur paries. Bartolus.
B

XIII. PROCVLVS *lib. I.* ἐπιστολῶν.

QVidam Iberius nomine, qui habet post horrea mea insulam, balnearia fecit secundum parietem communem. non licet autem tubulos habere admotos ad parietem communem, sicuti nec parietem quidem suum super parietem communem. de tubulis eò amplius hoc iuris est: quia per eos flãma torretur paries. de qua re volo, cum Iberio loquaris, ne rem illicitam faciat. PROCVLVS RESPONDIT. nec Iberium de ea re dubitare puto, quod rem non permissam faciat, tubulos secundum parietem communem exstruendo. Parietem communem incrustare† licet secundum Capitonis sententiam, sicut licet preciosissimas picturas habere in pariete cõmuni. Cæterùm si demolitus sit vicinus, & ex stipulatu actione damni infecti agatur: non pluris, quàm vulgaria tectoria, debent æstimari. quod obseruari & in incrustatione oportet.
C

†*De incrustatione Vitruuius li. 7. de Archi tect.*

Quis potest in suo liberè ædificare, si seruitus nõ impediat, & lex seruetur. Bartolus.

XIIII. PAPYRIVS IVSTVS *lib. I. Constitutionum.*

IMperatores Antoninus & Verus Augusti rescripserunt: in ea area, quæ seruitutẽ nulli deberet, posse dominum vel aliũ voluntate eius ædificare, intermisso legitimo spacio à vicina insula.

XV. VLPIANVS *lib. XXIX. ad Sabinum.*

INter seruitutes, NE LVMINIBVS OFFICIATVR.

TUR. ET NE PROSPECTUS OFFENDATUR: aliud & aliud obseruatur. quod in prospectu plus quis habet, ne quid scilicet officiatur ad gratiorem prospectum & liberum. in luminibus autem, ne lumina cuiusquam obscuriora fiant. quodcunque igitur faciat ad luminis impedimentum, prohiberi potest, si seruitus debeatur. opus quoque nouum ei nunciari potest, si modò sic faciat, ut lumini noceat. D

XVI. PAULUS *lib.* V. ἐπιτομῶν *Alfeni digestorum.*

LUmen id est, ut cœlum videatur. & interest inter lumen & prospectum. nam prospectus etiam ex inferioribus locis est, lumen ex inferiore loco esse non potest.

Arbor quæ impedit videri cœlum, contra seruitutem luminis habetur. secus si impediat venire solem, nisi multum impediebat. depressio autem ædificii vel arboris regulariter non est contra seruitutem luminum. Bartolus. E

XVII. ULPIANUS *lib.* XXIX. *ad Sabinum.*

SI arborem ponat, ut lumini officiat: æquè dicendum erit, contra impositam seruitutem eum facere. nam & arbor efficit, quò minus cœlum videri possit. Si tamen id, quod ponitur, lumen quidem nihil impediat, solem autem auferat: siquidem eò loci, quo gratum erat, eum non esse: potest dici, nihil contra seruitutem fieri. sin verò heliocamino vel solario: dicendum erit, quia umbram facit in locum, cui sol fuit necessarius, contra seruitutem impositam fieri. Per contrarium si deponat ædificium, vel arboris ramos: quo facto, locus opacus quondam, cœpit esse solis plenus: non facit contra seruitutem. hanc enim debuit, ne luminibus officiat. nunc non luminibus officit, sed plus æquo luminis facit. Interdum dici potest, eum quoque, qui tollit ædificium vel deprimit, luminibus officere: si fortè κατὰ ἀντανάκλασιν, vel pressura quadam lumen in eas ædes deuoluatur. F

Pactio obscura interpretatur contra proferentem. Bartolus.

Hæc lex traditionis, STILLICIDIA UTI NUNC SUNT, UT ITA SINT, hoc significat: impositam vicinis necessitatem stillicidiorum excipiendorum, non illud, ut etiam emptor stillicidia suscipiat ædificiorum vicinorum,

vicinorum. Hæc igitur pollicetur venditor: sibi quidem stillicidiorum seruitutem deberi, se autem nulli debere. A Quæ de stillicidio scripta sunt, etiam in cæteris seruitutibus accipienda sunt: si in contrarium nihil nominatim actum est.

XVIII. POMPONIVS *lib. X. ad Sabinum.*

SI fistulæ, per quas aquam ducas, ædib⁹ meis adplicatæ, damnum mihi dent: in factum actio mihi competit, sed & damni infecti stipulari a te potero.

XIX. PAVLVS *lib. VI ad Sabinum.*

FIstulam iunctam parieti communi, quæ aut ex castello, aut ex cœlo aquam caperet, non iure haberi Proculus ait: sed non posse prohiberi vicinũ, quò minus balineum habeat secundum parietem communem, quamuis humoré capiat paries: non magis, quàm si velit in triclinio suo, vel in cubiculo aquam effundere. Sed Neratius ait: si talis sit vsus tepidarij, vt assiduum humoré habeat, & ideo noceat vicino: posse eum prohiberi. Iuxta communem parietem, cameram ex figlino opere factam: si ita retineatur, vt etiã sublato pariete maneat: si modò non impediat refectionem cõmunis parietis, iure haberi licet. Scalas posse me ad parietem communem habere, Sabinus rectè scribit: quia remoueri eæ possunt.

B

In seruitutibus tigni vel stillicidii immittendi, immissione facta, dicitur quis habere continuam possessionem. Bartolus.

C XX. IDEM *lib. XV. ad Sabinum.*

SEruitutes, quę in superficie cõsistunt, possessione retinẽtur. Nam si fortè ex ædibus meis in ædes tuas tignum immissum habuero: hoc vt immissum habeam, per caussam tigni possideo habendi cõsuetudinem. Idem eueniet, & si mœnianum in tuum immissum habuero, aut stillicidium in tuũ proiecero: quia in tuo aliquid vtor, & sic quasi facto quodam possideo.

Licet alicui facere id sine quo seruitute vti non potest. Bartolus.

Si domo mea altior area tua esset, túque mihi per aream tuam in domum meam ire agere concessisses, nec ex plano aditus ad domum meam per aream tuam esset: vel gradus, vel cliuos propius ianuam meam iure facere possum: dum ne quid vltrà, quàm quod necessarium es-

 set,

ſet,itineris cauſſa demoliar.

Quantum ad iura ſeruitutum realium, ædificiũ deſtructum & reſtitutũ idem videtur. ſecus quo ad perſonales ſeruitutes. Bartolus. D

Si ſublatum ſit ædificium, ex quo ſtillicidium cadit, & eadem ſpecie ac qualitate reponatur: vtilitas exigit, vt idem intelligatur. nã alioquin (ſi quis ſtrictius interpretetur) aliud eſt, quod ſequenti loco ponitur. & ideo ſublato ædificio vſusfructus interiit, quamuis area pars ſit ædificij. Si ſeruitus ſtillicidij impoſita ſit: non licet domino ſeruientis areæ ibi ædificare, vbi caſitare cœpit ſtillicidium. Si antea ex tegula caſitauerit ſtillicidiũ: poſtea ex tabulato, vel ex alia materia caſitare nõ poteſt. Stillicidium, quoquo modo adquiſitum ſit, altius tolli poteſt. leuior enim fit eo pacto ſeruitus: cùm quod ex alto cadit, lenius & interdum nec directè perueniat ad locum ſeruientem. inferius demitti non poteſt: quia fit grauior ſeruitus, id eſt, pro ſtillicidio flumen. Ea de cauſſa retro quoque duci poteſt ſtillicidium: quia in noſtro magis incipiet cadere. produci non poteſt: ne alio loco cadat ſtillicidiũ, quàm in quo impoſita eſt ſeruitus. Lenius facere poterimus, acrius nõ. Et omnino ſciendũ eſt meliorem vicini conditionẽ fieri poſſe, deteriorẽ non poſſe: niſi aliquid nominatim in ſeruitute imponẽda immutatum fuerit. Qui in area, in qua ſtillicidiũ cadit, ædificat: vſq; ad eum locũ perducere ædificiũ poteſt, vnde ſtillicidiũ cadit. Sed ſi in ędificio cadit ſtillicidiũ: ſupra ędificare ei cõcedit, dũ tamẽ ſtillicidiũ rectè recipiatur. E

Quando vni competũt plura iura, vno ſublato aliud illæſum remanet. vel ſic. Quando vni competunt plura iura: ſi vnum remittit, aliud remittere non dicitur. Bartolus.

XXI. POMPONIVS *lib.* XXXIII. *ad Sabinum.*

SI domus tua ædificiis meis vtranque ſeruitutem deberet, & ne altius tolleretur, & vt ſtillicidium ædificiorum meorum reciperet: & tibi conceſſero, ius eſſe inuito me altius tollere ædificia tua: quod ad ſtillicidium meum attinet, ſic ſtatui debebit: vt ſi altius ſublatis ędificiis tuis, ſtillicidia mea cadere in ea nõ poſſint, ea ratione altius tibi ædificare non liceat: ſi non impediãtur ſtillicidia mea, liceat tibi ea altius tollere.

Seruitus ne luminibus officiatur: porrigitur ad lumina præsentia vel ad futura, si est actum: & in dubio indefinita locutio æquipollet vniuersali. Bartolus.

A

XXII. IVLIANVS *lib.* II. *ex Minicio.*

QVi ædificium habet, potest seruitutem vicino imponere: vt non solùm de his ei luminibus, quæ in præsentia sunt, sed etiã de his quæ postea fuerint, caueat.

XXIII. POMPONIVS *lib.* XXXIII. *ad Sabinum.*

SI seruitus imposita fuerit, LVMINA, QVAE NVNC SVNT, VT ITA SINT: de futuris luminibus nihil caueri videtur. Quòd si ita sit cautũ, NE LVMINIBVS OFFICIATVR: quia ambigua est scriptura, vtrum ne his luminibus officiatur, quæ nunc sunt, an etiam his, quæ postea quoque fuerint: humanius est, verbo generali omne lumen significari, siue quod in præsenti, siue quod post tempus conuentionis contigerit. Futuro quoque ædificio, quod nondum est: vel imponi, vel adquiri seruitus potest.

B

XXIIII. PAVLVS *lib.* XV. *ad Sabinum.*

CVius ædificiũ iure superius est, ei ius est in infinito supra suum ædificium imponere: dummodo inferiora ædificia non grauiore seruitute oneret, quàm pati debent.

XXV. POMPONIVS *lib.* XXXIII. *ad Sabinum.*

C HOc quod dictum est de immissis, locũ habet ex ædificio alio in aliud. aliter enim supra alienum ædificium superius habere nemo potest. Si ex tribus ædibus in loco impari positis, ædes mediæ superiorib9 ædibus seruiãt, inferiores autẽ nulli seruiant: & paries communis, qui sit inter ędes inferiores & medias, altius à domino inferiorum ædium sublatus sit: iure eum altius habiturum, Sabinus ait.

In re communi non potest quis aliquid facere vel prohiberi iure seruitutis. sed ei per communi diuidundo iudicium succurritur. B.

XXVI. PAVLVS *lib.* XV. *ad Sabinum.*

IN re communi nemo dominorum iure seruitutis, neque facere quicquam inuito altero potest, neque prohibere, quò minus alter faciat. nulli enim res sua seruit.

itaque propter immenſas contentiones plærunq; res ad diuiſionem peruenit: ſed & per communi diuidundo actionem conſequitur ſocius, quominus opus fiat: aut vt id opus, quod fecit, tollat: ſi modò toti ſocietati prodeſt, id opus tolli. D

Pro eo quod fit ex ædibus propriis in communes, vel econuerſo: poteſt agi negatoria Bartolus.

XXVII. POMPONIVS *lib.* XXXIII. *ad Sabinum.*

SEd ſi inter me & te communes ſunt Titianæ ædes, & ex his aliquid non iure in alias ædes meas proprias immiſſum ſit: nempe tecum mihi agere licebit, aut rem perdere. Idem fiet, ſi ex propriis tuis ędibus in cõmunes meas & tuas ędes quid ſimiliter eſſet proiectum. mihi enim ſoli tecum eſt actio. Si in area communi ædificare velis, ſocius prohibendi ius habet, quamuis tu ædificandi ius habeas à vicino conceſſum: quod inuito ſocio in re communi non habeas ius ædificandi. E

Seruitus quæ non habet cauſſam continuam, non poteſt adquiri tempore: & cauſſam continuam non habet omnis ſeruitus ad cuius vſum factum hominis requiritur. & damnum quod ex ſeruitute non iure debita contingit, venit in actione damni infecti. Bartolus.

XXVIII. PAVLVS *lib.* XV. *ad Sabinum.*

FOramen in pariete conclauis vel triclinij, quod eſſet proluendi pauimenti cauſſa: id neque flumen eſſe, neque tempore adquiri placuit. hoc ita verũ eſt, ſi in eum locum nihil ex cœlo aquæ veniat. neque enim perpetuã cauſſam habet, quod manu fit. at quod ex cœlo cadit: & ſi non aſſiduè fit, ex naturali tamẽ cauſſa fit, & ideo perpetuò fieri exiſtimatur. Omnes autẽ ſeruitutes prædiorum perpetuas cauſſas habere debent: & ideo neque ex lacu, neque ex ſtagno concedi aquęductus poteſt. Stillicidij quoque immittendi naturalis & perpetua cauſſa eſſe debet. F

XXIX. POMPONIVS. *lib.* XXXIII. *ad Sabinum.*

SI quid igitur ex eo foramine, ex quo ſeruitus nõ conſiſtit, damnũ vicinus ſenſiſſet: dicẽdum eſt, damni infecti ſtipulationem locum habere.

Si ad aliquod prædium ſeruiens incipiat pertinere inſolidum, ſeruitus exſtinguitur, ſecus ſi pro parte. Bartolus.

XXX.

XXX. PAVLVS *lib.* XXV. *ad Sabinum.*

A SI quis ædes, quæ suis ædibus seruirent, cùm emisset, traditas sibi accepit: confusa sublataque seruitus est. & si rursus vendere vult, nominatim imponenda seruitus est: alioquin liberè veneunt. Si partem prædij nactus sim, quod mihi, aut cui ego seruiebam: non confundi seruitutem placet: quia pro parte seruitus retinetur. Itaq; si prædia mea prædiis tuis seruiant, & tuorũ partẽ mihi, & ego meorum partem tibi tradidero: manebit seruitus. Item vsusfructus in alterutris prędiis adquisitus, nõ interrumpit seruitutem.

Domus destructa potest vsque ad statũ pristinum restaurari: non obstante seruitute ne luminibus officiatur. Bar.

B XXXI. IDEM *lib.* XLV. *ad edictum.*

SI testamento damnatus hæres, ne officeret vicini luminibus, seruitutemq; prçstaret, deposuit ædificium: concedenda erit legatario actio vtilis, qua prohibeatur hæres, si postea extollere supra priorem modum ædificium conabitur.

Potest aduersus vnum præscribi libertas, aduersus alium non, ex eadem ædificatione. Bartolus.

XXXII. IVLIANVS *lib.* VII. *Digestorum.*

SI ædes meæ seruiant ædibus Lucij Titij, & ędibus Publij Mæuij, ne altius ædificare mihi liceat: & à Titio precariò petierim, vt altius tollerem, atq; ita per statutum tempus ædificatum habuero: libertatẽ aduersus

C Publium Męuium vsucapiam. non enim vna seruitus Titio & Mæuio debebatur, sed duæ. argumentum rei præbet, quod si alter ex his seruitutem mihi remisisset: ab eo solo liberarer, alteri nihilominus seruitutem deberem.

Nisi prædia vrbana possideantur continuè, eorum libertas non præscribitur. Bartolus.

Libertas seruitutis vsucapitur, si ædes possideantur. quare si is, qui altius ædificatum habebat, ante statutum tempus ædes possidere desiit: interpellata vsucapio est. Is autem qui postea easdem ædes possidere cœperit: integro statuto tempore libertatẽ vsucapiet. Natura enim seruitutum ea est, vt possideri non possint: sed intelligatur possessionem earum habere, qui ædes possidet.

Nihil in hoc seculo potest esse perpetuum nisi per surrogationem. Bartolus.

XXXIII. PAVLVS *lib.* V. ἐπιτομῶν *Alfeni digestorum.* D

EVm debere colūnam restituere, quę onus vicinarum ædiū ferat, cuius essent ædes, quæ seruirent: non eū, qui vellet imponere. nam cùm in lege ædium ita scriptū esset; PARIES ONERI FERVNDO, VTI NVNC EST, ITA SIT: satis apertè significari, in perpetuū parietem esse debere, non enim his verbis IN PERPETVVM hoc dicitur, vt idem paries æternus esset (quod ne fieri quidem posset) sed vti eiusdem modi paries in perpetuum esset, qui onus sustineret. Quemadmodum si quis alicui cauisset, vt seruitutem præberet, quæ suum onus sustineret: si ea res, quæ seruiret, & tuum onus ferret, perisset: alia in locum eius dari debeat. E

XXXIIII. IVLIANVS *lib.* II. *ex Minicio.*

ET qui duas areas habet, alteram tradendo, seruam alteri efficere potest.

XXXV. MARCIANVS *lib.* III. *Regularum.*

SI binarum ædium dominus dixisset eas, quas venderet, seruas forè, sed in traditione non fecisset mentionem seruitutis: vel ex vendito agerę potest, vel incerti condicere, vt seruitus imponatur.

Si ædes legātur, vel vendūtur, videtur actum vt contignationes, vti stant, ita stent. Bart.

XXXVI. PAPINIANVS *lib.* VII. *Quæstionum.* F

BInas quis ædes habebat, vna cōtignatione tectas. vtrasque diuersis legauit. dixi (quia magis placet, posse duorum tignum esse, ita vt certæ partes cuiusq; sint) ex regione contignationis cuiusque domini tigna fore: nec vllam inuicem habituros actionem, ius non esse immissum habere. nec interest, purè vtrisque, an sub conditione alteri ædes legatæ sint.

XXXVII. PAVLVS *lib.* II. *Quæstionum.*

IDémque esse, & si duobus ædes cesserint.

XXXVIII. IVLIANVS *lib.* VII. *Digestorum.*

SI ædes meæ à tuis ædibus tantùm distent, vt prospici non possint, aut medius mons earum conspectum auferat: seruitus imponi non potest.

XXXIX.

XXXIX. PAVLVS *lib.I. Manualium.*

A NEmo enim propriis ædificiis seruitutem imponere potest: nisi & is qui cedit, & is cui ceditur, in conspectu habeant ea ædificia, ita vt officere alterum alteri possit.

XL. IDEM *lib.III. Responsorum.*

EOs, qui ius immittendi luminis nõ habuerunt, aperto pariete communi, nullo iure fenestras immisisse respondi.

Si res legatur ad vitam, in dubio non videtur imposita ei seruitus licet duret facultas eundi. Bar.

XLI. SCAEVOLA *lib.I. Responsorum.*

B OLympico habitationem & horreũ, quod in ea domo erat, quo ad viueret, legauit. iuxta eandem domum hortus & cœnaculũ, quod Olympico legatum non est, fuere. ad hortum autem & cœnaculũ semper per domum, cuius habitatio relicta erat, aditus fuit. Quæsitum est, an Olympicus aditum præstare deberet? Respondi, seruitutem quidem non esse, sed hæredẽ transire per domum ad ea, quæ cõmemorata sunt, posse: dũ non noceat legatario. Lucius Titius aperto pariete domus suæ, quatenus stillicidij rigor, & tignorum protectus competebat, ianuam in publico aperuit. Quæro: cùm neque luminibus Publij Mæuij vicini, neque itineri officeret, neque stillicidium in vicini domo caderet: an aliquam
C actionẽ Publius Mæuius vicinus ad prohibendũ haberet? Respõdi, secũdũ ea, quæ proponerent, nullã habere.

DE SERVITVTIBVS PRAEDIOrum rusticorum. Tit. III.

VLPIANVS *lib.II. Institutionum.*

SEruitutes prediorũ rusticorũ sunt hæ. iter, actus, via, aquæductus. Iter est ius eũdi ambulandi hominis, non etiam iumentum agẽdi. Actus est ius agendi vel iumentum, vel vehiculum. ita qui iter habet, actum non habet: qui actũ habet, & iter habet, etiam sine iumento. Via est ius eundi, & agendi, & ambulandi. nam & iter & actũ in se via continet. Aquæductus est * ius aquæ du- *Ductus aquæ

tribus generibus sic vi copiosè explicat Vitruuius lib. 8. de Architectura. cap. 7.

cendæ per fundum alienum. In prædiis rusticis computanda etiam sunt: aquæhaustus, pecoris ad aquam adpulsus, ius pascendi, calcis coquendæ, arenæ fodiendæ. D

Traditio planè & patiētia seruitutum inducit officiū prætoris.

II. NERATIVS *lib.* III. *Regularum.*

RVsticorum etiam prædiorum seruitutes sunt, licere altius tollere, & officere prætorio vicini: vel cloacam habere licere per vicini domum, vel prętoriū: vel protectum habere licere. Aquæductus vel haustus aquæ per eundem locum vt ducatur etiam pluribus concedi potest: potest etiam, vt diuersis diebus vel horis ducatur. Si aquæductus vel haustus aquæ sufficiens est: potest etiam pluribus per eundem locum cōcedi, vt & eisdem diebus vel horis ducatur. E

III. VLPIANVS *lib.* XVII. *ad edictum.*

ITē sic possunt seruitutes imponi: vt boues, per quos fundus colitur, in vicino agro pascantur. quam seruitutem poni posse, Neratius libro secundo membranarū scribit. Idem Neratius etiam, vt fructus in vicini villa cogantur, coactiq́ue habeantur, & pedamenta ad vineā ex vicini prædio sumantur, cōstitui posse scribit. Eodem libro ait: vicino, cuius lapidicinæ fundo tuo immineant, posse te cedere: ius esse ei, terram, rudus, saxa in fundum tuum iacere, positaq́ue habere: & vt lapides prouoluantur, ibiq́ue positi habeantur, indeq́ue exportentur. F

Cui conceditur aliquid, videtur concedi id, sine quo illud esse nō potest. & si non valet expressum, non valet tacitum. Bar.

Qui habet haustum, iter quoque habere videtur ad hauriendum. Et (vt ait Neratius libro tertio membranarū) siue ei ius hauriendi, & adeundi cessum sit, vtrūque habebit: siue tantùm hauriendi, inesse & aditum: siue tantùm adeundi ad fontem, inesse & haustum. Hæc de haustu ex fonte priuato. Ad flumē autem publicum, idē Neratius eodem libro scribit, iter debere cedi, haustū non oportere: & si quis tantùm haustum cesserit, nihil eum agere.

Seruitus pecoris pascendi & ad aquam adpellendi est prædialis: & potest

& potest finiri cum persona, si hoc est actum. Bar.

A IIII. PAPINIANVS *lib.* II. *Responsorum.*

PEcoris pascendi seruitus, item ad aquam adpellendi (si prædij fructus maximè in pecore cõsistat) prędij magis, quàm personæ videtur. Si tamẽ testator personam demonstrauit, cui seruitutem præstari voluit: emptori, vel hæredi eius non eadem præstabitur seruitus.

Seruitus realis non potest imponi, nisi quatenus exigit vtilitas prædii dominantis. Bar.

V. VLPIANVS *lib.* XVII. *ad edictum.*

ERgo secundum eum & vindicari poterit. Nerati⁹ ex Plautio ait: nec haustum, nec adpulsum pecoris, nec cretæ eximendæ, calcisque coquendæ ius posse in B alieno esse, nisi fundum vicinum habeas: & hoc Proculum & Atilicinum existimasse ait. Sed & ipse dicit: vt maximè calcis coquendæ, & cretæ eximendæ seruitus constitui possit: non vltrà posse, quàm quatenus ad eum ipsum fundum opus sit.

VI. PAVLVS *lib.* XV. *ad Plautium.*

VEluti si figlinas haberem, in quibus ea vasa fierent, quibus fructus eius fundi exportarentur (sicut in quibusdam fit, vt amphoris vinum euehatur) aut dolia fierent, vel tegulæ ad villam ædificandam. Sed si, vt vasa venirent, figlinæ exercerentur: vsusfructus erit. Itẽ longè recedit ab vsufructu ius calcis coquendæ, & la- C pidis eximendi, & arenæ fodiendæ: vt lapides eximantur, & calx coquatur ædificandi eius gratia, quod in fundo est. item syluæ cæduæ, vt pedamenta in vineas nõ desint. quid ergo, si prædiorum meliorem caussam hæc faciant? non est dubitandum, quin seruitus sit. & hoc Mætianus probat in tantum, vt & talem seruitutem constitui posse putet, vt tugurium mihi habere liceat in tuo: scilicet si habeam pascui seruitutem, aut pecoris adpellendi: vt si hyems ingruerit, habeam, quò me recipiam.

VII. IDEM *lib.* XXXIX. *ad edictum.*

QVi sella, aut in lectica vehitur, ire non agere dicitur. Iumentum verò ducere non potest, qui iter tãtum

tum habet. Qui actum habet: & ploſtrum ducere, & iumentum agere poteſt: ſed trahendi lapidem, aut tignum, neutri eorum ius eſt. quidam nec haſtam rectam ei deferre licere: quia neque eundi, neque agendi gratia id faceret, & poſſent fructus eo modo lædi. Qui viam habent, eundi agendique ius habent: plerique & trahendi quoque, & rectam haſtam deferendi, ſi modò fructus nõ lædantur. In ruſticis autem prædiis impedit ſeruitutem medium prædium, quod non ſeruit. D

VIII. CAIVS *lib.* VII. *ad edictum prouinciale.*

VIæ latitudo ex lege duodecim tabularum in porrectũ octo pedes habeat: in amfractum, id eſt, vbi flexum eſt, ſedecim.

IX. PAVLVS *lib.* I. *Sententiarum.* E

SEruitus aquæducendæ, vel hauriendæ, niſi ex capite, vel ex fonte, conſtitui non poterat: hodie tamen ex quocunque loco conſtitui ſolet.

X. IDEM *lib.* XXXIX. *ad edictum.*

LAbeo ait, & talem ſeruitutem cõſtitui poſſe, vt aquã quærere, & inuentam ducere liceat. nam ſi licet nõdum ædificato ſeruitutem conſtituere: quare non æquè liceat, nondum inuenta aqua, itidem conſtituere ſeruitutem? & ſi, vt quærere liceat, cedere poſſumus: etiam vt inuenta ducatur, cedi poteſt.

In iis quæ ſunt communia pluribus vt ſingulis, requiritur conſenſus omnium qui poteſt ſeparatim adhiberi. Bart. F

XI. CELSVS *lib.* XXVI. *Digeſtorum.*

PEr fundũ, qui pluriũ eſt, ius mihi eſſe eundi agendi poteſt ſeparatim cedi. Ergo ſubtili ratione nõ aliter meum fiet ius, q̃ ſi omnes cedant: & nouiſſima demũ ceſſione ſuperiores omnes confirmabuntur. Benignius tamen dicetur: & antequam nouiſſimus ceſſerit, eos qui antea ceſſerunt, vetare vti ceſſo iure non poſſe.

XII. MODESTINVS *lib.* IX. *Differentiarũ.*

INter actum & iter nonnulla eſt differentia. Iter eſt enim, quo quis pedes vel eques commeare poteſt: actus verò vbi & armenta traiicere, & vehiculum ducere liceat.

XIII. IABOLENVS *lib.* X. *ex Caſſio.*

Certo

A CErto generi agrorum adquiri seruitus potest, veluti vineis. quodq́ue ea ad solum magis, quàm ad superficiem pertineat: ideo sublatis vineis, seruitus manebit. sed si in contrahenda seruitute aliud actum erit: doli mali exceptio erit necessaria.

Seruitus respicit totum fundamentum, antequam certus vsus certo loco limitetur: quæ limitatio fiet per iudicem secundum lege͂, nisi aliter actum sit. Bart.

Si totus ager itineri aut actui seruit: domin⁹ in eo agro nihil facere potest, quo seruitus impediatur: quoniã ita diffusa est, vt omnes glebæ veniant. At si iter actusúe sine vlla determinatiõe legatus, modo determinabitur: qua primum iter determinatum est, ea seruitus consistit, cæteræ partes agri liberæ sunt. Igitur arbiter dandus,

B qui vtroque casu viam determinare debet. Latitudo actus itinerisq́ue ea est, quæ demonstrata est. quod si nihil dictum est, hoc ab arbitro statuédum est. In via aliud iuris est. nam si dicta latitudo non est, legitima debetur.

Si locus, nõ adiecta latitudine, nominatus est: per cu͂, quà libebit, iri poterit. Sin autem prętermissus est, æquè latitudine non adiecta: per totum fundum vna poterit eligi via, dumtaxat eius latitudinis, quæ lege compræhensa est, pro quo ipso, si dubitabitur, arbitri officiu͂ inuocandum est.

Si vni conceditur seruitus vna, non potest alii concedi alia, per

C *quam seruitus primi impediatur.* Bar.

XIIII. POMPONIVS *lib.* XXXIII. *ad Sabinum.*

PEr quem locum viam alij concessero, per eundem & alij aquæductum cedere non potero. sed etsi aquæductum alij concessero, alij iter per eundem locum vendere, vel aliâs cedere non potero.

Qui habet ius aquæductus, potest facere in riuo quicquid vult, si prædij domino non noceat. Bart.

XV. IDEM *lib.* XII. *ad Qu. Mutium.*

QVintus Mutius scribit: cu͂ iter aquæ vel quotidianæ, vel æstiuæ, vel quæ lõgiora interualla habeat, per alienum fundum erit: licere fistulam suã vel fictilem, vel cuiuslibet generis in riuo ponere, quæ aquam latius exprimeret: & quod vellet, in riuo facere, dum

dum ne domino prædij aquagium faceret deterius.

XVI. CALLISTRATVS *lib.* III. *de cognitionibus.* D

DIuus Pius aucupibus ita rescripsit. οὐκ ἔστιν εὔλογον, ἀκόντων δεσποτῶν ὑμᾶς ἐν ἀλλοτρίοις χωρίοις ἰξεύειν.

Aqua ex flumine publico ad irrigandos agros secundum mensuram diuiditur: nisi alicui aliter sit concessum. Bartolus.

XVII. PAPYRIVS IVSTVS *lib.* I. *Cōstitutionū.*

IMperatores Antonin⁹ & Verus augusti rescripserūt: aquā de flumine publico pro modo possessionū ad irrigandos agros diuidi oportere, nisi proprio quis iure plus sibi datum iri debere ostenderit. Item rescripserunt: aquam ita demum permitti duci, si sine iniuria alterius id fiat.

Si per plures fundos itur ad vnum, seruitus vna est: & per vsum in parte retinetur seruitus tota. Bartolus. E

XVIII. VLPIANVS *lib.* XIIII. *ad Sabinum.*

VNa est via, & si per plures fundos imponatur: cùm vna seruitus sit. Denique quęritur, an si per vnum fundum iero, per alium non per tantum tempus, quanto seruitus amittitur: an retineam seruitutem? Et magis est, vt aut tota amittatur, aut tota retineatur. Ideoq́ue si nullo vsus sum, tota amittitur: si vel vno, tota seruat.

Seruitus nō potest adquiri pro parte: sed per plures potest adquiri, & per vnum potest perueniri ad plures. Bartolus.

XIX. PAVLVS *lib.* VI. *ad Sabinum.*

SI vnus ex sociis stipuletur iter ad communem fundum: inutilis est stipulatio, quia nec dari ei potest. sed si omnes stipulentur, siue communis seruus: singuli ex sociis sibi dari oportere petere possunt, quia ita dari eis potest à te: ne si stipulator viæ plures hæredes reliquerit, inutilis stipulatio fiat. F

Qui habet duo iura, remittendo vnum non videtur remittere aliud. Bartolus.

XX. POMPONIVS *lib.* XXXIII. *ad Sabinum.*

SI mihi eodem tempore concesseris, & ire agere per tuum locum, & vti frui eo ius esse: deinde ego tibi concessero, ius mihi vti frui non esse: non aliter eo loco vtêris fruêris, quàm vt ire agere mihi rectè liceat. Item si educere per tuum fundum aquam iure potero, & in eo tibi

tibi ædificare inuito me ius non fuerit: si tibi concesse-
A ro, ius esse ædificare: nihilominus hanc seruitutem mihi præstare debebis, ne aliter ædifices, quàm vt ductus aquæ meus maneat: totiusque rei conditio talis esse debet, qualis esset, si vna dũtaxat initio concessio facta esset. Seruitus naturaliter, non manufacto opere, lædere potest fundum seruientem: quemadmodum si imbris aqua crescat in riuo, aut ex agris in eum confluat, aut aquæ fons secundum riuum, vel in eo ipso postea inuentus fuerit. Si fundo Seiano cõfinis fuerit fons, ex quo per fundum Seianum aquam iure ducebam: meo facto fundo Seiano, manet seruitus. Hauriendi ius non hominis, sed prædij est.

B *Licet totus fundus debeat seruitutem, tamen debet quis vti per eam partem qua minus læditur. Bar.*

XXI. PAVLVS *lib.* XV. *ad Sabinum.*

SI mihi concesseris iter aquæ per fundum tuum, non destinata parte, per quam ducerẽ: totus fundus tuus seruiet.

XXII. POMPONIVS *lib.* XXXIII. *ad Sabinũ.*

SEd quæ eius fundi loca tunc, cùm ea fiet concessio, ædificiis, arboribus, vineis vacua fuerint: ea sola eo nomine seruient.

XXIII. PAVLVS *lib.* XV. *ad Sabinum.*

VIa constitui vel latior octo pedibus, vel angustior
C potest: vt tamen eam latitudinem habeat, qua vehiculum ire poterit: alioquin iter erit, non via. Si lacus perpetuus in fundo tuo est: nauigandi quoque seruitus, vt perueniatur ad fundum vicinũ, imponi potest.

Si fundus seruiens, vel is, cui seruitus debetur, publicetur: vtroq; casu durant seruitutes: quia cum sua quisque conditione fundus publicatur.

Ius seruitutis totũ est in toto, & totum est in qualibet parte totius: nisi vsum eius aliquid impediat. Bartolus.

Quæcumque seruitus fundo debetur, omnibus eius partibꝰ debetur. & ideo, quamuis particulatim veniret, omnes partes seruitus sequitur: & ita, vt singuli rectè agant, ius sibi esse eundi. Si tamẽ fundus, cui seruitus debetur, certis regionibus inter plures dominos diuisus est;

eſt: quamuis omnibus partibus ſeruitus debeatur: tamē opus eſt, vt hi, qui non proximas partes ſeruienti fundo habebunt: tranſitū per reliquas partes fundi diuiſi iure habeant, aut ſi proximi patiantur, transeant. D

Non poteſt quis concedere aquam ex ſuo aquaductu, quem habet ex fundo alieno. Bartolus.

XXIIII. POMPONIVS *lib.* XXXIII. *ad Sabinū.*

EX meo aquæductu, Labeo ſcribit, cuilibet me poſſe vicino commodare: Proculus, vt ne in meam partem fundi aliam, quàm ad quam ſeruitus adquiſita ſit, vti ea poſſim. Proculi ſententia verior eſt.

Diuiſio aquæ fit ad menſuram prædii dominantis non inſpecta partium bonitate vel neceſſitate. Bartolus.

XXV. IDEM *lib.* XXXIIII. *ad Sabinum.* E

SI partem fundi mei tibi certam vendidero: aquæductus ius, etiam ſi alterius partis cauſſa plerunque ducatur, te quoque ſequetur. neque ibi aut bonitatis agri, aut vſus eius aquæ ratio habenda eſt: ita vt eam ſolam partem fundi, quæ precioſiſſima ſit, aut maximè vſum eius aquæ deſideret, ius eius ducendæ ſequatur: ſed pro modo agri detenti aut alienati, fiat eius aquæ diuiſio.

XXVI. PAVLVS *lib.* XLVII. *ad edictum.*

SI via, iter, actus, aquæductus legetur ſimpliciter per fundum: facultas eſt hæredi, per quam partem fundi velit, conſtituere ſeruitutem: ſi modò nulla captio legatario in ſeruitute ſit. F

Si à ſociis fundi dominantis emitur communiter fundus ſeruiēs, ſeruitus exſtinguitur: ſecus ſi fundus dominantibus non poteſt eſſe communis. Bartolus.

XXVII. IVLIANVS *lib.* VII. *Digeſtorum.*

SI communi fundo meo & tuo ſeruiat fundus Sempronianus, & eundem in commune redemerimus: ſeruitus exſtinguitur, quia par vtriuſque domini ius in vtroque fundo eſſe incipit. At ſi proprio fundo meo, & proprio tuo idem ſeruiat: manebit ſeruitus, quia proprio fundo per cōmunem ſeruitus deberi poteſt.

XXVIII. IDEM *lib.* XXXIIII. *Digeſtorum.*

ITinere ad prædium commune duorum legato: niſi vterque de loco itineris conſentiat, ſeruitus neq; adquiritur,

quiritur, neque deperit.

A *Seruitus aquæ immittendæ intelligitur de ea, quæ in fundo colligitur. Bartolus.*

XXIX. PAVLVS *lib.* II. ἐπιτομῶν *Alfeni digestorũ.*

QVi duo prædia confinia habuerat, superiorem fundum vendiderat, & in lege ita dixerat: vt aquam sulco aperto emptori educere in fundum inferiorem rectè liceat. si emptor ex alio fundo aquam acciperet, & eam in inferiorem ducere vellet: quæsitum est, an possit id suo iure facere, nec ne? Respondit nihil amplius, quàm quod ipsius fundi siccãdi caussa deriuaret, vicinum in inferiorem recipere debere.

B *Quod seruituti accedit, iure seruitutis accedit. Bartolus.*

XXX. IDEM *lib.* III. ἐπιτομῶν *Alfeni digestorum.*

QVi duo prædia habebat, in vnius venditione aquã, quæ in fundo nascebatur, & circa eam aquam latè decem pedes exceperat. quæsitum est, vtrum dominium loci ad eum pertineat, an vt per eum locum accedere possit? Respondit, si ita excepisset, CIRCA EAM AQVAM LATÈ DECEM PEDES, iter dumtaxat videri venditoris esse.

Redemptione partium etiam pro indiuiso seruitus nõ exstinguitur, nisi omnes redimantur. Bartolus.

XXXI. IVLIANVS *lib.* II. *ex Minicio.*

TRia prædia continua trium dominorum adiecta erant. Imi prædij domin⁹ ex summo fundo imo fun-
C do seruitutem aquæ quæsierat: & per medium fundum, domino concedente, in suum agrum ducebat. post ea idẽ summum fundum emit: & imum fundum, in quem aquã induxerat, vendidit. quæsitum est, num imus fundus id ius aquæ amisisset: & quia vtraque prædia eiusdem domini facta essent, ipsa sibi seruire non potuissent? Negaui amisisse seruitutem: quia prædium, per quod aqua ducebatur, alterius fuisset. Et quemadmodum seruitus summo fundo, vt in imum fundum aqua veniret, imponi aliter non potuisset, quàm vt per medium quoque fundum duceretur: sic eadem seruitus eiusdem fundi amitti aliter non posset, nisi eodem tempore etiam per mediũ fundum aqua duci desiisset, aut omnium tria simul prædia

dia vnius domini facta essent.

In concessione partis facta socio potest concedens fundum propriam seruitutem facere. Bartolus. D

XXXII. AFRICANVS *lib.* VI. *Quæstionum.*

FVndus mihi tecum communis est: partem tuam mihi tradidisti, & ad eundem viam per vicinum tuũ proprium. rectè eo modo seruitutem constitutam ait: neque quod dici solet, per partes nec adquiri, nec imponi seruitutes posse, isto casu locum habere. hic enim non pro parte seruitutẽ adquiri: vtputa cũ in id tempus adquiratur, quo proprius meus fundus futurus sit.

Tempore diuisionis potest agi vt fundus, qui obuenit vni: seruiat fundo qui obuenit alteri. Bar.

XXXIII. IDEM *lib.* IX. *Quæstionum.* E

CVm essent mihi & tibi fundi duo communes Titianus & Seianus: & in diuisione conuenisset, vt mihi Titianus, tibi Seianus cederet: inuicem partes eorũ tradidimus, & in tradendo dictum est, vt alteri per alterum aquam ducere liceret. rectè esse seruitutem impositam ait: maximè si pacto stipulatio subdita sit. Per plurium prædia AQVAM DVCI quoquo modo imposita seruitute: nisi pactum vel stipulatio de hoc etiam subsecuta est: neq; eorum cuiuis, neque alij vicino poterit haustum ex riuo cedere. pacto enim vel stipulatione interuenientibus, & hoc concedi solet: quamuis nullum prędium ipsum sibi seruire, neque seruitutis fructus constitui potest. F

Vnus ex sociis non potest fundum communem seruum facere: nec ei libertatem adquirere à socio vel extraneo. Bartolus.

XXXIIII. PAPINIANVS *lib.* VII. *Quæstionũ.*

VNus ex sociis fundi communis, permittendo IVS ESSE IRE AGERE, nihil agit. Et ideo si duo prædia, quæ mutuo seruiebant, inter eosdem fuerint cõmunicata (quoniam seruitutes per partes retineri placet) ab altero seruitus alteri remitti non potest. Quamuis enim vnusquisque sociorũ solus sit, cui seruitus debetur: tamen quoniam nó personæ, sed prædio debetur: neque adquiri libertas, neque seruitus remitti pro parte poterit.

Qui

Qui non vtitur iusto impedimento congruo tempore, seruitutem amittit: sed ei restituitur ex clausula generali.

A Si fons exaruerit, ex quo ductum aquæ habeo, isque post statutum tempus ad suas venas redierit: an aquæductus amissus erit, quæritur.

XXXV. PAVLVS *lib.* XV. *ad Plautium.*

ET Atilicinus ait, Cæsarem Statilio Tauro rescripsisse in hæc verba. Hi qui ex fundo Satriano aquã ducere soliti sunt, adierunt me: proposueruntque aquã, qua per aliquot annos vsi sunt, ex fonte, qui est in fundo Satriano, ducere non potuisse, quod fons exaruisset: & postea ex eo fonte aquam fluere cœpisse: petieruntque me, vt quod ius non negligentia aut culpa sua amiserãt, B sed quia ducere non poterant, his restitueretur. Quorũ mihi postulatio cùm non iniqua visa sit, succurrendum his putaui. Itaque quod ius habuerunt primùm, cum ea aqua ad eos peruenire non potuit, id eis restitui placet.

Stipulatio pœnalis ad personam relata non facit præsumi seruitutem impositam. Bar.

XXXVI. PAPINIANVS *lib.* II. *Responsorum.*

CVm fundo, quem ex duobus retinuit venditor, aquæ ducendæ seruitus imposita sit: empto prædio quæsita seruitus, distractum denuo prædium sequitur. nec ad rem pertinet, quòd stipulatio, qua pœnam promitti placuit, ad personam emptoris (si fortè ei frui non C licuisset) relata est.

XXXVII. PAVLVS *lib.* III. *Responsorum.*

ΛΟύκιος Τίτιος Γαΐῳ Σεΐῳ τῷ ἀδελφῷ πλεῖστα χαίρειν. Ὕδατος τοῦ ῥέοντος εἰς τὴν κρήνην τὴν κατασκευασθεῖσαν ἐν ἰσθμῷ ὑπὸ τοῦ πατρός μου, δίδωμι καὶ χαρίζομαί σοι δάκτυλον εἰς τὴν οἰκίαν σου τὴν ἐν ἰσθμῷ, ἢ ὅπου δ' ἂν βούλει. Quæritur, an ex hac scriptura vsus aquę etiam ad hæredes Caij Seij pertineat? Paulus respondit, vsum aquæ personalem ad hæredem Seij, quasi vsuarij transmitti non oportere.

A flumine quod transitur ponte vel vado, potest incipere seruitus viæ: secus si pontonibus uel nauiculis transeatur: licet tale flumẽ seruitutem itineris aliàs cœptam non interrumpit. Bar.

XXXVIII. IDEM *lib.* I. *Manualium.*

H Flumine

FLumine interueniéte via constitui potest, si aut vado transiri potest, aut pontem habet. diuersum, si pontonibus traiiciatur. hæc ita, si propter vnius prædia flumé currat. Alioquin si tua prædia mihi vicina sint, deinde flumen, deinde Titij prædium, demum via publica, in quam mihi iter adquiri volo: dispiciamus, ne nihil vetet, à te mihi dari viam vsque ad flumen, deinde à Titio vsque ad viam publicam. sed & videamus, num & si tu eorum prædiorum dominus sis, quæ trans flumen intra viam publicam sint, idem iuris sit: quia via cousummari solet, vel vsque ad ciuitatem, vel vsque ad viam publicam, vel vsque ad flumen, in quo pontonibus traiiciatur, vel vsque ad proprium aliud eiusdem domini prædium. Quod si est, non videtur interrumpi seruitus, quamuis inter eiusdem domini prædia flumen publicum intercedat. D E

COMMVNIA PRAEDIORVM *tam urbanorum quàm rusticorum.* Titu. IIII.

VLPIANVS *lib.* II. *Institutionum.*

AEdificia vrbana quidem prędia appellamus. cæterùm & si in villa ædificia sint: æquè seruitutes vrbanorum prædiorum constitui possunt. Ideo autem hæ seruitutes prædiorum appellantur: quoniam sine prædiis cóstitui non possunt. nemo enim potest seruituté adquirere, vel vrbani, vel rustici prædij: nisi qui habet prædiũ. F

Ius hauriendi vel ducendi aquam ex flumine per castellum, non est seruitus propriè: sed in hoc iure quis tanquam in seruitute defendetur. Bartolus.

II. IDEM *lib.* XVII. *ad edictum.*

DE aqua tollenda per rotam ex flumine vel hauriẽda, vel si quis seruitutem castello imposuerit: quidam dubitauerunt, ne hæ seruitutes non essent. Sed rescripto imperatoris Antonini ad Tullianum adiicitur: licet seruitus iure non valuit, si tamen hac lege cóparauit,

parauit, seu alio quocunque legitimo modo sibi hoc ius
A adquisiuit: tuendum esse eum, qui hoc ius possedit.

III. CAIVS *lib.* VII. *ad edictum prouinciale.*

DVorum prædiorum dominus si alterum ea lege tibi dederit, vt id prædium, quod datur, seruiat ei, quod ipse retinet, vel contrà: iure imposita seruitus intelligitur.

Post monumentum constructum non potest limitari mensura vel numerus sepeliendorum. Bartolus.

IIII. IABOLENVS *lib.* X. *ex Cassio.*

CAueri, vt ad certam altitudinem monumentum ædificetur, non potest: quia id, quod humani iuris esse desiit, seruitutem non recipit. Sicut ne illa quidem
B seruitus cōsistere potest, vt certus numerus hominum in vno loco humetur.

In contractibus est locus iuri non decrescendi. Bar.

V. IDEM *lib.* II. ἐπιστολῶν.

PRoprium solum vendendo, an seruitutem talem iniungere possim, vt mihi & vicino seruiat? Similiter si cōmune solum vendo, vt mihi & socio seruiat, an consequi possim? Respondi seruitutem excipere, nisi sibi, nemo potest. adiectio itaque vicini pro superuacuo habenda est: ita vt tota seruitus ad eum, qui exceperit, pertineat. Solum autem commune vendendo, vt mihi &
C socio seruiat, efficere non possum: quia per vnum sociū communi solo seruitus adquiri non potest.

In tradendo potest quis facere vt prædium quod traditur, seruiat ei quod retinetur vel econuerso. Bartolus.

VI. VLPIANVS. *lib.* XXVI. *ad Sabinum.*

SI quis duas ædes habeat, & alteras tradat: potest legem traditioni dicere, vt vel istæ, quæ non traduntur, seruæ sint his, quæ traduntur: vel contrà, vt traditæ retentis ædibus seruiant: paruique refert, vicinæ sint ambæ ædes, an non. Idem erit & in prædiis rusticis. nam & si quis duos fundos habet, alium alij potest seruum facere tradendo. Duas autem ædes simul tradendo, non potest efficere alteras alteri seruas: quia neque adquirere alienis ædibus seruitutem, neque imponere potest.

Tradēdo partem pro diuiso potest vnam partem alterius seruam facere. Bartolus. D

Si quis partem ædium tradat, vel partem fundi, non potest seruitutem imponere: quia per partes seruitus imponi non potest, sed nec adquiri. Planè si diuisit fundum regionibus, & sic partem tradidit: potest pro diuiso alterutri seruitutem imponere: quia non est pars fundi, sed fundus. Quod & in ædibus potest dici: si dominus pariete medio ædificato, vnam domum in duas diuiserit: vt plerique faciunt. nam & hic pro duabus domibus accipi debet.

Item tradendo simul vel separatim id efficere possunt, quod vnus solus insolidum sit dominus: secus si pro parte dominus fuerit. Bartolus. E

Item si duo homines binas ædes communes habeamus: simul tradendo idem efficere possumus, ac si ego solus proprias binas ædes haberem. sed & si separatim tradiderimus, idem fiet. sic tamen, vt nouissima traditio efficiat etiam præcedentem traditionem efficacem. Si tamen alteræ vnius propriæ sint ædes, alteræ communes: neutris seruitutem vel adquirere, vel imponere me posse, Pomponius libro octauo ex Sabino scripsit.

Si aliquis dixerit rem venditam esse seruam simpliciter, potest quā vult seruitutem imponere: secus in respectu certæ personæ. Item secus, si hoc dixerit dubitans de seruitute iam constituta. Bartolus. F

Si in venditione quis dixerit, seruas fore ædes, quas vendidit: necesse non habet liberas tradere. quare vel suis ædibus eas seruas facere potest, vel vicino cōcedere seruitutem, scilicet ante traditionem. Planè si Titio seruas fore dixit: siquidem Titio seruitutem concesserit, absolutum est: si verò alij concesserit, ex empto tenebitur. A' quo non abhorret, quod Marcellus libro sexto digestorum scribit. si quis in tradendo dixerit fundum Titio seruire, cùm ei non seruiret, esset autem obligatus venditor Titio ad seruitutem præstandam: an agere possit ex vendito, vt emptor seruitutē imponi patiatur prędio, quod mercatus est? magisque putat permittendum agere. Idemque ait, & vt possit venditor Titio seruitutē vendere, æquè agere permittendum. hoc ita demum, si

excipiēdæ

excipiendæ ſeruitutis gratia id in traditione expreſſum
A eſt. cæterùm ſi quis (inquit) veritus, ne ſeruitus Titio
debeatur, ideo hoc excepit: non erit ex vendito actio,
ſi nullam ſeruitutem promiſit.

Qui vult ſeruitutem excipere, debet eam certam excipere.

VII. PAVLVS *lib.* V. *ad Sabinum.*

IN tradendis vnis ædibus, ab eo, qui binas habet, ſpecies ſeruitutis exprimenda eſt: ne ſi generaliter ſeruire dictum erit, aut nihil valeat, (quia incertum eſt, quæ ſeruitus excepta ſit) aut omnis ſeruitus imponi debeat.

Domus vel prædium medium non impedit ſeruitutem conſtitui, ſi poſtea per medium adquiratur. & ſi per medium deſinit, ſeruitus
B *non exſtinguitur, ſed interpellatur. Bartolus.*

Interpoſitis quoque alienis ædibus, imponi poteſt, vt altius tollere liceat, vel non tollere: vel etiam ſi iter debeatur, vt ita conualeſcat, ſi mediis ædibus ſeruitus poſtea impoſita fuerit: ſicuti per plurium prædia ſeruitus imponi etiam diuerſis temporibus poteſt. Quanquam dici poteſt, ſi tria prædia continua habeam, & extremum tibi tradam: vel tuo, vel meis prædiis ſeruitutem adquiri poſſe. Si verò extremo, quod retineã(quia & medium meum ſit) ſeruitutem conſiſtere. Sed ſi rurſus aut id, cui adquiſita ſit ſeruitus, aut medium alienauero: interpellari eum, donec medio prædio ſerui-
C tus imponatur.

Si duobus eodem momento diuerſarum rerum fiat traditio, non valet ſeruitus alteri impoſita, ſecus ſi ſeparatim traditur. Bar.

VIII. POMPONIVS *lib.* VIII. *ad Sabinum.*

SI cùm duas haberem inſulas, duobus eodem momẽto tradidero: vidẽdum eſt, an ſeruitus alterutris impoſita valeat. quia alienis quidem ædibus nec imponi, nec adquiri ſeruitus poteſt: ſed ante traditionem peractã ſuis magis adquirit, vel imponit is, qui tradit: ideoq́ue valebit ſeruitus.

Vendita hæreditate, ſeruitutes confuſæ aditione debent reſtitui. Bartolus.

IX. IDEM *lib.* X. *ad Sabinum.*

SI ei, cuius prædium mihi ſeruiebat, hæres exſtiti, &

eam tibi hæreditatem vendidi: reſtitui in priſtinum ſtatum ſeruitus debet: quia id agitur, vt quaſi tu hæres videaris exſtitiſſe. D

Venditor rei venditæ debet nominatim ſeruitutem imponere, nec valet exceptio generalis. Bartolus.

X. VLPIANVS *lib.* X. *ad Sabinum.*

QVidquid venditor ſeruitutis nomine ſibi recipere vult, nominatim recipi oportet. nam illa generalis receptio, QVIBVS EST SERVITVS, VTIQVE EST, ad extraneos pertinet, ipſi nihil proſpicit venditori ad iura eius conſeruanda. nulla enim habuit. quia nemo ipſe ſibi ſeruitutẽ debet. quinimò & ſi debita fuiſſet ſeruitus, deinde dominiũ rei ſeruientis perueniſſet ad me: conſequenter diceretur, exſtingui ſeruitutem. E

Conceſſa ſeruitute videntur conceſſa omnia, ſine quibus quis ſeruitute vti non poteſt: & ſicut quis non poteſt facere contra ſeruitutem, ita nec contra ea quæ ei tacite accedunt. Bartolus.

XI. POMPONIVS *lib.* XXXIII. *ad Sabinum.*

REfectionis gratia accedẽdi ad ea loca, quę nõ ſeruiãt, facultas tributa eſt his, quib⁹ ſeruit⁹. debetur (quà tamen accedere eis ſit neceſſe) niſi in ceſſione ſeruitutis, nominatim præfinitum ſit, quà accederetur. & ideo nec ſecundum riuum, nec ſupra eum (ſi fortè ſub terra aqua ducatur) locum religioſum dominus ſoli facere poteſt, ne ſeruitus intereat. & id verum eſt. Sed & F depreſſurum, vel adleuaturum riuum, per quem aquam iure duci poteſtatem habes, niſi ſi, id ne faceres, cautum ſit. Si per tuum fundum ius mihi eſt aquam riuo ducere: tacitè hæc iura ſequuntur, vt reficere mihi riuum liceat, vt adire quàm proximè poſſim ad reficiendum eum ego fabriqúe mei: item vt ſpacium relinquat mihi dominus fundi, quà dextra & ſiniſtra ad riuum eam, & quo terram, limum, lapidem, arenam, calcem iacere poſſim.

XII. PAVLVS *lib.* V. *ad Sabinum.*

CVm fundus fundo ſeruit, vendito quoque fundo ſeruitutes ſequuntur. ædificia quoque fundis, & fundi ædificiis eadem conditione ſeruiunt.

Poteſt

Potest quis se & suos hæredes obligare, ne in certa parte maris piscari liceat: non tamen erit seruitus realis. Bartolus.

A

XIII. VLPIANVS *lib.* VI. *Opinionum.*

VEnditor fundi Hieroniani fundo Botriano, quem retinebat, legem dederat, ne contra eum piscatio thynnaria exerceretur. quamuis mari (quod natura omnibus patet) seruitus imponi priuata lege nó potest: quia tamen bona fides contractus legem seruari venditionis exposcit: personæ possidentium, aut in ius eorum succedentium, per stipulationis vel venditionis legem obligantur.

Id quod nostrum est, absque facto nostro à nobis auferri non potest: nisi in contrarium sit consuetudo. Bartolus.

B Si constat in tuo agro lapidicinas esse: inuito te, nec priuato, nec publico nomine quisquam lapides cædere potest, cui id ius faciendi non est. nisi talis consuetudo in illis lapidicinis consistat: vt si quis voluerit ex his cędere, non aliter hoc faciat, nisi prius solitum pro hoc solatium domino præstet. Ita tamen lapides cædere debet, postquam satisfecit domino: vt neque vsus necessarij lapidis intercludatur, neq; commoditas rei iure domino adimatur.

XIIII. IVLIANVS *lib.* XLI. *Digestorum.*

ITem nihil prohibet iter sic constitui, vt quis interdiu dumtaxat eat. quod circa prędia vrbana etiam necessarium est.

C

Per eundem locum potest seruitus pluribus constitui. Bartolus.

XV. PAVLVS *lib.* I. ἐπιτομῶν *Alfeni digestorum.*

QVi per certum locum iter aut actum alicui cessit: eum pluribus posse per eũdem locum, vel iter, vel actum cedere, verum est. quéadmodum si quis vicino suas ædes seruas fecit, nihilominus aliis (quot volet) easdem ædes seruas facere potest.

Seruitus rustica & vrbana potest ex testamento constitui. Bart.

XVI. CAIVS *lib.* II. *rerum quotidianarum.*

POtest etiam in testamento hæredem suum quis damnare, ne altius ædes suas tollat, ne luminibus ædium vicinarum officiat: vel vt patiatur eum tignum in pariete immittere, stillicidiáve aduersus eũ habere: vel vt pa-

tiatur vicinum per fundum ſuum, vel hęredis ire agere, aquámve ex eo ducere.

De eo quod quis precario habet in loco tuo, non eſt locus interdicto de precario: nec ſeruitus videtur impoſita. de eo verò quod precario habet in ſuo loco ſeruiēte, habet locum interdictum de precario: & ſi donata fuerit ſeruitus, videtur remiſſa. Bartolus. D

XVII. VLPIANVS *lib.* VII. *Quæſtionum.*

SI precariò vicinus in tuo maceriam duxerit, interdicto QVOD PRECARIÒ agi non poterit: nec maceria poſita, donatio ſeruitutis perfecta intelligitur: nec vtiliter intendetur, ius ſibi eſſe inuito te ædificatum habere, cùm ædificium ſoli conditionem ſecutum, inutilem faciat intentionem. Cæterùm ſi in ſuo maceriam precariò, qui ſeruitutem tibi debuit, duxerit: neque libertas vſucapietur, & interdicto QVOD PRECARIÒ vtiliter cum eo agetur. Quòd ſi donationis cauſſa permiſeris: hoc interdicto agere non poteris, & ſeruitus donatione tollitur. E

Si plures domini ſeparatim ſeruitutem cōſtituunt, nouiſſima conſtitutione ſeruitus confirmatur, niſi mutatio cōtigerit in perſona conſtituentis, vel adquirentis, vel alterius ex ſociis. Bartolus.

XVIII. PAVLVS *lib.* I. *Manualium.*

REceptum eſt, vt plures domini, & non pariter cedentes, ſeruitutes imponāt, vel adquirant: vt tamē ex nouiſſimo actu etiā ſuperiores confirmentur, perindéque ſit, atque ſi eodem tempore omnes ceſſiſſent. Et ideo, ſi is qui primus ceſſit, vel defunctus ſit, vel alio modo partem ſuam alienauerit: poſt deinde ſocius ceſſerit: nihil agetur. cùm enim poſtremus cedit, nō retro adquiri ſeruitus videtur: ſed perinde habetur, ac ſi cùm poſtremus cedit, omnes ceſſiſſent. igitur rurſus hic actus pendebit, donec nouus ſocius cedat. Idem iuris eſt, etſi vni ex dominis cedatur, deinde in perſona ſocij aliquid horum acciderit. Ergo & ex diuerſo, ſi ei, qui non ceſſit, aliquid eorum contigerit: ex integro omnes cedere debebunt. tantum enim tempus eis remiſſum eſt, quo dare facere vel diuerſis temporibus poſſint. & ideo non poteſt vni, vel vnus cedere. Idémque dicendum eſt, ſi alter cedat, alter leget ſeruitutē. Nam ſi omnes ſocij legent ſeruitutem, F

uitutem,& pariter eorum adeatur hæreditas: potest dici
A vtile esse legatum. si diuersis temporib⁹: inutiliter dies legati cedit.neque enim,sicut viuētium,ita & defunctorum actus suspendi receptum est.

SI SERVITVS VINDICETVR, VEL *ad alium pertinere negetur.* Titulus V.

VLPIANVS *lib.* XIIII.*ad edictum.*

A Ctiones de seruitutibus(siue rusticis,siue vrbanis)eorum sunt,quorū prædia sunt. Sepulchra autem nostri dominij non sunt . atquin viam ad sepulchrum possumus vindicare.

B *Confessoria & negatoria competit domino,non alii.Bartolus.*

II. IDEM *lib.* XVII. *ad edictum.*

DE seruitutibus in rem actiones competūt nobis ad exemplum earum, quæ ad vsumfructum pertinēt, tam confessoria,quàm negatoria:confessoria ei, qui seruitutes sibi competere cōtendit: negatoria domino, qui negat. Hæc autem in rem actio confessoria non alij, quàm domino fundi competit. seruitutē enim nemo vindicare potest , quàm qui dominium in fundo vicino habet,cui seruitutem dicit deberi.

Fructuarius habet facultatem eundi per fundum domini,per quē ibat dominus non iure seruitutis.Bartolus.

C Rectè Neratius scribit,si medij loci vsusfructus legetur,iter quoq; sequi: per ea scilicet loca fundi, per quæ qui vsumfructum concessit,constitueret,quatenus est ad fruendum necessarium. Nanque sciendum est iter,quod fruendi gratia fructuario præstatur,non esse seruitutem. neque enim potest soli fructuario seruitus deberi: sed si fundo debeatur,& ipse fructuarius ea vtetur.

Fructuario competit iudicium possessorium pro seruitute,sicut domino.Bartolus.

Pomponius dicit , fructuarium interdicto DE ITINERE vti posse,si hoc anno vsus est. Alibi enim de iure,id est,in confessoria actione: alibi de facto, vt in hoc interdicto quæritur,quod & Iulianus libro quadragesimo octauo

mooctauo Digestorum scribit. pro sententia Iuliani facit, quod Labeo scribit: etiam si testator vsus sit itinere, D
qui legauit vsumfructum: debere vtile interdictum fructuario dari, quemadmodum & hæredi vel emptori competunt hæc interdicta.

III. IDEM *lib.* LXX. *ad edictum.*

SEd & si partem fundi quis emerit, idem dicẽdum est.

IIII. IDEM *lib.* XVII. *ad edictum.*

LOci corpus non est dominij ipsius, cui seruitus debetur, sed ius eundi habet. Qui iter sine actu, vel actum sine itinere habet, actiõe de seruitute vtetur. In confessoriam actionem, quæ de seruitute mouetur, fructus etiam veniunt. Sed videamus, qui possunt esse fructus seruitutis. & est verius, id demum fructuum nomine E
computãdum, si quid intersit agentis, seruitutẽ non prohiberi. Sed & in negatoria actione (vt Labeo ait) fructus computantur, quanti interest petitoris, non vti fundi sui itinere aduersarium. & hanc sententiam & Pomponius probat. Si fundus, cui iter debetur, plurium sit: vnicuique in solidum cõpetit actio: & ita & Pomponius libro quadragesimoprimo scribit. sed in æstimatione id, quod interest, veniet: scilicet quod eius interest, qui experietur. Itaque de iure quidẽ ipso singuli experientur, & victoria etiam aliis proderit: æstimatio autem ad id, quod eius interest, reuocabitur: quãuis per vnum seruitus adquiri non possit. Sed & si duorum fundus sit, qui seruiat: F
aduersus vnumquemque poterit ita agi. & (vt Põponius libro eodem scribit) quisquis defendit, solidum debet restituere: quia diuisionẽ hæc res non recipit. Si quis mihi itineris, vel actus, vel viæ cõtrouersiam non faciat, sed reficere, sternere nõ patiatur: Pomponius scribit eodem libro, confessoria actione mihi vtendum. Nam & si arborem impendentem habeat vicinus, quæ viam, vel iter inuium, vel inhabile faciat: Marcellus quoque apud Iulianum notat, petendum iter, vel viam vindicandam. Sed de refectione viæ & interdicto vti possumus, quod de itinere actúque reficiendo competit, non tamen, si silicẽ quis sternere velit: nisi nominatim id conuenit. Sed & de haustu (quia seruitus est) competunt nobis in rem actiones.

actiones. Cõpetit etiam de seruitute actio domino ædificij, neganti seruitutem se vicino debere: cuius ædes non in totum liberę sunt, sed ei, cum quo agitur, seruitutem nõ debét. Verbi gratia. habeo ædes, quibus sunt vicinæ & Seianæ, & Sẽpronianæ. Sẽpronianis seruitutem debeo. aduersus dominum Seianarũ volo experiri, altius me tollere prohibẽtem. in rem actione experiar. licet enim seruiant ædes meę: ei tamen, cũ quo agitur, non seruiũt. hoc igitur intẽdo: habere me ius altius tollẽdi, inuito eo, cum quo ago. quãtum enim ad eũ pertinet, liberas ædes habeo. Si cui omnino altius tollere nõ liceat: aduersus eum rectè agetur, ius ei non esse tollere. Hæc seruitus & ei, qui vlteriores ædes habet, deberi poterit.

A

B

V. PAVLVS *lib.* XXI. *ad edictum.*

ET ideo si inter meas & Titij ædes, tuæ intercedant: possum Titij ædibus seruitutem imponere, ne liceat ei altius tollere, licet tuis non imponatur: quia donec tu non extollis, est vtilis seruitus.

VI. VLPIANVS *lib.* XVII. *ad edictum.*

ET si fortè, qui medius est (quia seruitutem non debebat) altius extulerit ædificia sua, vt iam ego non videar luminibus tuis obstaturus, si ædificauero: frustra intendes ius mihi non esse, ita ædificatum habere, inuito te. Sed si intra statutũ tempus rursus ædificiũ suum deposuerit vicinus: renascetur tibi vindicatio.

C *Istæ actiones cõpetunt etiam quasi possidenti seruitutem: & quasi possessio dicitur si domus detinetur depressa: secus si fuerit eleuata. Bartolus.*

Sciendum tamen, in his seruitutibus eundem esse possessorem iuris & petitorem: & si fortè non habeam ædificatum altius in meo, aduersarius meus possessor est. Nam cùm nihil sit innouatum: ille possidet, & ædificantem me prohibere potest & ciuili actione, & interdicto QVOD VI AVT CLAM. idem & si lapilli iactu impedierit. Sed & si patiẽte eo ædificauero: ego possessor ero effectus.

Pro seruitute oneris ferendi competit hæc actio, etiam vt reficiatur paries qui debet sustinere onus. quæ actio est in rem, & competit cuilibet ex dominis insolidum sicut in aliis seruitutibus. Bartolus.

Etiam

Etiam de ſeruitute, quæ oneris ferendi cauſſa impoſita erit, actio nobis competit: vt & onera ferat, & ædificia reficiat ad eum modum, qui ſeruitute impoſita comprehenſus eſt. Et Gallus putat, non poſſe ita ſeruitutem imponi, vt quis facere aliquid cogeretur, ſed ne me facere prohiberet. Nam in omnibus ſeruitutibus refectionem ad eum pertinere, qui ſibi ſeruitutem adſerat: non ad eum cuius res ſeruiat. Sed præualuit Seruij ſententia in propoſita ſpecie: vt poſſit quis defendere, ſibi ius eſſe cogere aduerſarium reficere parietem ad onera ſua ſuſtinenda. Labeo autem hãc ſeruitutem non hominem debere, ſed rem. denique licere domino rem derelinquere ſcribit. Hæc etiam actio in rẽ magis eſt, quàm in perſonam: & non alij competit, quàm domino ædium aduerſus dominum. ſicuti cæterarum ſeruitutum intentio. Si ædes plurium dominorum ſint, an in ſolidum agatur, Papinianus libro tertio quæſtionum tractat: & ait ſingulos dominos inſolidum agere, ſicut in cæteris ſeruitutibus, excepto vſufructu. Sed non idem reſpondendum eſſe inquit, ſi communes ædes eſſent, quæ onera vicini ſuſtinerent. Modus autem refectionis in hac actione ad eum modum pertinet, qui in ſeruitute impoſita continetur: fortè vt reficiat lapide quadrato, vel lapide ſtructili, vel quouis alio opere, quod in ſeruitute dictum eſt. Veniunt & fruct⁹ in hac actione: id eſt cõmodum, quod haberet, ſi onera eius ædium vicinus ſuſtineret. Parietem autem meliorem quidẽ, quàm in ſeruitute impoſitum eſt, facere licet: deteriorem ſi faciat, aut per hanc actionem, aut per operis noui nunciationẽ prohibetur.

D E F

In hac actione per officium iudicis ſit reſtitutio rei: & præſtatur cautio: & contra non reſtituentem iuratur in litem. Bar.

VII. PAVLVS *lib.* XXI. *ad edictum.*

HArum actionum euentus hic eſt: vt victori officio iudicis aut res præſtetur, aut cautio. Res ipſa hæc eſt, vt iubeat iudex aduerſarium emẽdare vicium parietis, & idoneum pręſtare. Cautio autem, vt eum iubeat de reficiendo pariete cauere: neque ſe, neque ſucceſſores eius prohibituros altius tollere, ſublatumq́ue habere. &

ſi cauerit,

si cauerit, absoluatur. si verò neque rem præstet, neque
A cautionem: tanti condemnetur, quanti actor in litem iurauerit.

Quando paries seruiens reficitur: fultura, ne domus dominans corruat, ad dominum eius pertinet. Bar.

VIII. VLPIANVS *lib.* XVII. *ad edictum.*

Sicuti autem refectio parietis ad vicinum pertinet: ita fultura ædificiorum vicini, cui seruitus debetur, quamdiu paries reficitur, ad inferiorem vicinum nō debet pertinere. Nam si non vult superior fulcire, deponat & restituat, cùm paries fuerit restitutus. Et hic quoque, sicut in cæteris seruitutibus, contraria actio dabitur: hoc est, ius tibi non esse me cogere. Competit mi-
B hi actio aduersus eum, qui cessit mihi seruitutem: vt in parietem eius tigna immittere mihi liceat, superque ea tigna (verbi gratia) porticum ambulatoriam facere, superq; eum parietem columnas structiles imponere, quæ tectum porticus ambulatoriæ sustineant. Distant autē hæ actiones inter se: quòd superior quidem locum habeat, etiam ad compellendum vicinum reficere parietē: hæc verò locum habet ad hoc solùm, vt tigna suscipiat. quod non est contra genera seruitutum.

Si tigna sunt immissa, dicitur quis esse in quasi possessione seruitutis: sin autem, dicitur esse aduersarius in quasi possessione libertatis. Bar.

C Sed si quæratur, quis possessoris, quis petitoris partes sustineat? sciendum est, possessoris partes sustinere: (siquidem tigna immissa sint) eum, qui seruitutem sibi deberi ait: si verò non sunt immissa, eum qui negat. Et siquidem is obtinuerit, qui seruitutem sibi defendit: non debet ei seruitus cedi, siue rectè pronunciatum est (quia habet) siue perperam. quia per sententiam nō debet seruitus constitui, sed quæ est, declarari. Planè si non vtendo post litem contestatam amisit dolo malo domini ædium: ei restitui oportet, quemadmodum placet in dominio ædium.

Dominus partis inferioris non potest in superiores iure seruitutis fumum immittere, & dominus partis superioris non potest in inferiores immittere aquam: nisi aliud actum sit. & pro his compe-

tunt ha

sunt hæ actiones, & etiam interdicta possessoria. Bar.

Aristo Cerellio Vitali respondit: non putare se, ex taberna casearia fumum in superiora ædificia iure immitti posse, nisi ei rei seruitus talis admittatur. Ideo (ait) quia & ex superiore in inferiora non aquam, non quid aliud immitti licet. in suo enim alicui hactenus facere licet, quatenus nihil in alienum immittat. Fumi autem, sicut aquę, immissionem esse. posse igitur superiorem cum inferiore agere, ius illi non esse, id ita facere. Alfenum denique scribere ait, posse ita agi: ius illi non esse in suo lapidem cædere, vt in meum fundum fragmenta cadant. Dicit igitur Aristo eum, qui tabernam caseariam à Minturnensibus conduxit, ad superiora prohiberi posse fumum immittere. sed Minturnenses ei ex conducto teneri agique sic posse dicit cum eo, qui eum fumum immittat, ius ei nō esse fumum immittere. Ergo & per contrarium agi poterit, ei ius esse. quod & ipsum videtur Aristo probare. Sed & interdictū VTI POSSIDETIS poterit locum habere, si quis prohibeatur, qualiter velit, suo vti. D E

Non valet pactum vt alieni liceat facere, quod de iure communi facere poterat. secus si de iure communi facere non poterat. Bar.

Apud Pomponiū dubitatur libro duodecimo lectionum, an quis possit ita agere, licere fumum non grauem (puta ex foco) in suo facere: aut non licere. & ait, magis non posse agi: sicut agi non potest, ius esse in suo ignem facere, aut sedere, aut lauare. Idem in diuersum probat. nam & balineis (inquit) vaporibus cùm Quintilla cuniculum pergentem in Iulij Vrsi instruxisset: placuit potuisse tales seruitutes imponi. F

Natura confessoriæ est, vt per eam destruatur quicquid est factū contra debitam seruitutem: sed si ædificium ius seruitutis exstinxit, de dolo agitur. Bar.

IX. PAVLVS *lib.* XXI. *ad edictum.*

SI eo loco, per quem mihi iter debetur, tu ædificaueris: possum intendere, ius mihi esse ire agere. quod si probauero: inhibebo opus tuum. Item Iulianus scribit, si vicinus in suo ædificando effecerit, vt ne stillicidium meum reciperetur: posse me agere de iure meo, id est,

ius mihi

ius mihi esse immittendi stillicidium, sicut in via diximus. Et si quidem nondum ædificauit: siue vsumfructũ,
A siue viam habet: ius sibi esse ire agere vel frui, intendere potest. quod si iam ædificauit dominus: is, qui iter & actum habet, adhuc potest intendere, ius sibi esse: fructuarius autem non potest, quia amisit vsumfructum. & ideo de dolo actionem dandam hoc casu Iulianus ait. Contrà si in itinere, quod per fundum tibi debeo, ædifices: rectè intendam, ius tibi non esse, ædificare vel ædificatum habere: quemadmodum si in area mea quid ædifices. Qui latiore via vel angustiore vsus est, retinet seruitutem: sicuti qui aqua, ex qua ius habet vtendi, alia mista vsus est, retinet ius suum.

B *In præscriptione seruitutum realium non adquiritur.* Bar.

X. VLPIANVS *lib.* LIII. *ad edictum.*

SI quis diuturno vsu & longa quasi possessione ius aquæ ducendæ nactus sit: non ei necesse est docere de iure, quo aqua constituta est (veluti ex legato, vel alio modo) sed vtilem habet actionem, vt ostendat per annos (forte tot) vsum se non vi, non clam, non precariò. Agi autem hac actione poterit non tantùm cum eo, in cuius agro aqua oritur, vel per cuius fundum ducitur: verùm etiam cum omnibus, ne quicũque aquam ducerem, impediunt: exemplo scilicet cæterarum seruitutum. Et generaliter: quicũque aquam nõ * ducere impediunt, hac *al. me.
C actione cum eo experiri potero.

Vnus ex sociis potest alium ædificantem impedire iure coniunctionis, non iure seruitutis. Bar.

XI. MARCELLVS *lib.* VII. *Digestorum.*

AN vnus ex sociis in communi loco, inuitis cæteris, iure ædificare possit: id est, an si prohibeatur à sociis, possit cum iis ita experiri, ius sibi esse ædificare: & an socij cum eo ita agere possint, ius sibi prohibendi esse, vel illi ædificandi non esse: & si ædificatum iam sit, num possint cum eo ita experiri, ius illi non esse ita ædificatum habere: quæritur? Et magis dici potest: prohibẽdi potius, quàm faciendi ius socio esse: quia ille, qui facere conatur (vt dixi) quodammodo sibi alienum quoq; ius præcipit: si quasi solus dominus sit, ad suum arbitriũ

vti

vti communi iure velit.

In negatoria cogitur victus cauere, quod in futurum seruitute nõ vtatur. Bar. D

XII. IABOLENVS *lib.* II. ἐπιςολῶν.

EGi, ius illi non esse, tigna in parietem meum immissa habere. an & de futuris non immittendis cauendũ est? Respondi. iudicis officio contineri puto, vt de futuro quoque opere caueri debeat.

Non potest quis habere canalem in suo, per quem aqua proiiciatur in alieno. Bar.

XIII. PROCVLVS *lib.* V. ἐπιςολῶν.

FIstulas, quibus aquam duco, in via publica habeo: & hæ ruptæ inundant parietem tuum. puto te posse rectè mecũ agere, ius mihi non esse, flumina ex meo in tuũ parietem fluere. E

Qui tigna immittit vltra quam statutum sit, actione negatoria tollere cogatur. Bar.

XIIII. POMPONIVS *lib.* XXXIII. *ad Sabinũ.*

SI cùm meus proprius paries esset, passus sim immittere tigna, quæ antea habueras: si noua velis immittere, prohiberi à me potes: imò etiam agere tecum potero, vt ea quæ noua immiseris, tollas. Si paries communis, opere à te facto, in ædes meas se inclinauerit: potero tecum agere, ius tibi non esse, parietem illum ita habere.

Si administrator minoris faciat contra debitam seruitutem, tenetur tutela, & etiam competit confessoria. Bar. F

XV. VLPIANVS *lib.* VI. *Opinionum.*

ALtius ædes suas extollendo, si quis vt luminibus domus minoris annis viginti quinque, vel impuberis, cuius curator vel tutor erat, officiatur, efficit: quamuis hoc quoq; nomine actione ipse hæredesque teneãtũr (quia quod alium faciẽtem prohibere ex officio necesse habuit, id ipse committere non debuit) tamen & aduersus possidentem easdem ædes, danda est impuberi vel minori actio, vt quod non iure factum est, tollatur.

Ex titulo & quasi possessione seruitutis consequitur quis actionẽ & exceptionem. Bar.

XVI. IVLIANVS *lib.* VII. *Digestorum.*

Si à te

SI à te emero, vt mihi liceat ex ædibus meis in ædes
A tuas stillicidium immittere: & postea, te sciente, ex caussa emptionis immissum habeam: quæro, an ex hac caussa actione quadam vel exceptione tuendus sim? Respondi, vtroque auxilio me vsurum.

Si ædificium vicini super meum inclinatur, per negatoriã actionem tollere cogetur. Bar.

XVII. ALFENVS *lib.* II. *Digestorum.*

SI quando inter ædes binas paries esset, qui ita ventrem faceret, vt in vicini domo semipedem aut amplius procumberet: agi oportet, ius non esse, illum parietem ita proiectum in suũ esse, inuito se. Cũ in domo Caij Seij locus quidam ædibus Annij ita seruiret, vt
B in eo loco positum habere ius ei non esset: & Seius in eo syluam seuisset, neque non labra, crateras, cucumellas positas haberet: Annio consilium omnes iurisperiti dederunt, vt cum eo ageret, ius ei non esse, in eo loco ea posita habere, inuito se. Secũdum cuius parietem vicinus sterquilinium fecerat, ex quo paries madescebat: consulebatur, quemadmodum posset vicinum cogere, vt sterquilinium tolleret. Respondi, si in loco publico id fecisset, per interdictum cogi posse: sed si in priuato, de seruitute agere oportere: sed si damni infecti stipulatus esset, posse per eam stipulationem, si quid ex ea re sibi damni datum esset, seruare.

C *Qui agit confessoria pro seruitute & interesse, reo contumace mittitur in possessionem omnium bonorum: à qua non recedit nisi fuerit integre satisfactum.* Bar.

XVIII. IVLIANVS *lib.* VI. *ex Minicio.*

IS, cuius familia vicinum prohibebat aquam ducere, sui potestatem non faciebat, vt secum agi posset. quærit actor, quid sibi faciendum esset? Respondi, oportere prætorem caussa cognita iubere bona aduersarij possideri: & nõ antè inde discedere, quàm is actori ius aquæ ducendæ restituisset, & si quid, qui aquam ducere prohibitus esset, siccitatibus detrimenti cepisset: veluti si prata arborésue exaruissent.

Sententia lata contra vnum ex sociis, non præiudicat cæteris, si eius culpa acciderit, secus si dolo. Bar.

XIX. MARCIANVS *lib. III. Regularum.*

SI de communi seruitute quis bene quidé deberi intendit, sed aliquo modo litem perdidit culpa sua: nõ est æquum hæc cæteris damno esse. Sed si per collusionem cessit litem aduersario: cæteris dandam esse actionem de dolo Celsus scribit, idque ait Sabino placuisse. D

Qui negat rem, videtur velle vt ei concedatur seruitus per aliam rem propriam, prout ipse vtebatur. Bar.

XX. SCAEVOLA *lib. IIII. Digestorum.*

TEstatrix fundo, quem legauerat, casas iunctas habuit. quæsitum est, si hæ fundo legato nõ cederét: cumque legatarius vindicasset, an iste fundus aliquam seruitutem casis deberet: aut si ex fideicommissi caussa sibi dari legatarius desideraret, hæredes seruitutem aliquam casis excipere deberent? Respondi, debere. Plures ex municipibus, qui diuersa prædia possidebant, saltum communem, vt ius compascendi haberent, mercati sunt: idque etiam à successoribus eorum est obseruatũ. sed nonnulli ex his, qui hoc ius habebãt, prædia illa sua propria venundederunt. Quæro, an in venditione etiam ius illud secutum sit prædia: cùm eius voluntatis venditores fuerint, vt hoc alienarent? Respondi, id obseruandum, quod actum inter contrahentes esset: sed si voluntas contrahentium manifesta non sit, & hoc ius ad emptores transire. Item quæro, an cùm pars illorũ propriorum fundorum legato ad aliquem transmissa sit, aliquid secum compascui iuris traxerit? Respondi, cùm id quoque ius fundi, qui legatus esset, videretur: id quoq; cessurum legatario. E F

XXI. LABEO *lib. I. πιθανῶν à Paulo epitomatorum.*

SI qua aqua nondum apparet, eius iter constitui non potest. PAVLVS. imò puto idcirco id falsum esse, quia cedi potest: vt aquam quærere, sed & inuentam ducere liceat.

QVEMADMODVM SERVITVtes amittantur. Tit. VI.

CAIVS *lib. VII. ad edictum prouinciale.*

Seruitutes

A SEruitutes prædiorum cõfunduntur, si idem vtriusque prædij dominus esse cœperit.

Propter vsum partis quo ad commoditatem tota seruitus retinetur. Bart.

II. PAVLVS *lib.* XXI. *ad edictum.*

QVi iter & actum habet, si statuto tempore tantùm ierit: non periisse actum, sed manere Sabinus, Cassius, & Octauenus aiunt. nam ire quoque per se eum posse, qui actum haberet.

III. CAIVS *lib.* VII. *ad edictum prouinciale.*

IVra prædiorum morte & capitis deminutione nõ perire vulgo traditum est.

IIII. PAVLVS *lib.* XXVII. *ad edictum.*

B ITer sepulchro debitum non vtendo non amittitur.

V. IDEM *lib.* XXI. *ad edictum.*

SEruitus & per socium, & fructuarium, & bonæ fidei possessorem nobis retinetur.

Si vna est via, indiuisibilis est, & ideo vel tota amittitur, vel tota retinetur, sed si de vna fiant duæ, potest vna amitti, & alia retineri & econtra. Bar.

VI. CELSVS *lib.* V. *Digestorum.*

NAm satis est fundi nomine itum esse. Si ego via, quæ nobis per vicini fundum debebatur, vsus fuero, tu autem constituto tempore cessaueris: an ius tuum amiseris? & econtrario, si vicinus, cui via per nostrũ fundum debebatur, per meam partem ierit egerit, tuam partem ingressus non fuerit: an partem tuam liberauerit? C Respondi. si diuisus est fundus inter socios regionibus (quod ad seruitutem attinet, quæ ei fundo debebatur) perinde est, atque si ab initio duobus fundis debita sit: & sibi quisque dominorum vsurpat seruitutem, sibi non vtẽdo deperdit, nec amplius in ea re caussæ eorum miscentur. Nec fit iniuria ei, cuius fundus seruit, qui fit eo melior: quoniam alter dominorum vtendo, sibi, non toti fundo proficit. Sed si is fundus, qui seruierit, ita diuisus est: plusculum dubitationis ea res habet. nam si certus ac finitus viæ locus est: tunc si per longitudinem eius fundus diuisus est, eadem omnia seruanda erunt, quæ si initio constituendæ eius seruitutis similiter hi duo fundi fuis-

di fuiſſent. Si verò per latitudinem viæ fundus diuiſus eſt(nec multum refert, æqualiter id factum ſit, an inæqualiter)tūc manet idem ius ſeruitutis, quod fundo indiuiſo fuerat:nec aut vſu detineri, aut non vtendo deperire,niſi tota via,poterit. Nec ſi fortè inciderit,vt ſemita,quæ per alterum dumtaxat fundum erat,vteretur: idcirco alter fundus liberabitur.quoniā vnum,atq; eo modo indiuiduū ius viæ eſt.Poſſunt tamen alterutrum fundum liberare,ſi modò hoc ſpecialiter conuenit.Certè ſi is,cui ſeruitus debebatur, alterum ex ea diuiſione fundum redemerit: non ideò minus ea re fundi alterius ſeruitus permanebit.nec video, quid abſurdi conſecuturū ſit eam ſententiam,fundo altero manente ſeruo:ſi modò & ab initio potuit anguſtior conſtitui via, quàm lege finita eſt:& adhuc id loci ſupereſt in eo fundo,cui remiſſa ſeruitus non eſt, vt ſufficiat viæ. Quòd ſi minus loci ſupereſt, quàm viæ ſufficiat:vterq; fundus liberabitur: alter propter redemptionem,alter quia per eum locum, qui ſupereſt via conſtitui non poteſt. Cæterùm ſi ita conſtitutum eſt ius viæ, vt per quamlibet partem fundi ire agere liceat,liceatque vel ſubinde mutare: aut ſi ita diuiſus eſt fundus,vt per quamlibet eius partē æquè iri atque agi poſſit:tunc perinde obſeruabimus,atque ſi ab initio duobus fundis duæ ſeruitutes iniunctæ fuiſſent: vt altera retineri,altera nō vtendo poſſit deperire. Nec me fallit alieno facto ius alterius immutatum iri: quoniam antè ſatius fuerat per alteram partem fundi ire agere, vt idē ius ei in alteram partem fundi retineretur. Contrà,illud commodū acceſſiſſe ei,cui via debebatur: quod per duas pariter vias ire agere poſſit, pedes octonos in porrectum,ſenosque denos in amfractum.

D E F

*Seruitus quæ non habet quotidianum vſum vtendi,amittitur tēpore conſtituto duplicato.*Bar.

VII. PAVLVS *lib.* XII. *ad Plautium.*

SI ſic conſtituta ſit aqua,vt vel æſtate tantùm ducatur, vel vno menſe:quæritur, quemadmodum non vtendo amittatur:quia non eſt continuum tempus, quo cum vti non poteſt,nō ſit vſus? Itaque & ſi alternis annis vel menſibus quis habeat aquam:duplicato conſtituto tempore

pore amittitur. idem & de itinere custoditur. Si verò alternis diebus, aut die toto, aut nocte tantùm : statuto legibus tempore amittitur, quia vna seruitus est. Nam & si alternis horis, vel vna hora quotidie seruituté habeat: Seruius scribit, perdere eum non vtendo seruitutem: quia id quod habet, quotidianum sit.

A

Qui permittit ædificari in loco seruiente, ius seruitutis amittit. Bartolus.

VIII. IDEM *lib* XV. *ad Plautium.*

SI stillicidij immittédi ius habeã in aream tuã, & permisero ius tibi in ea area ædificãdi : stillicidij immittédi ius amitto. Et similiter si per tuum fundum via mihi debeatur, & permisero tibi in eo loco, per quem mihi via debetur, aliquid facere: amitto ius viæ.

B

Is, qui per partem itineris it, totú ius vsurpare videtur.

IX. IABOLENVS *lib.* III. *ex Plautio.*

SI in partem aquagij aqua influxit: etiam si non ad vltima loca peruenit, omnibus tamé partibus vsurpat.

In diuiduis retinet quis per socium, quod per se non potest. Bart.

X. PAVLVS *lib.* XV. *ad Plautium.*

SI communem fundum ego & pupillus haberemus: licet vterque nó vteretur, tamen propter pupillum & ego viam retineo.

Qui vtitur alio tempore quàm quo sibi debetur seruitus, seruitutem non vtendo amittit. Bart.

C

Si is, qui nocturnam aquam habet, interdiu per constitutum ad amissionem tempus vsus fuerit : amisit nocturnam seruitutem, qua vsus non est. Idem est in eo, qui certis horis aquæductum habens, aliis vsus fuit, nec vlla parte earum horarum.

Qui vtitur seruitute plus debito, seruitutem retinet. Bar.

XI. MARCELLVS *lib.* IIII. *Digestorum.*

SI, cui via vel actus debebatur, vt vehiculi certo genere vteretur, alio genere fuerit vsus : videamus, ne amiserit seruitutem, & alia sit eius conditio, qui ampli' oneris, quàm licuit, vexerit: magisque hic plus, quàm aliud egisse videatur: sicuti si latiore itinere vsus sit, aut si plura iumenta egerit, quàm licuit, aut aquæ admiscuerit aliam. Ideoque in omnibus istis quæstionibus serui-

tus quidem non amittitur: non autem conceditur plus, quàm pactum est, in seruitute habere. D

Resoluto iure concedentis resoluitur ius seruitutis cõcessæ ab eo. Bartolus.

Hæres cùm legatus esset fundus sub conditione, imposuit ei seruitutes. an exstinguantur, si legati conditio existat, videamus: an adquisitæ sequantur legatarium. & magis dicendum est, vt sequantur.

Seruitus retinetur per quemcũque vtentem, & etiam per aquam naturalem currentem. Bartolus.

XII. CELSVS *lib.* XXIII. *Digestorum.*

QVi fundum alienum bona fide emit, si itinere, quod ei fundo debetur, vsus est: retinet id ius itineris. idemque & si precariò, aut vi deiecto domino, E possidet. fundus enim qualiter qualiter se habens, cũ in suo habitu possessus est, ius nõ deperit, neque refert iuste, nécne possideat, qui talem eum possidet. Quarè fortius, & si aqua per riuum sua sponte perfluxit, ius aquæ ducendæ retinetur. quod & Sabino rectè placet, vt apud Neratium libro quarto membranarum scriptum est.

Medius locus nõ seruiens seruitutem interpellat, non exstinguit: & ideo ante finitum tempus præscriptionis potest restaurari. Bart.

XIII. MARCELLVS *lib.* XVII. *Digestorum.*

SI quis ex fundo, cui viam vicinus deberet, vendidisset locum proximum seruienti fundo, non imposita seruitute: & intra legitimum tempus, quo seruitutes pereunt, rursus eum locum adquisisset: habiturus est seruitutem, quam vicinus debuisset. F

Si fundo flumine occupato, alluuiône seruitus exstinguatur, seruitus restituitur. Bar.

XIIII. IABOLENVS *lib.* X. *ex Cassio.*

SI locus, per quem via, aut iter, aut actus debebatur, impetu fluminis occupatus esset: & intra tẽpus, quod ad amittẽdam seruitutem sufficit, alluuione facta restitutus est: seruitus quoque in pristinũ statum restituitur. Quòd si id temp⁹ præterierit, vt seruitus amittatur: renouare eam cogendus est. Cùm via publica fluminis impetu vel ruina amissa est, vicinus proximus viã præstare debet.

Redemptione

Redemptione vnius ex fundis seruientibus non exstinguitur seruitus debita per alios. Bartolus.

A XV. IDEM *lib.* II. ἐπιςολῶν.

SI cùm seruitus mihi per plures fundos deberetur, medium fundum adquisiui, manere seruitutem puto: quia toties confunditur seruitus, quoties vti ea is, ad quem pertinet, non potest. medio autem fundo adquisito potest consistere, vt per primum & vltimum iter debeatur.

Si per eundem riuum aqua ad plura prædia ducitur, plures seruitutes sunt: & potest vna amitti altera remanente: & quod vnus perdit, alteri non adcrescit. Bartolus.

XVI. PROCVLVS *lib.* I. ἐπιςολῶν.

B AQuam, quæ oriebatur in fundo vicini, plures per eundem riuum iure ducere soliti sunt, ita vt suo quisq; die à capite duceret: primò per eundẽ riuũ, eũque communem: deinde vt quisque inferior erat, suo quisque proprio riuo. vnus statuto tempore, quo seruitus amittitur, non duxit. existimo eum ius ducẽdæ aquæ amisisse, nec per cæteros, qui duxerunt, eius ius vsurpatum esse. proprium enim cuiusque eorũ ius fuit, nec per alium vsurpari potuit. Quòd si plurium fundo iter aquæ debitum esset: per vnum eorum omnibus iis, inter quos is fundus communis fuisset, vsurpari potuisset.

C Item si quis eorum, quibus aquæductus seruitus debebatur, & per eundem riuum aquam ducebant, ius aquæ ducendæ non ducendo eam amiserit: nihil iuris eo nomine cæteris, qui riuo vtebantur, adcreuit: idque cõmodum eius est, per cuius fundum id iter aquæ non vtendo pro parte vnius amissum est. libertate enim huius partis seruitutis fruitur.

XVII. POMPONIVS *lib.* XI. *ex variis lectionibus.*

LAbeo ait: si is, qui haustum habet, per tempus, quo seruitus amittitur, ierit ad fontem, nec aquam hauserit: iter quoque eum amisisse.

XVIII. PAVLVS *lib.* XV. *ad Sabinum.*

SI quis alia aqua vsus fuerit, quàm de qua in seruitute imponenda actum est: seruitus amittitur. Tempus, quo non est vsus præcedens fundi dominus, cui ser-

uitus debebatur: imputatur ei, qui eius loco successit.

Non præscribitur libertas in vrbanis seruitutibus: nisi factum domini prædii seruientis interuenerit. Bartolus. D

Si cùm ius haberes immittendi, vicinus statuto tempore ædificatum nõ habuerit, ideoque nec tu immittere potueris: nõ ideo magis seruitutem amittes: quia nõ potest videri vsucepisse vicinus tuus libertatem ædium suarum, qui ius tuum non interpellauit.

Actio personalis pro seruitute non tollitur tempore, quo amittitur seruitus constituta. Item sola promissione inter viuos seruitus nõ constituitur, sed legato sic aditione secuta: nec potest repudiari si ad alium transitum fecerit. Bartolus.

XIX. POMPONIVS *lib.* XXXIII. *ad Sabinũ.*

SI partem fundi vendendo lege cauerim, vt per eam partem in reliquum fundũ meum aquã ducerem: & statutũ tempus intercesserit, antequam riuum facerem: nihil iuris amitto (quia nullum iter aquæ fuit) sed manet mihi ius integrum: quod si fecissem iter, nec vsus essem, amittam. Si per fundum meum viam tibi legauero, & adita mea hæreditate per constitutum tempus ad amittendam seruitutem, ignoraueris eam tibi legatã esse: amittes illam nõ vtendo. quòd si intra tẽpus, quàm nescires tibi legatam seruitutem, fundum tuum vendideris: ad emptorem via pertinebit, si reliquo tempore ea vsus fuerit: scilicet quia tua esse cœperat, vt iam nec ius repudiandi legatum tibi possit cõtingere, cùm ad te fundus non pertineat. E F

Per quæcunque nomine fundi vtentem seruitus retinetur. Bar.

XX. SCAEVOLA. *lib.* I. *Regularum.*

VSu retinetur seruitus, cũ ipse, cui debetur, vtitur, quiue in possessione eius est: aut mercenarius, aut hospes, aut amicus, vel medicus, qui ad visitandum dominum venit, vel colonus, vel fructuarius,

XXI. PAVLVS *lib.* V. *Sententiarum.*

LIcet suo nomine,

XXII. SCAEVOLA *lib.* I. *Regularum.*

DEnique quicunq; quasi debita via vsus fuerit.

XXIII. PAVLVS *lib.* V. *Sententiarum.*

SIue ad fundum nostrum facit, vel ex fundo.

XXIIII.

XXIIII. SCAEVOLA *lib.* I. *Regularum.*

A Licet malæ fidei poſſeſſor ſit, retinebitur ſeruitus.

In præſcribenda ſeruitute requiritur, quod bona fide quis vtatur iure ſeruitutis. Bartolus.

XXV. PAVLVS *lib.* V. *Sententiarum.*

Seruitute vſus nõ videĩ, niſi is, qui ſuo iure vti ſe credidit. ideoq́; ſi quis pro via publica, vel pro alterius ſeruitute vſus ſit: nec interdictũ, nec actio vtilis cõpetit.

DIGESTORVM SEV PANdectarum liber nonus.

B SI QVADRVPES PAVPERIEM feciſſe dicetur. Tit. I.

Actio de pauperie competit, ſi animal nocuit non culpa hominis, & contra naturam ſui generis. ſed ſi culpa hominis, habet locum actio legis Aquiliæ. ſed ſi ſecundum naturalem feritatem ſine culpa hominis, omnis actio ceſſat. Bartolus.

VLPIANVS *lib.* XVIII. *ad edictum.*

Ad hoc edictũ pertinet cap. 21. Exodi circa finem.

SI QVADRVPES PAVPERIEM FECISSE DICETVR actio ex duodecim tabulis deſcendit. Quæ lex voluit, aut dari qđ nocuit, id eſt, id animal, qđ noxiã cõmiſit: aut æſtimationẽ noxiæ offerre. noxia enĩ eſt ipſum delictũ. quæ actio
C ad omnes quadrupedes pertinet.

Ait autẽ, PAVPERIEM FECISSE. Pauperies eſt dãnum ſine iniuria faciẽtis datũ. nec enim poteſt dici animal iniuriam feciſſe, quod ſenſu caret. Itaque (vt Seruius ſcribit) tunc hæc actio locum habet, cùm commota feritate nocuit quadrupes: puta ſi equus calcitroſus calce percuſſerit, aut bos cornu petere ſolitus petierit, aut mulæ propter nimiam ferocitatem. Quòd ſi propter loci iniquitatem, aut propter culpã mulionis, aut ſi plus iuſto onerata quadrupes in aliquem onus euerterit: hæc

actio

actio ceſſabit, damniq́ue iniuriæ agetur. Sed & ſi canis, cùm duceretur ab aliquo, aſperitate ſua euaſerit, & alicui damnum dederit: ſi contineri firmius ab alio potuit, vel per eum locum induci non debuit: hæc actio ceſſabit, & tenebitur, qui canè tenebat. Sed & ſi inſtigatu alterius fera damnum dedit, ceſſabit hæc actio. Et generaliter locum habet hæc actio, quoties contra naturam fera mota pauperiem dedit. Ideoq́ue ſi equus dolore concitatus, calce petierit: ceſſare iſtam actionem. ſed eum, qui equum percuſſerit aut vulnerauerit, in factum magis, quàm lege Aquilia teneri: vtique ideo, quia non ipſe ſuo corpore damnum dederit. At ſi cùm equum permulſit quis, vel palpatus eſt, calce eum percuſſerit: erit actioni locus. Et ſi alia quadrupes aliam concitauit, vt damnum daret: eius, quæ concitauit, nomine agendum erit. Siue autem corpore ſuo pauperiem quadrupes dedit, ſiue per aliam rem, quam tetigit quadrupes: hęc actio locũ habebit: vtputa ſi ploſtro bos obtriuit aliquem, vel alia re deiecta. In beſtiis autem propter naturalem feritatem, hæc actio locum non habet. & ideo ſi vrſus fugit, & ſic nocuit, non poteſt quondam dominus conueniri: quia deſinit dominus eſſe, vbi fera euaſit. & ideo & ſi eum vrſum occidero, meum corpus eſt. Cùm arietes vel boues commiſiſſent, & alter alterum occidiſſet: Quintus Mutius diſtinxit, vt ſiquidem is periſſet, qui aggreſſus erat: ceſſaret actio. ſi is, qui non prouocauerat: competeret actio. quamobrem eum ibi aut noxiam ſarcire, aut noxam dedere oportere.

D

E

F

Noxales actiones ſequũtur poſſeſſorem: & animal debet dari pro noxa viuum: & ratione mendacii perditur beneficium. Baldus.

Et cùm etiam in quadrupedibus noxa caput ſequitur: aduerſus dominum hæc actio datur, non cuius fuerit quadrupes, cùm noceret, ſed cuius nunc eſt. Planè ſi ante litem conteſtatam deceſſerit animal, exſtincta erit actio. noxæ autem dedere, eſt animal tradere viuum demum. Si commune plurium ſit animal: aduerſus ſingulos erit inſolidum noxalis actio, ſicut eſt in homine.

Interdum autem dominus in hoc non conuenitur, vt

noxæ

noxę dedat, sed etiam in solidum: vtputa si in iure interrogatus, an sua quadrupes esset, responderet non esse suam. nam si constiterit eius esse: in solidum condemnabitur.

A

Interitus speciei, quæ non est in obligatione, sed in beneficio soluendi: non liberat debitorem post litem contestat.am. Baldus.

Si post litem cõtestatam ab alio sit animal occisum: quia domino legis Aquiliæ actio competit, ratio in iudicio habebitur, quod noxæ dedendæ facultatem dominus amiserit. ergo ex iudicio proposito litis æstimationem offeret: nisi paratus fuerit actionem mandare aduersus eum, qui occidit. Hanc actionem nemo dubitauerit hæredi dari, cæterisq́ue successoribus. item aduersus hæredes cæterosq́ue successores nõ iure successionis, sed eo iure, quo domini sunt, competit.

B

II. PAVLVS *lib.* XXII. *ad edictum.*

HAec actio non solùm domino, sed etiam ei, cuius interest, competit: veluti ei, cui res cõmodata est. item fulloni, qui eo, quod tenetur, damnum videtur pati. Si quis aliquem euitans (magistratum fortè) in tabernam proximam se immisisset, ibiq́ue à cane feroce læsus esset: non posse agi canis nomine, quidam putant. at si solutus fuisset: contrà.

III. CAIVS *lib.* VII. *ad edictum prouinciale.*

C

EX hac lege iam non dubitatur, etiam liberarum personarum nomine agi posse: fortè si patremfamiliâs, aut filiumfamiliâs vulnerauerit quadrupes: scilicet vt non deformitatis ratio habeatur (cùm liberum corpus æstimationem non recipiat) sed impensarum in curationem factarum, & operarum amissarum, quasq́ue amissurus quis esset, inutilis factus.

IIII. PAVLVS *lib.* XXII. *ad edictum.*

HAec actio vtilis competit, & si non quadrupes, sed aliud animal pauperiem fecit.

V. ALFENVS *lib.* II. *Digestorum.*

AGaso cùm in tabernam equũ deduceret, mulam equus olfecit. mula calcem reiecit, & crus Agasoni fregit. consulebatur, posset ne cum domino mulæ agi, quòd ea pauperiem fecisset? respondi, posse.

AD LE-

AD LEGEM AQVILIAM.
Titulus II.

†Iuxta hãc legem est, quod Hippodamus Milesiorũ legislator de trib⁹ iudicium dabat, dãno, iniuria, cæde. Aris. li. 2. Politi. cap. 6.

D

VLPIANVS lib. XVIII. ad edictum.

Lex Aquilia omnibus legibus, quæ ante se de dãno iniuria locutæ sũt, derogauit: siue duodecim tabularum, siue aliæ quę fuerunt: quas nunc referre non est necesse. Certè lex Aquilia plebiscitum est: cùm eam Aquilius tribunus plebis à plebe rogauerit.

Nota quòd quando alternatiua ponitur inter genus & speciem, exponitur pro id est. & sic ponitur restrictiuè. Baldus.

II. CAIVS lib. VII. ad edictum prouinciale.

Lege Aquilia capite primo cauet. QVI SERVVM SERVAMVE ALIENVM ALIENAMVE, QVADRVPEDEM, VEL PECVDEM INIVRIA OCCIDERIT: QVANTI ID IN EO ANNO PLVRIMI FVIT, TANTVM AES DARE DOMINO DAMNAS ESTO. Et infrà deinde cauetur, vt aduersus inficiantem in duplum actio sit. Vt igitur apparet, seruis exæquat quadrupedes, quæ pecudum numero sunt, & gregatim habentur: veluti oues, capræ, boues, equi, muli, asini. Sed an sues pecudum appellatione continentur, quæritur. & rectè Labeoni placet contineri. Sed canis inter pecudes non est. longè magis bestiæ in eo numero non sunt: veluti vrsi, leones, pantheræ. Elephanti autem & cameli, quoniam misti sunt (nam & iumentorum operã pręstant, & natura eorum fera est) ideo primo capite contineri eos oportet. E F

III. VLPIANVS lib. XVIII. ad edictum.

Si seruus seruáve iniuria occisus occisáve fuerit: lex Aquilia locum habet. INIVRIA meritò adiicitur. non enim sufficit occisum, sed oportet iniuria id esse factum.

IIII. CAIVS lib. VII. ad edictum prouinciale.

†Hunc locũ latè explicat Cic. in orat. pro Milone.

Itaque † si seruum tuum latronem insidiantem mihi occidero, securus ero. nam aduersus periculum naturalis ratio permittit se defendere. Lex duodecim tabularũ furem noctu deprehésum occidere permittit: vt tamen id ipsum.

id ipsum cum clamore testificetur. Interdiu autem de-
A prehensum ita permittit occidere, si is se telo defendat: vt tamen æquè cum clamore testificetur.

Furem nocturnum licere occidere, & etiam diurnũ, si se telo defendat. Bartolus.

V. VLPIANVS *lib.* XVIII. *ad edictum.*

SEd & si quemcunq; alium ferro se petentem quis occiderit: non videbitur iniuria occidisse. & si metu quis mortis furem occiderit: non dubitabitur, quin lege Aquilia non teneatur. Sin autem cùm posset adprehẽdere, maluit occidere: magis est, vt iniuria fecisse videatur. ergo & Cornelia tenebitur. Iniuriam autẽ hic accipere nos oportet, non queamdmodũ circa iniuriarum
B actionem, contumeliam quandam: sed quod non iure factum est, hoc est, si contra ius, & culpa quis occiderit. Et ideo interdum cõcurrrit actio legis Aquiliæ & iniuriarum: sed duæ erunt æstimationes, alia damni, alia contumeliæ. Igitur iniuriam hic accipiemus, damnum culpa datum etiam ab eo, qui nocere noluit. Et ideo quærimus, si furiosus dãnũ dederit, an legis Aquiliæ actio sit? Et Pegasus negauit, quæ em̃ in eo culpa sit, qui suæ mentis non est? & hoc verissimum est. cessabit igitur Aquilia actio: quemadmodum si quadrupes damnum dederit, aut tegula ceciderit. Sed & si infans damnum dederit: idem erit dicendum. Quòd si impubes id fecerit: Labeo ait,
C quia furti tenetur, teneri & Aquilia eum. & hoc puto verum, si sit iam iniuriæ capax. Si magister in disciplina vulnerauerit seruũ, vel occiderit: an Aquilia teneatur, quasi damnum iniuria dederit? & Iulianus scribit: Aquilia teneri eum, qui eluscauit discipulum in disciplina. multo magis igitur in occiso idem erit dicẽdum. Proponitur autem apud eum species talis. sutor (inquit) puero discenti ingenuo filiofamiliâs, parum bene faciẽti, quod demonstratum erat: forma calcei ceruicem ita percussit, vt ocul⁹ puero perfunderetur. Dicit igitur Iulianus, iniuriarum quidem actionem non competere: quia non faciendæ iniuriç caussa percusserit, sed monendi & docendi caussa. an ex locato, dubitat: quia leuis dũtaxat castigatio concessa est docenti. sed lege Aquilia posse agi, non

Ca.13. Itẽ Iulia. Locati.

non dubito.

VI. PAVLVS *lib.* XXII. *ad edictum.*

D

Pulchrè in hãc ſententiã Quintil. li. I. Inſtit. orato. vbi diſcipulos nõ eſſe verberibus cogendos cenſet.

PRæceptoris† enim nimia ſæuicia culpæ adſignatur.

VII. VLPIANVS *lib.* XVIII. *ad edictum.*

QVa actione patrem cõſecuturum ait, quò minus ex opera filij ſui propter viciatum oculum ſit habiturus, & impendia, quæ pro eius curatione fecerit. Occiſum autem accipere debemus: ſiue gladio, ſiue etiam fuſte, vel alio telo, vel manibus (ſi fortè ſtrangulauit eũ, vel calce petiit) vel capite, vel qualiter qualiter. Sed & ſi quis plus iuſto onerat⁹, deiecerit onus, & ſeruum occiderit: Aquilia locum habet. fuit enim ipſius arbitrio, ita ſe non onerare. Nam & ſi lapſus aliquis ſeruum alienum onere preſſerit: Pegaſus ait, lege Aquilia eum teneri: ita demũ, ſi vel plus iuſto ſe onerauerit, vel negligentius per lubricum tranſierit. Proinde ſi quis alterius impulſu damnũ dederit: Proculus ſcribit, neque eum, qui impulit teneri (quia non occîdit) neque eum, qui impulſus eſt, quia damnum non iniuria dedit. ſecundum quod in factum actio erit danda in eum, qui impulit. Si in conluctatione, vel in pancratio, vel pugiles, dum inter ſe exercentur, alius alium occiderit: ſiquidẽ in publico certamine, ceſſat Aquilia: quia gloriæ cauſſa & virtutis, non iniuriæ gratia videtur damnũ datum. Hoc autem in ſeruo nõ procedit, quoniam ingenui ſolent concertare: in filiofamiliâs vulnerato procedit. planè ſi cedentem vulnerauerit: erit Aquiliæ locus, vt ſi in certamine ſeruum occiderit: niſi domino cõmittente hoc factum ſit. tunc enim Aquilia ceſſat. Sed & ſi quis ſeruum ægrotum leuiter percuſſerit, & is obierit: rectè Labeo dicit, lege Aquilia eũ teneri: quia aliud alij mortiferũ eſſe ſoleat. Celſus autẽ: multum intereſſe, occiderit, an mortis cauſſam præſtiterit: vt qui mortis cauſſam præſtitit, non Aquilia, ſed in factũ actione teneatur. Vnde adſerit eum, qui venenum pro medicamento dedit, cauſſam mortis prꝍſtitiſſe, quemadmodum & qui furenti gladium porrexerit. nam neque hunc lege Aquilia teneri, ſed in factum. Sed ſi quis de ponte aliquem præcipitauit: Celſus ait (ſiue ipſo ictu perierit, aut cõtinuò ſubmerſus

E

F

submersus est, aut lassatus vi fluminis victus perierit) lege Aquilia teneri, quemadmodum si quis puerum saxo illisisset. Proculus ait: si medicus seruum imperitè secuit, vel ex locato, vel ex lege Aquilia actionem competere.

A

VIII. CAIVS lib. VII. ad edictum prouinciale.

IDem iuris est, si medicamento perperam vsus fuerit. Sed & qui bene secuit, & dereliquit curationem: securus nō erit, sed culpæ reus intelligitur. Mulionem quoque, si per imperitiam impetum mularū retinere non potuerit, & eæ alienum hominem obtriuerint: vulgò dicitur, culpæ nomine teneri. Idem dicetur, & si propter infirmitatem sustinere mularū impetum non potuerit. nec videtur iniquum, si infirmitas culpæ adnumeretur: cùm affectare quis non debeat, in quo vel intelligit, vel intelligere debet, infirmitatem suam alij periculosam futuram. Idem iuris est in persona eius, qui impetū equi, quo vehebatur, propter imperitiam vel infirmitatem retinere non potuerit.

B

IX. VLPIANVS lib. XVIII. ad edictum.

ITem si obstetrix medicamentum dederit, & inde mulier perierit: Labeo distinguit, vt siquidem suis manib⁹ supposuit, videatur occidisse: si verò dedit, vt illi mulier offerret, in factum actionem dandam. quæ sententia vera est. magis enim caussam mortis præstitit, quàm occidit. Si quis per vim, vel per suasum alicui medicamentum infudit, vel ore, vel clystere: vel si eum vnxit malo veneno: lege Aquilia, quēadmodum obstetrix supponens, tenetur. Si quis hominem fame necauerit: in factum actione teneri, Neratius ait. Si seruum meum equitantem, cōcitato equo, effeceris in flumen præcipitari, atque ideo homo perierit: in factum esse dandam actionem, Ofilius scribit: quemadmodum si seruus meus ab alio in insidias deductus, ab alio occisus esset. Sed & si à iaculātibus per lusum seruus fuerit occisus, Aquiliæ locus est. Sed si cùm alij in campo iacularentur, seruus per eum locū transierit, Aquilia cessat: quia non debuit per campum iaculatorium iter intempestiuè facere. qui tamen data opera in eum iaculatus est, vtique Aqui-

C

lia tenebitur.

X. PAVLVS *lib.* XXII. *ad edictum.* D

† Distinctione noxii & iure concessi ludi tradit Cic. li. 1. Offi.

NAm lusus quoque noxius† in culpa est.

XI. VLPIANVS *lib.* XVIII. *ad edictum.*

ITem Mela scribit: si cùm pila quidam luderent, vehementius quis pila percussa, in tonsoris manus eandem deiecerit: & sic serui, quem tonsor radebat, gula sit præcisa, abiecto cultello: in quocunque eorũ culpa sit, eum lege Aquilia teneri. Proculus ait, in tõsore esse culpam. Et sanè si ibi tondebat, vbi ex consuetudine ludebatur, vel vbi transitus frequens erat: est quod ei imputetur. Quamuis nec illud malè dicatur: si in loco periculoso sellam habenti tonsori se quis cõmiserit, ipsum de se queri debere. Si alius tenuit, alius interemit: is qui E tenuit, quasi mortis caussam prębuit, in factũ actione tenetur. Sed si plures seruum percusserint: vtrum omnes, quasi occiderint, teneantur, videamus. Et si quidem apparet, cuius ictu perierit: ille, quasi occiderit, tenetur. quod si non apparet: omnes, quasi occiderint, teneri Iulianus ait. Et si cum vno agatur, cæteri non liberantur. nam ex lege Aquilia quod alius præstitit, alium non liberat, cùm sit pœna. Celsus scribit, si alius mortifero vulnere percusserit, alius postea exanimauerit: priorem quidem non teneri, quasi occiderit, sed quasi vulnerauerit (quia ex alio vulnere periit) sed posteriorem teneri, quasi occiderit. quod & Marcello videtur, & est probabilius. F Si plures trabem deiecerint, & hominẽ oppresserint: æquè veteribus placet, omnes lege Aquilia teneri. Item cum eo, qui canem irritauerat, & effecerat, vt aliquem morderet: quamuis eum non tenuit, Proculus respondit, Aquilię actionem esse. Sed Iulianus eum demum Aquiliæ teneri, qui tenuit & effecit, vt aliquẽ morderet: cæterùm si non tenuit, in factum agendum. Legis autem Aquilię actio hero competit, hoc est domino.

Si in eo homine, quem tibi redhibiturus essem, damnum iniuria datum esset: Iulianus ait, legis Aquiliæ actionem mihi competere, méque cùm cœpero redhibere, tibi quicquid fuero consecutus, restituturum. Sed & si seruus bona fide alicui seruiat: an ei cõpetat Aquiliæ

liæ actio?& magis in factum erit danda. Eum, cui vestimenta commodata sunt, non posse, si scissa fuerint, lege Aquilia agere, Iulianus ait: sed domino eam competere. An fructuarius, vel vsuarius legis Aquiliæ actionem haberet, Iulianus tractabat. & ego puto melius, vtile iudicium ex hac caussa dandum.

A

XII. PAVLVS *lib.* X. *ad Sabinum.*

SEd & si proprietatis dominus vulnerauerit seruum vel occiderit, in quo vsusfructus meus est: danda est mihi ad exemplum legis Aquiliæ actio in eum pro proportione vsusfructus: vt etiam ea pars anni in æstimationem veniat, qua nondum vsusfructus meus fuit.

XIII. VLPIANVS *lib.* XVIII. *ad edictum.*

B LIber homo suo nomine vtilem Aquiliæ habet actionem. directam enim non habet, quoniã dominus mẽbrorum suorum† nõ videtur. Fugitiui autem nomine dominus habet. Iulianus scribit, si homo liber bona fide mihi seruiat: ipsum lege Aquilia mihi teneri. Si seruus hæreditari⁹ occidatur: quæritur quis Aquilia agat, cùm domin⁹ nullus sit huius serui? Et ait Celsus, legẽ domino damna salua esse voluisse. dominus ergo hæreditas habebitur. quare adita hæreditate hæres poterit experiri.

†Hæc sententiã copiosè explicat Augustı.li.1. de Ciuitate dei.

Si seruus legatus post aditã hæreditatem sit occisus: competere legis Aquiliæ actionem legatario, si non post mortem serui agnouit legatum. quod si repudiauit: consequens esse ait Iulianus dicere, hæredi competere.

C

XIIII. PAVLVS *lib.* XXII. *ad edictum.*

QVòd si ipse hæres eum occiderit: dicẽdum est, dandam in eum legatario actionem.

XV. VLPIANVS *lib.* XVIII. *ad edictum.*

HVic scripturæ consequẽs est dicere, vt si ante aditam hæreditatẽ occidatur legatus seruus, apud hæredem remaneat Aquiliæ actio per hæreditatem adquisita. Quòd si vulneratus sit ante aditam hæreditatem: in hæreditate quidem actio remansit, sed cedere eam legatario hæredem oportet. Si seruus vulneratus mortiferè, postea ruina, vel naufragio, vel alio ictu maturius periit: non quasi de occiso agi posse, sed quasi de vulnerato. sed si manumissus, vel alienatus ex vulnere periit:

riit: de occiso agi posse, & Iulianus ait. Hæc ita tam variè: quia verum est eum à te occisum, tunc cùm vulnerabas, quod mortuo eo demũ apparuit: at in superiore non est passa ruina apparere, an sit occisus. Sed si vulneratum mortiferè liberum & hęredẽ esse iusserit, deinde decesserit: hæredem eius agere Aquilia non posse. D

XVI. MARCIANVS *lib.* IIII. *Regularum.*

Qvia in eum casum res peruenit, à quo incipere non potest.

XVII. VLPIANVS *lib.* XVIII. *ad edictum.*

SI dominus seruum suum occiderit: bonæ fidei possessori, vel ei qui pignori accepit, in factum actione tenebitur.

XVIII. PAVLVS *lib.* X. *ad Sabinum.* E

SEd & si is, qui pignori seruũ accepit, occiderit eum, vel vulnerauerit: lege Aquilia & pignoraticia conueniri potest, sed alterutra contentus esse debebit actor.

XIX. VLPIANVS *lib.* XVIII. *ad Sabinum.*

SEd & si communem seruum occiderit quis, Aquilia teneri eum Celsus ait. Idem est, & si vulnerauerit.

XX. IDEM *lib.* XVIII. *ad edictum.*

SCilicet pro ea parte, pro qua dominus est, qui agit.

XXI. IDEM *lib.* XVIII. *ad edictum.*

AIt lex, QVANTI IN EO ANNO PLVRIMI FVIT. Quæ clausula æstimationem habet damni, quod datum est. Annus autem retrorsum computatur, ex quo quis occisus est. Quòd si mortiferè fuerit vulneratus, & postea post longum interuallum mortuus sit: inde annum numerabimus secundum Iulianũ, ex quo vulneratus est: licet Celsus cõtrà scribat. Sed vtrũ corpus eius solùm æstimamus, quanti fuerit, cùm occideretur: an potius quanti interfuit nostra, non esse occisum? & hoc iure vtimur, vt eius quod interest fiat æstimatio. F

XXII. PAVLVS *lib.* XXII. *ad edictum.*

PRoinde si seruum occidisti, quem sub pœna tradendum promisi: vtilitas venit in hoc iudicium. Item caussæ corpori cohærentes æstimantur: veluti si quis ex comœdis, aut symphoniacis, aut gemellis, aut quadriga, aut pari mularum vnum vel vnam occiderit. non solùm enim

lùm enim perempti corporis æstimatio facienda est: sed
A & eius ratio haberi debet, quo cætera corpora deprecia
ta sunt.

XXIII. VLPIANVS *lib.* XVIII. *ad edictum.*

Vnde Neratius scribit, si seruus hęres institutus occisus sit, etiam hæreditatis æstimationem venire. Iulianus ait, si seruus liber & hęres esse iussus, occisus fuerit: neque substitutum, neque legitimum actione legis Aquiliæ hæreditatis æstimationem consecuturum, quæ seruo competere non potuit. quę sententia vera est. precij igitur solummodo fieri æstimationem: quia hoc interesse solummodo substituti videatur. Ego autem puto nec precij fieri æstimationem: quia si hæres esset, & li
B ber esset.

Conditio potestatiua quando impeditur per factum hominis, non habetur pro impleta: secus si impediretur per factum naturæ. Bal.

Idem Iulianus scribit: si institutus fuero sub cōditione SI MANVMISERO STICHVM, & Stichus sit occisus post mortem testatoris: in æstimationem hæreditatis precium etiam me consecuturum. propter occisionē enim defecit conditio. Quòd si viuo testatore occisus sit, hæreditatis æstimationem cessare: quia retrorsum, quāti plurimi fuit, inspicitur. Idem Iulianus scribit: æstimationem hominis occisi ad id tempus referri, quo plurimi in eo anno fuit. Et ideo si precioso pictori
C pollex fuerit præcisus, & intra annū, quo præcideretur, fuerit occisus: posse Aquilia agi, eóque precio æstimandum, quanti fuit prius, quàm artē cum pollice amisisset. Sed & si seruus, qui magnas fraudes in meis rationibus commiserat, fuerit occisus: de quo quæstionem habere destinaueram, vt fraudium particeps erueretur: rectissimè Labeo scribit, tanti æstimandū, quanti mea intererat, fraudes serui per eum cōmissas detegi: non quanti noxa ipsius serui valeat. Sed etsi bonæ frugi seruus intra annum mutatis moribus occisus sit: precium id æstimabitur, quāto valeret prius, quàm mores mutaret. In summa. omnia commoda, quæ intra annum, quo interfectus est, preciosiorem seruum facerent: hæc accedere ad æstimationem eius, dicēdum est. Si infans sit occisus non-

dum anniculus: verius est, sufficere hanc actioné, vt æsti matio referatur ad id tempus, quod intra annum vixit. D

Hanc actioné & hæredi cæterisque successoribus dari constat: sed in hæredem vel cæteros hæc actio non dabi tur, cùm sit pœnalis: nisi fortè ex dãno locupletior hæres factus sit. Si dolo seruus occisus sit, & lege Corne lia agere dominum posse constat, & si lege Aquilia egerit, præiudicium nó debere fieri Corneliæ. Hæc actio aduersus confitétem cõpetit in simplũ, aduersus negantem in duplum. Si quis hominem viuum falsò confitea tur occidisse, & postea paratus sit ostendere hominé viuum esse: Iulianus scribit cessare Aquiliam, quãuis con fessus sit se occidisse. hoc enim solũ remittere actori con fessoriã actioné, ne necesse habeat docere eũ occidisse. E cæterùm occisũm esse hominem à quocunque oportet.

XXIIII. PAVLVS *lib.* XXII. *ad edictum.*

HOc apertius est circa vulneratum hominem. nam si confessus sit vulnerasse, nec sit vulneratus: æstimationem cuius vulneris faciemus, vel ad quod tépus recurremus?

XXV. VLPIANVS *lib.* XVIII. *ad edictum.*

PRoinde si occisus quidem nó sit, mortuus autem sit: magis est, vt non teneatur de mortuo, licet fassus sit. Si procurator, aut tutor, aut curator, aut quiuis alius confiteatur absentem vulnerasse: confessoria in eos vtilis actio danda est. Notandum: quòd in hac actione, F quæ aduersus confitentem datur, iudex non rei iudicandæ, sed æstimandę datur. nam nullæ partes iudicantis in confitentes sunt.

XXVI. PAVLVS *lib.* XXII. *ad edictum.*

PVta enim, quòd qui conuenitur, fateatur se occidisse: & paratus sit æstimationem soluere, & aduersarius magni litem æstimet.

Vbi concurrunt plura delicta, ibi concurrunt plures actiones. Bal.

XXVII. VLPIANVS *lib.* XVIII. *ad edictum.*

SI seruus seruum alienum subripuerit, & occiderit: Iulianus & Celsus scribũt, & furti, & damni iniuriæ actionem competere. Si seruus communis, id est, meus & tuus, seruum meum occiderit: legi Aquiliæ locus est aduersus

aduerſus te,ſi tua voluntate fecit:& ita Proculum exiſtimaſſe Vrſeius refert. Quòd ſi non voluntate tua fecit: A ceſſare noxalem actionem,ne ſit in poteſtate ſerui,vt tibi ſoli ſeruiat. quod puto verum eſſe. Item ſi ſeruus communis meus & tuus ſit occiſus à ſeruo Titij: Celſus ſcribit,alterutrum ex dominis agentem,aut litis æſtimationem conſecuturũ pro parte,aut noxæ dedi ei in ſolidum oportere: quia hæc res diuiſionem non recipiat.

Serui autem occidentis nomine dominus tenetur: is verò,cui bona fide ſeruit,non tenetur. Sed an is,qui ſeruum in fuga habet, teneatur nomine eius actione Aquiliæ, quæritur? Et ait Iulianus, teneri: & veriſſimum eſt, cùm & Marcellus conſentiat. Huius legis ſecundum B quidẽ caput in deſuetudinem abiit. Tertio autẽ capite ait eadem lex: CAETERARVM RERVM PRAETER HOMINEM ET PECVDEM OCCISOS, SI QVIS ALTERI DAMNVM FASSIT, QVÍD VE VSSERIT, FREGERIT, RVPERIT INIVRIA: QVANTI EA RES FVÍT IN DIEBVS TRIGINTA PROXIMIS, TANTVM AES DOMINO DARE DAMNAS ESTO. Si quis igitur non occiderit hominem vel pecudem,ſed vſſerit,fregerit,ruperit:ſine dubio ex his verbis legis agendum erit. Proinde ſi facem ſeruo meo obieceris,& eum aduſſeris:teneberis mihi. Item ſi arbuſtum meum,vel villam C meam incenderis: Aquiliæ actionem habebo.

Quando factum excedit voluntatem, tenetur quis de toto facto, non inſpecto propoſito voluntatis. Baldus.

Si quis inſulam meam voluerit exurere,& ignis etiam ad vicini inſulã peruenerit: Aquilia tenebitur etiam vicino. nõ minus etiam inquilinis tenebitur,ob res eorum exuſtas. Si fornacarius ſeruus coloni ad fornacem obdormiſſet,& villa fuiſſet exuſta: Neratius ſcribit,ex locato conuentum præſtare debere,ſi negligens in eligendis miniſteriis fuit. Cæterùm ſi alius ignẽ ſubiecerit fornaci, alius negligẽter cuſtodierit: an tenebitur, qui ſubiecit? nam qui cuſtodiit,nihil fecit: qui rectè ignem ſubiecit,non peccauit. quid ergo? puto vtilem actionẽ competere tam in eum,qui ad fornacẽ obdormiuit, quàm in

eum, qui negligẽter cuſtodiit. nec quiſquã dixerit eum, qui obdormiuit, rem humanam & naturalem paſſum: cùm deberet vel ignẽ exſtinguere, vel ita munire, ne euagaretur. D

Ratione damni facti occaſione furni, agitur in factum: & ratione furni petitur cautio damni infecti. Baldus.

Si furnum ſecundum parietem communem habeas, an damni iniuria tenearis? Et ait Proculus, agi non poſſe: quia nec cum eo, qui focũ haberet. & ideo æquius puto, in factum actionem dandam: ſcilicet ſi paries exuſtus ſit. Sin autem nondum mihi damnum dederis, ſed ita ignem habeas, vt metuam, ne mihi damnum des: damni infecti puto ſufficere cautionem. Proculus ait: cùm coloni ſerui villam exuſſiſſent, colonum vel ex locato, vel ex lege Aquilia teneri: ita vt colonus poſſit ſeruos noxæ dedere: & ſi vno iudicio res eſſet iudicata, altero amplius non agendum. ſed hæc ita, ſi culpa colonus careat. cæterùm ſi noxios ſeruos habuiſſet: damni eum iniuria teneri, cur tales habuerit. Idem ſeruandum & circa inquilinorum inſulæ perſonas ſcribit. quæ ſententia habet rationem. Si cùm apes meæ ad tuas aduolaſſent, tu eas exuſſeris: legis Aquiliæ actionem cõpetere, Celſus ait. E

Inquit lex RVPERIT. quod verbũ ferè omnes veteres ſic intellexerunt, CORRVPERIT. Et ideo Celſus quærit: ſi lolium vel auenam in ſegetem alienam inieceris, quo eam inquinares: non ſolùm QVOD VI AVT CLÀM dominum poſſe agere, vel (ſi locatus fundus ſit) colonum: ſed etiam in factum agendum. & ſi colonus eam exercuit, cauere eum debere, AMPLIVS NON AGI: ſcilicet ne dominus amplius inquietet. nã alia quædam ſpecies damni eſt, ipſum quid corrumpere & mutare, vt lex Aquilia locum habeat: alia, nulla ipſius mutatione adplicare aliud, cuius moleſta ſeparatio ſit. F

Cum eo planè, qui vinum ſpurcauit, vel effudit, vel acetũ fecit, vel alio modo viciauit: agi poſſe Aquilia, Celſus ait: quia & effuſum, vel acetum factum, corrupti appellatione contineatur. nec negat fractum & vſtum contineri corrupti appellatione: ſed non eſſe nouum, vt lex ſpecialiter quibuſdã enumeratis, generale ſubiiciat ver-

bum, quo

bum,quo specialia cõplectatur. quæ sententia vera est.

A Rupisse autem eum vtique accipiemus, qui vulnerauerit:vel virgis,vel loris,vel pugnis cęciderit:vel telo, vel quo alio sciderit alicui corpus, vel tumorem fecerit. sed ita demum, si damnum iniuria datum est. cæterũ si nullo seruum precio viliorem deterioremue fecerit: Aquilia cessat, iniuriarumq́ue erit agendum dumtaxat. Aquilia enim eas ruptiones,quæ damna dant, persequitur. Ergo etsi precio quidem non sit deterior seruus factus, verùm sumptus in salutem eius & sanitatem facti sunt:in hæc mihi videbitur damnum datum, atque ideo lege Aquilia agi posse. Si quis vestiméta sciderit, vel inquinauerit:Aquilia,quasi ruperit, tenetur. Sed & si

B quis milium,vel frumentum meum effuderit in flumen: sufficit Aquiliæ actio. Item si quis frumento arenam, vel aliud miscuerit, vt difficilis separatio sit: quasi de corrupto agi poterit. Si quis de manu mihi numos excussit:Sabin⁹ existimat, damni iniuriæ esse actionem, si ita perierint,ne ad aliquem peruenirent: puta si in flumen,vel in mare,vel in cloacã ceciderũt. Quod si ad aliquem peruenerint ope & consilio:furti quidem agendum est, quod & antiquis placuit. Idem tamen & in factum dari posse actionem ait. Si mulier pugno, vel equa ictu à te percussa, eiecerit: Brutus ait, Aquilia teneri, quasi ruperit. Et si mulum plus iusto onerauerit, & aliquid membri ruperit: Aquiliæ locum fore.

C Si nauem venaliciarum mercium perforasset quis: Aquiliæ actionem esse,quasi ruperit, Viuianus scribit.

Si oliuam immaturam decerpserit, vel segetem desecuerit immaturam, vel vuas crudas: Aquilia tenebitur. Quòd si iam maturas: cessat Aquilia. nulla enim iniuria est: cùm tibi etiam impensas donauerit, quæ in collectione huiusmodi fructuum impenduntur. at si collecta hæc interceperit: furti tenetur. Octauenus in vuis adiicit, nisi (inquit) in terram vuas proiecerit, vt effunderentur. Idem in sylua cædua scribit:vt si immaturam, Aquilia: quòd si maturam interceperit, furti teneri eum, & arborum furtim cæsarum. Si salictum maturum, ita ne stirpes lædęres, tuleris: cessare

Aquiliam. Et ſi puerũ quis caſtrauerit, & precioſioré fecerit: Viuianus ſcribit, ceſſare Aquiliam: ſed iniuriarum erit agendum, aut ex edicto ædilium, aut in quadruplum. Si calicem diatretum * faciendum dediſti, ſiquidem imperitia fregit: damni iniuria tenebitur. ſi non imperitia fregit, ſed rimas habebat vicioſas: poteſt eſſe excuſatus. Et ideo plerumque artifices conuenire ſolent, cùm huiuſmodi materiæ dantur: non periculo ſuo ſe facere. quæ res ex locato tollit actionem, & Aquiliæ. D

* In hunc locũ vide Alex. ab Alexãdro. lib. 5. cap. 17.

Actio legis Aquiliæ redditur inter virum & vxorem. Bal.

Si cùm maritus vxori margaritas extricatas dediſſet in vſum, ea inuito vel inſcio viro perforaſſet, vt pertuſis in linea vteretur: teneri eam lege Aquilia, ſiue diuerterit, ſiue nupta eſt adhuc. Si quis ædificij mei fores refregerit, aut ipſum ædificium diruerit: lege Aquilia tenetur. Si quis aquæductum meum diruerit: licet cæmenta mea ſunt, quæ diruta ſunt: tamé quia terra mea non ſit, quà aquam duco: melius eſt dicere, actionem vtilem dandam. Si ex ploſtro lapis ceciderit, & quid ruperit, vel fregerit: Aquilia ploſtrarium teneri placet, ſi malè compoſuerit lapides, & ideo lapſi ſint. Si quis ſeruum conductum habens ad mulum regendum commendauerit ei mulum, & ille ad pollicem eum alligauerit loro, & mulus eruperit ſic, vt & pollicem auelleret ſeruo, & ſe præcipitaret: Mela ſcribit, ſi pro perito imperitus locatus ſit; ex conducto agendum cum domino ob mulum ruptum vel debilitatum. ſed ſi ictu aut terrore mulus turbatus ſit: tunc dominum eius, id eſt, muli aut ſerui cum eo, qui turbauit, habiturum legis Aquiliæ actionem. Mihi autem videtur & eo caſu, quo ex locato actio eſt, competere actionem Aquiliæ. Item ſi victori locaueris lacum vino plenum curandum, & ille eum pertuderit, vt vinum ſit effuſum: Labeo ſcribit, in factum agendum. E F

XXVIII. PAVLVS *lib.* X. *ad Sabinum.*

Huic reſpõſo congruit Exo di. cap. 21. circa finẽ.

QVi foueas vrſorum ceruorumque capiẽdorũ cauſſa faciunt: ſi in itineribus fecerint, eoque aliquid deciderit, factumque ſit deterius: lege Aquilia obli-

lia obligati sunt.at si in aliis locis,vbi solent fieri, fecerunt:nihil tenentur. Hæc tamẽ actio ex caussa dada est: id est,si neq; denunciatũ est, neq; scierit,aut prouidere potuerit. Et multa huiusmodi deprehenduntur, quibus submouetur petitor,si euitare periculum potuerit.

A

XXIX. VLPIANVS *lib.* XVIII. *ad edictum.*

QVemadmodũ si laqueos eò loci posuisses, quo ius ponendi non haberes, & pecus vicini in eos incidisset. Si protectum meum,quod supra domum tuam & nullo iure habebam, recidisses: posse me tecum damni iniuria agere, Proculus scribit. debuisse enim mecum,ius mihi non esse protectum habere, agere:nec æquum esse, damnum me pati, rescissis à te meis tignis. Aliud est dicendum ex rescripto imperatoris Seueri:qui ei,per cuius domum traiectus erat aquęductus citra seruitutem, rescripsit: suo iure posse eum intercidere,& meritò.interest enim, quod hic in suo protexit, ille in alieno fecit. Si nauis tua impacta in meam scapham damnum mihi dedit:quæsitum est,quæ actio mihi competat?Et ait Proculus, si in potestate nautarum fuerit,ne id accideret,& culpa eorum factũ sit: lege Aquilia cum nautis agendum.quia parui referret, nauem immittendo,aut verriculum ad nauem ducendo, an tua manu damnum dederis:quia omnibus modis his per te dãno afficior.sed si fune rupto, aut cùm à nullo regeretur, nauis incurrisset: cum domino agendum non esse. Ité Labeo scribit.si cum vi ventorum nauis impulsa esset in funes anchorarum alterius,nautæ funes præcidissent: si nullo alio modo, nisi præcisis funibus,explicare se potuissent: nullam actionem dandam. Idemq́ue Labeo & Proculus & circa retia piscatorum,in quæ nauis inciderat, existimauerunt. Planè si culpa nautarum id factum sit, legè Aquilia agendum. Sed vbi damni iniuria agitur: ob retia, non piscium,qui ideo capti non sunt,fieri æstimationem: cùm incertum fuerit, an caperentur. Idemq́ue & in venatoribus,& aucupibus probandum.

B

C

Si nauis alteram contra se venientem obruisset: aut in gubernatorem,aut in ductorem actionem competere damni iniuriæ,Alfenus ait.Sed si tanta vis naui facta sit, quæ

quæ temperari non potuerit: nullam in dominum dandam actionem. si autem culpa nautarum id actum sit: puto Aquiliæ sufficere. Si funem quis, quo religata erat nauis, præciderit: de naue, quæ periit, in factum agendum. D

Ex hoc legis capite de omnibus animalibus læsis, & quæ pecudes non sunt, agendum est: vtputa de cane. sed & de apro, & leone, cæterisque feris & auibus idem erit dicendum.

Etiam magistratus tenetur de damno dato, nisi id fecerit iuridicè suum officium exequendo: præsertim contra rebellem seu resistentem sibi seu iurisdictioni. Bal.

Municipales magistratus, si damnum iniuria dederint, possunt Aquilia teneri. Nã & cùm pecudes aliquis pignori cepisset, & fame eas necasset, dum non patitur eis cibaria adferri: in factum actio danda est. Item si dũ putat se ex lege capere pignus, non ex lege ceperit, & res tritas corruptasque reddat: dicitur legem Aquiliam locum habere. quod dicendum est, etsi ex lege pignus ceperit. Si quid tamen magistratus aduersus resistentem violentius fecerit: non tenebitur Aquilia. nam & si cum pignori seruum cepisset, ille se suspenderit, nulla datur actio. Hæc verba, QVANTI IN TRIGINTA DIEBVS PROXIMIS FVIT, & si nõ habent verbũ PLVRIMI, sic tamen accipienda cõstat. E

XXX. PAVLVS *lib.* XXII. *ad edictum.*

QVi occîdit adulterum deprehensum seruum alienum, hac lege non tenebitur. Pignori datus seruus si occisus sit, debitori actio competit. sed an & creditori danda sit vtilis: quia possit interesse eius, quod debitor soluendo non sit, aut quod litem tempore amiserit: quæritur? Sed iniquum fuerit, & domino & creditori eum teneri: nisi si quis putauerit, nullam in ea re debitorem iniuriam passurum, cùm prosit ei ad debiti quantitatem: & quod amplius cõsecuturus sit ab eo, vel ab initio in id, quod amplius sit, quàm in debito, debitori dandam esse actionem. Et ideo in his casibus, in quib⁹ creditori danda est actio propter inopiam debitoris, vel quòd litem amiserit: creditor quidem vsque ad modum debiti habebit Aquiliæ actionem, vt prosit hoc debitori: ipsi F

ri: ipsi autem debitori in id, quod debitum excedit, competet Aquiliæ actio. Si quis alienum vinum vel frumentum consumpserit, non videtur damnum iniuria dare: ideoque vtilis danda est actio. In hac actione, quæ ex hoc capitulo oritur, & dolus & culpa punitur. Ideoque si quis in stipulam suam vel spinam comburendæ eius caussa ignem immiserit, & vlterius euagatus & progressus ignis, alienam segetem vel vineam læserit: requiramus, num imperitia eius, aut negligentia id acciderit. Si quidem die ventoso id fecit, culpæ reus est. nam & qui occasionem præstat, ipse damnum fecisse videtur. in eodem crimine est, & qui non obseruauit, ne ignis longius procederet. At si omnia, quæ oportuit, obseruauit, vel subita vis venti longius produxit ignem: caret culpa. Si vulneratus fuerit seruus non mortiferè, negligentia autem perierit: de vulnerato actio erit, non de occiso.

A

B

Nota clamantem excusari, & facit contra currentes equos: nam debent dicere guarda guarda. Bal.

XXXI. IDEM *lib.* X. *ad Sabinum.*

SI putator cùm ex arbore ramum deiiceret, vel machinarius hominem prætereuntem occidit: ita tenetur, si is in publicum decidat, nec ille proclamauerit, vt casus eius euitari possit. sed Mutius dixit, etiam si in priuato idem accidisset, posse de culpa agi. culpam autem esse, cùm quod diligenter prouideri potuerat, non esset prouisum: aut tunc denunciatum esset, cùm periculum euitari non posset. Secundum quam rationem non multum referet, per publicum, an per priuatum iter fiet: cùm plerùque per priuata vulgo loca iter fiat. Quòd si nullũ iter erit: dolum dumtaxat præstare debet, ne immittat in eum, quem viderit transeuntem. Nam culpa ab eo exigenda non est: cùm diuinare non potuerit, an per eum locum aliquis transiturus sit. *Huc pertinet. caput. Deu.* 19.

C

Casus quos nectit paritas æquitatis & idẽtitas rationis, nõ sunt quo ad iuris dispositionem separandi. hoc dicit secundum Oldra.

XXXII. CAIVS *lib.* VII. *ad edictum prouinciale.*

ILlud quæsitum est: an quod proconsul in furto obseruat, quod à familia factum sit: id est, vt nõ in singulos

detur

detur pœnæ persecutio, sed sufficiat id præstari, quod præstandum foret, si id furtum vnus liber fecisset: debeat & in actione damni iniuriæ obseruari? Sed magis visum est, idem esse obseruandum, & meritò. cùm enim circa furti actionem hæc ratio sit, ne ex vno delicto tota familia dominus careat, eaq; ratio similiter in hac actione damni iniuriæ interueniat: sequitur, vt idem debeat existimari, præsertim cùm interdum sit leuior hîc caussa delicti: veluti si culpa, & non dolo damnum detur. Si idem eundem seruum vulnerauerit, postea deinde etiam occiderit: tenebitur & de vulnerato, & de occiso. duo enim sunt delicta. Aliter atque si quis vno impetu pluribus vulneribus aliquem occiderit. tunc enim vna erit actio de occiso. D E

In actione legis Aquiliæ venit interesse commune, non interesse affectionis: & precia rerum non metimur ex singulari affectione: sed æstimatione communi. Baldus.

Ca.63.ad l.Falcid. XXXIII. PAVLVS *lib.* III. *ad Plautium.*

SI seruum meum occidisti, non affectionem æstimandam esse puto: veluti si filium tuum naturalem quis occiderit, quem tu magno emptum velles: sed quanti omnibus valet. Sextus quoque Pedius ait: precia rerum non ex affectione, nec vtilitate singulorum, sed communiter fungi. Itaque eum, qui filium naturalem possidet, nec locupletiorem esse, quòd eum plurimo, si alius possideret, redempturus esset: nec illum, qui filium alienum possidet, tantum habere, quanti eum patri vendere posset. In lege enim Aquilia consequimur & amisisse dicemur, quod aut consequi potuimus, aut erogare cogimur. In damnis, quæ lege Aquilia non tenentur, in factum actio datur. F

XXXIIII. MARCELLVS *lib.* XXI. *Digestorum.*

TItio & Seio Stichum legaui. deliberante Seio, cùm Titius vindicasset legatum, Stichus occisus est. deinde Seius repudiauit legatum. perinde Titius agere poterit, ac si soli legatus esset.

XXXV. VLPIANVS *lib.* XVIII. *ad edictum.*

QVia retro adcreuisse dominium ei videtur.

XXXVI. MARCELLVS *lib.* XXI. *ad edictũ.*

Nam

A NAm ſicut repudiante legatario legatum, hæredis eſt actio, perinde ac ſi legatũ non eſſet: ita huius quoque actio eſt, ac ſi ſoli legatus eſſet.

Hæres non poteſt agere actione legis Aquiliæ pro teſtatore occiſo. nam actio impoßibilis teſtatori, eſt impoßibilis hæredi. Bal.

Si dominus ſeruum, quem Titius mortiferè vulnerauerat, liberum & hæredem eſſe iuſſerit, eiq́ue poſtea Mæuius exſtiterit hæres: non habebit Mæuius cum Titio legis Aquiliç actionem, ſcilicet ſecundum Sabini opinionem: qui putabat ad hæredem actionem non tranſmitti, quæ defuncto competere non potuiſſet. nam ſanè abſurdum accideret, vt hæres precium quaſi occiſi conſequeretur eius, cui hæres exſtitit. Quod ſi ex parte eũ

B dominus hæredem cum libertate eſſe iuſſerit: cohæres eius, mortuo eo, aget lege Aquilia.

XXXVII. IABOLENVS *lib.* XIIII. *ex Caßio.*

LIber homo ſi iuſſu alterius damnum iniuria dedit: actio legis Aquiliæ cũ eo eſt, qui iuſſit, ſi modò ius imperandi adfuit. quod ſi non adfuit: cum eo agendum eſt, qui fecit.

In lege Aquilia venit intereſſe in rem, & caſus ſuperueniens poſt litis conteſtationem in re, quæ erat in facultate ſoluendi, non excuſat debitorem. Bal.

Si quadrupes, cuius nomine conteſtata actio eſſet cũ domino, quòd pauperiem feciſſet, ab alio occiſa eſt, &

C cum eo lege Aquilia agitur: æſtimatio non ad corpus quadrupedis, ſed ad cauſſam eius, in quo de pauperie actio eſt, referri debet: & tanti damnandus eſt is, qui occîdit, iudicio legis Aquiliæ, quanti actoris intereſt noxæ potius deditione fungi, quàm litis æſtimatione.

XXXVIII. IDEM *lib.* VIII. ἐπιϛολῶν.

SI eo tempore, quo tibi ſeruus meus, quem bona fide emiſti, ſeruiebat, ipſe à ſeruo tuo vulneratus eſt: placuit omnino me tecum rectè lege Aquilia experiri.

XXXIX. POMPONIVS *lib.* XIIII. *ad Q. Mutiũ.*

QVintus Mutius ſcribit. equa, cùm in alieno paſceretur, in cogédo (quod prægnans erat) eiecit. quærebatur, dominus eius poſſét ne cum eo, qui egiſſet, lege Aquilia agere: quia equam eiiciendo ruperat?

Huc ſpectat Exodi ca. 22. 23. Deute. 22.

rat? si percussisset, aut consulto vehementius egisset: visum est agere posse. POMPONIVS. Quamuis alienū pecus in agro suo quis deprehendit: sic tamen illud expellere debet, quomodo si suum deprehendisset: quoniā si quid ex ea re damni ceperit, habet proprias actiones. Itaque qui pecus alienum in agro suo deprehendit, non iure id includit: nec agere illud aliter debet, quàm (vt suprà diximus) quasi suum: sed vel abigere debet sine damno, vel admonere dominum, vt suum recipiat. D

XL. PAVLVS *lib.* III. *ad edictum.*

IN lege Aquilia si deletum chirographū mihi esse dicam, in quo sub conditione mihi pecunia debita fuerat: & interim testibus quoque id probare possim, qui esse non possint eo tempore, quo conditio existat: & summatim re exposita, ad suspicionem iudicem adducā: debebo quidem vincere, sed condemnationis exactio tūc competet, cùm debiti cōditio exstitit. quod si defecerit: condemnatio nullas vires habebit. E

Pro testamento deleto non competit actio legis Aquiliæ testatori, sed hæredi vel legatario. Baldus.

XLI. VLPIANVS *lib.* XLI. *ad Sabinum.*

SI quis testamentum deleuerit, an damni iniuriæ actio competat, videamus. Et Marcellus libro quinto Digestorum dubitans negat competere. quemadmodum enim (inquit) æstimatio inibitur? Ego apud eum notaui, in testatore quidem hoc esse verum: quia quod eius interest, æstimari non potest. verumtamen in hærede vel legatariis diuersum: quibus testamenta penè chirographa sunt. Ibidem autem Marcellus scribit, chirographo deleto, competere legis Aquiliæ actionem. Sed & si quis tabulas testamenti apud se depositas deleuerit, vel pluribus præsentibus legerit: vtilius est in factum & iniuriarum agi, si iniuriæ faciēdæ caussa secreta iudiciorum publicauerit. Interdum euenire Pomponius eleganter ait, vt quis tabulas delendo furti non teneatur, sed tantùm damni iniuriæ: vtputa si non animo furti faciendi, sed tantū damni dādi deleuit. nā furti non tenebitur. cum facto enim etiam animum furis furtū exigit. F

XLII. IVLIANVS *lib.* LXXXVI. *Digestorum.*

Qui

A QVi tabulas testaméti depositas, aut alicuius rei instrumentum ita deleuit, vt legi non possit: depositi actione, & ad exhibendum tenetur. quod si corruptam rem restituerit, aut exhibuerit: legis quoque Aquiliæ actio ex eadē caussa competit. corrupisse enim rectè dicetur tabulas, & qui eas interleuerit.

In lege Aquilia venit damnum datum etiam hæreditate iacente. Baldus.

XLIII. POMPONIVS *lib.* XIX. *ad Sabinum.*

OB id, quod antè, quàm hæreditatem adires, damnum admissum in res hæreditarias est: legis Aquiliæ actionem habes, quod post mortem eius, cui hæres sis, acciderit. dominum enim lex Aquilia appellat; non
B vtique eum, qui fuerit tunc, cùm damnum daretur. nam isto modo ne ab eo quidem, cui hæres quis erit, transire ad eum actio ea poterit: neque ob id, quod tunc commissum fuerit, cùm in hostium potestate esses, agere postliminio reuersus poteris. Et hoc aliter constitui sine magna captione posthumorum liberorum, qui parentibus hæredes erunt, non poterit. Eadem dicemus & de arboribus eodem tempore furtim cæsis. Puto eadem dici posse & de actione QVOD VI AVT CLAM: si modò quis aut prohibitus fecerit, aut apparuerit eum intelligere debuisse, ab eis se, ad quos ea hæreditas pertineret, si rescissent, prohibitum iri.

C XLIIII. VLPIANVS *lib.* XLI. *ad Sabinum.*

IN lege Aquilia etiam leuissima culpa venit. Quoties sciente domino seruus vulnerauerit, vel occiderit: Aquilia dominum teneri, dubium non est.

XLV. PAVLVS *lib.* X. *ad Sabinum.*

SCientiam hîc pro patientia accipimus: vt qui prohibere potuit, teneatur, si non fecerit. Lege Aquilia agi potest, & sanato vulnerato seruo. Si meum seruum, cùm liberum putares, occideris: lege Aquilia teneberis. Si cùm stramenta ardentia transsilirent, duo concurrerint, amboque ceciderint, & alter flamma consumptus sit: nihil eo nomine agi poterit, si non intelligitur, vter ab vtro euersus sit. Qui cùm aliter tueri se non possent, damnum culpa dederunt: innoxij sunt. vim enim

enim vi defendere, omnes leges omniaque iura permittunt. Sed ſi defendendi mei cauſſa lapidem in aduerſarium miſero, & non eum, ſed prætereuntem percuſſero: lege Aquilia tenebor. Illum enim ſolum, qui vim infert, ferire conceditur: & hoc ſi tuendi dumtaxat, non etiam vlciſcendi cauſſa factum ſit. Qui idoneum parietem ſuſtulit: damni iniuria domino eius tenetur. D

XLVI. VLPIANVS *lib.* XLI. *ad Sabinum.*

SI vulnerato ſeruo, lege Aquilia actum ſit: poſtea eo mortuo ex eo vulnere, agi lege Aquilia nihilominus poteſt.

XLVII. IVLIANVS *lib.* LXXXVI. *Digeſtorum.*

SEd ſi priore iudicio æſtimatione facta, poſtea mortuo ſeruo de occiſo agere domin⁹ inſtituerit: exceptione doli mali oppoſita compelletur, vt ex vtroque iudicio nihil amplius conſequatur, quàm conſequi deberet, ſi initio de occiſo homine egiſſet. E

Diuerſitas factorum exigit diuerſitatem pœnarum. Baldus.

XLVIII. PAVLVS *lib.* XXXIX. *ad edictum.*

SI ſeruus ante aditam hæreditatem damnum in rem hęreditariam dederit, & liber factus in eadem re dãnum det: vtraque actione tenebitur, quia alterius & alterius facti eæ res ſunt.

XLIX. VLPIANVS *lib.* IX. *Diſputationum.*

SI quis fumo facto apes alienas fugauerit, vel etiam necauerit: magis cauſſam mortis præſtitiſſe videtur, quàm occidiſſe: & ideo in factum actioné tenebitur. F

Quod dicitur, damnum iniuria datum Aquiliam perſequi, ſic erit accipiendum: vt videatur damnum iniuria datum, quod cum damno iniuriam attulerit, niſi magna vi cogente fuerit factũ: vt Celſus ſcribit circa eum, qui incendij arcendi gratia vicinas ædes intercîdit. nam hic ſcribit ceſſare legis Aquiliæ actionem. iuſto enim metu duci, qui ne ad ſe ignis perueniret, vicinas ædes intercîdat. & ſiue peruenerit ignis, ſiue ante exſtinctus ſit: exiſtimat legis Aquiliæ actionem ceſſare.

L. IDEM *lib.* VI. *Opinionum.*

QVi domũ alienam inuito domino demolitur, & eò loci balneas exſtruxit: præter naturale ius, quo ſuperficies

perficies ad dominum ſoli pertinet, etiam dati damni nomine actioni ſubiicietur.

A

LI. IVLIANVS *lib.* LXXXVI. *Digeſtorum.*

SI ita vulneratus ſeruus, vt eo ictu certum eſſet moriturum: medio deinde tempore hæres inſtitutus, & poſtea ab alio ictus, deceſſit: quæro, an cum vtroque de occiſo lege Aquilia agi poſſit? Reſpondi. occidiſſe quidem vulgò dicitur, qui mortis cauſſam quolibet modo præbuit: ſed lege Aquilia is demum teneri viſus eſt, qui adhibita vi, & quaſi manu cauſſã mortis præbuiſſet: tracta videlicet interpretatione vocis à cædẽdo, & à cæde. Rurſus lege Aquilia teneri exiſtimati ſunt†, nõ ſolũ qui ita vulneraſſent, vt confeſtim vita priuarent: ſed hi etiã, quorum vulnere certum eſſet aliquem vita exceſſurum. Igitur ſi quis ſeruo mortiferum vulnus inflixerit, eundemque alius ex interuallo ita percuſſerit, vt maturius interficeretur, quàm ex priore vulnere moriturus fuerat: ſtatuendum eſt, vtrunque eorum lege Aquilia teneri. Idque conſequens eſt authoritati veterum: qui cùm à pluribus ſeruus ita vulneratus eſſet, vt non appareret, cuiꝰ ictu periſſet: omnes lege Aquilia teneri iudicauerunt. Aeſtimatio autem perempti non eadem in vtriuſque perſona fiet. nam qui prior vulnerauit: tantum pręſtabit, quanti in anno proximo homo plurimi fuerit, repetitis ex die vulneris trecentis ſexagintaquinq; diebus. poſterior verò in id tenebitur, quanti homo plurimi venire poterit in anno proximo, quo vita exceſſit: in quo precium quoque hæreditatis erit. Eiuſdem ergo ſerui occiſi nomine alius maiorem, alius minorem æſtimationem præſtabit. nec mirum: cùm vterque eorum ex diuerſa cauſſa, & diuerſis temporibus occidiſſe hominem intelligatur. Quòd ſi quis abſurdè à nobis hæc cõſtitui putauerit: cogitet longe abſurdius conſtitui, neutrum lege Aquilia teneri, aut alterum potius: cùm neque impunita maleficia eſſe oporteat, nec facilè cõſtitui poſſit, vter potius lege teneatur. Multa autem iure ciuili cõtra rationem diſputandi: pro vtilitate communi recepta eſſe, innumerabilibus rebus probari poteſt. Vnum interim propoſuiſſe cõtentus ero. Cùm plures trabem alie-

B

C

†*Huc pertinet cap.* Exod. 21.

nam furandi caussa sustulerint, quam singuli ferre non possent: furti actione omnes teneri existimantur: quamuis subtili ratione dici possit, neminem eorum teneri, quia neminem verum sit eam sustulisse. D

Imperitia medici vel negligẽtia infirmi non imputatur percussori. nec auget delictum. Baldus.

LII. ALFENVS *lib.* II. *Digestorum.*

SI ex plagis seruus mortuus esset, neq; id medici inscientia, aut domini negligentia accidisset: rectè de iniuria eo occiso agitur. Tabernarius in semita noctu supra lapidem lucernam posuerat, & quidam præteriens eam sustulerat. tabernarius eum consecutus, lucernam reposcebat, & fugientem retinebat, ille flagello, quod in manu habebat, in quo dolo inerat, verberare tabernarium cœperat, vt se dimitteret. ex eo maiore rixa facta, tabernarius ei, qui lucernam sustulerat, oculum effoderat. consulebat, num damnum iniuria non videtur dedisse: quoniam prior flagello percussus esset? Respondi, nisi data opera effodisset oculum, non videri dãnum iniuria fecisse. culpam enim penes eum, qui prior flagello percussisset, residere. sed si ab eo non prior vapulasset, sed cùm ei lucernam eripere vellet, rixatus esset: tabernarij culpa factum videri. In cliuo capitolino duo plostra onusta mulæ ducebant. prioris plostri muliones conuersum plostrum subleuabant, quo facilius mulæ ducerent. interim superius plostrum cessim ire cœpit: & cùm muliones, qui inter duo plostra fuerant, è medio excessissent: posterius plostrum à priore percussum, retro redierat, & puerum cuiusdam obtriuerat. dominus pueri consulebat, cum quo agere oporteret. Respondi, in caussa ius esse positum. Nam si muliones, qui superius plostrũ sustinuissent, sua sponte se subduxissent: & ideo factum esset, vt mulæ plostrum retinere non possent, atque ipso onere retraherentur: cum domino mularum nullam esse actionem, sed cum hominibus, qui conuersum plostrum sustinuissent, lege Aquilia agi posse. Nam nihilominus eum damnũ dare, qui quod sustineret, dimitteret sua voluntate, vt aliquem feriret: veluti si quis cùm asellum agitasset, non retinuisset:

E

F

æquè si quis ex manu telum, aut aliud quod immisisset, damnum iniuria daret. Sed si quia mulæ aliquid
A reformidassent, muliones timore permoti, ne opprimerentur, plostrum reliquissent: cum hominibus actionem nullam esse, cum domino mularum esse. Quòd si neque mulæ, neque homines in caussa essent, sed mulæ retinere onus nequissent: aut cùm continerentur, lapsæ concidissent, & ideo plostrum cessim redisset, & quod conuersum fuisset, onus sustinere nequissent: neque cum domino mularum, neque cum hominibus esse actionem. Illud quidem certè (quoquo modo res sese haberet) cum domino posteriorum mularum agi non posse: quoniam non sua sponte, sed percussæ retro redissent. Quidam
B boues vendidit ea lege, vt daret experiundos. postea dedit experiundos. emptoris seruus in experiundo percussus ab altero boue cornu est. quærebatur, num venditor emptori damnum præstare deberet? Respondi, si emptor boues emptos haberet, nó præstari debere. sed si non haberet emptos, tamen culpa hominis factum esset, vt à boue feriretur: non debere. si vicio bouis: debere. Cùm pila complures luderent, quidam ex his seruulum, cùm pilam percipere conaretur, impulit. seruus cecidit, & crus fregit. quærebatur, an dominus seruuli lege Aquilia cum eo, cuius impulsu ceciderat, agere posset? Respondi, non posse: cùm magis casu, quàm culpa
C videretur factum.

LIII. NERATIVS *lib.* I. *Membranarum.*

Boues alienos in angustum locum coëgisti, eoque effectum est, vt eiicerent. datur in te ad exemplum legis Aquiliæ in factum actio.

De iniuria quam quis facit sibi, nemo agit. Baldus.

LIIII. PAPINIANVS *lib.* XXXVII. *Quæstionū.*

Legis Aquiliæ actio & debitori competit, cùm reus stipulandi ante moram promissum animal vulnerauit. idem est, & si animal occiderit. Quòd si post moram promissoris is, qui stipulatus fuerat, occidit: debitor quidem liberatur, lege autem Aquilia hoc casu non rectè experitur. nā creditor ipse sibi potius, quàm alij iniuriam fecisse videtur.

In actiõe legis Aquiliæ licet minuatur interesse, tamẽ nõ minuitur actio; quia habet oculos retro, & nõ est mere persecutoria. Bal. D

LV. PAVLVS *lib.* XXII. *Quæstionum.*

STichum aut Pamphilum promisi Titio. cùm Stichus esset decem, Pamphilus viginti: stipulator Stichum ante moram occidit. quæsitũ est de actione legis Aquiliæ? Respondi. cùm viliorem occidisse proponatur, in hunc tractatum nihil differt ab extraneo creditor. Quãti igitur fiet æstimatio? vtrum decem, quãti fuit occisus: an quanti est, quem necesse habeo dare, id est, quãti mea interest? & quid dicemus, si Pamphilus decesserit sine mora? num preciũ Stichi minuetur, quoniam liberatus est promissor? & sufficiet fuisse pluris, cùm occideretur, vel intra annũ. Hac quidẽ ratione, etiam si post mortẽ Pamphili intra annum occidatur, pluris fuisse videbitur. E

LVI. IDEM *lib.* II. *Sententiarum.*

MVlier si in rem viri damnum dederit, pro tenore legis Aquiliæ conuenitur.

LVII. IABOLENVS *lib.* VI. *ex posterioribus Labeõis.*

EQuum tibi commodaui. in eo cùm tu equitares, & vnà complures equitarent: vnus ex his irruit in equum, teque deiecit, & eo casu crura equi fracta sunt. Labeo negat tecum vllam actionem esse. sed si equitis culpa factum esset: cum equite sanè, non cum equi domino agi posse, verum puto. F

DE HIS, QVI DEIECERINT, *uel effuderint.* *Titu.* III.

VLPIANVS *lib.* XXIII. *ad edictum.*

PRætor ait de his, qui deiecerint, vel effuderint. VNDE IN EVM LOCVM, QVO VOLGO ITER FIET, VEL IN QVO CONSISTETVR, DEIECTVM VEL EFFVSVM QVID ERIT: QVANTVM EX EA RE DAMNVM DATVM, FACTVMVE ERIT: IN EVM, QVI IBI HABITAVIT, IN DVPLVM IVDICIVM DABO. SI EO ICTV HOMO LIBER PERISSE DICETVR,

CETVR, QVINQVAGINTA AVREORVM
A IVDICIVM DABO. SI VIVET, NOCITV'MQVE EI ESSE DICETVR: QVANTVM OB EAM REM AEQVVM IVDICI VIDEBITVR, EVM CVM QVO AGETVR, CONDEMNARI: TANTI IVDICIVM DABO. SI SERVVS INSCIENTE DOMINO FECISSE DICETVR: IN IVDICIO ADIICIAM, VT NOXAM DEDERE LICEAT. Summa cum vtilitate id prætorem edixiſſe,nemo eſt,qui neget. publicè enim vtile eſt,ſine metu &periculo per itinera cómeari.Parui autem intereſſe debet,vtrum publicus locus ſit, an verò priuatus:dũmodo per eum vulgo iter fiat : quia iter fa-
B cientibus proſpicitur,nó publicis viis ſtudetur. ſemper enim ea loca,per quæ vulgo iter fieri ſolet, eandem ſecuritatem habere debent. Cæterùm ſi aliquando vulgus in illa via non commeabat,& tunc deiectum ſit vel effuſum, cùm adhuc ſecreta loca eſſent , & modò cœpit cómeari: non debet hoc edicto teneri. Quod cùm ſuſpéderetur,décidit, deiectũ videri:ſed & quod ſuſpenſum décidit,pro deiecto haberi magis eſt.Proinde & ſi quid pendens effuſum ſit: quamuis nemo hoc effuderit, edictum tamen locum habere,dicendum eſt. Hæc in factum actio in eum datur,qui inhabitauit, cũ quid deiiceretur vel effunderetur, non in dominum ædium. cul-
C pa enim penes eum eſt. Nec adiicitur culpæ mentio vel inficiationis , vt in duplum detur actio: quamuis damni iniuriæ vtrunque exigat. Sed cùm liber homo periit, damni æſtimatio non fit in duplum:quia in homine libero nulla corporis æſtimatio fieri poteſt : ſed quinquaginta aureorum condemnatio fit. Hæc autem verba, SI VIVET, NOCITV'MQVE EI ESSE DICETVR: non pertinent ad damna,quæ in rem hominis liberi facta ſunt(ſi fortè veſtimenta eius, vel quid aliud ſciſſum, corruptúmve eſt)ſed ad ea, quæ in corpus eius admittuntur. Si filiusfamiliâs cœnaculum conductum habuit,& inde deiectum vel effuſum quid ſit : de peculio in patrem non datur, quia non ex contractu venit.in ipſum itaque filium hæc actio competit. Cùm ſeruus

habitator est, vtrum noxalis actio danda sit, quia non est ex negocio gesto: an de peculio, quia non ex delicto serui venit? neque enim rectè dicitur serui noxa, cùm seruus nihil nocuerit. sed ego puto seruum impunitum esse non oportere, sed extra ordinem officio iudicis corrigendum. Habitare autem dicimus, vel in suo, vel in conducto, vel gratuitò. Hospes planè non tenebitur, qui ibi non habitat, sed paulisper hospitatur: sed is tenetur, qui hospitium dedit. Tantum autem interest inter habitatorem & hospitem, quãtum interest inter domicilium habentem & peregrinanté. Si plures in cœnaculo eodem habitét, vnde quid deiectum est: in quéuis hæc actio dabitur. D

II. CAIVS *lib.* VII. *ad edictum prouinciale.* E

Cvm sanè impossibile est scire, quis deiecisset, vel effudisset.

III. VLPIANVS. *lib.* XXIII. *ad edictum.*

ET quidem insolidum. sed si cum vno fuerit actum, cæteri liberabuntur.

Nota quòd quãdo plures tenentur ex quasi delicto, vnus soluens repetit partem ab alio. Baldus.

IIII. PAVLVS *lib.* XIX. *ad edictum.*

PErceptione, nõ litis cõtestatione: præstaturi partem dãni, societatis iudicio vel vtili actióe ei, qui soluit.

V. VLPIANVS *lib.* XXIII. *ad edictum.*

SI verò plures diuiso inter se cœnaculo habitét: actio in eum solum datur, qui inhabitat eam parté, vnde effusum est. Si quis gratuitas habitatiões dederit libertis, & clientibus, vel suis, vel vxoris: ipsum eorũ nomine teneri, Trebatius ait. quod verũ est. Idem erit dicédum, & si quis amicis suis modica hospitiola distribuerit. Nã & si quis cœnaculariam exercens, ipse maximã partem cœnaculi habeat: sol⁹ tenebitur. Sed & si quis hospitalia habeat, ęquè sol⁹ tenebitur. Sed si quis cœnaculariã exercens, modicum sibi hospitium retinuerit, residuum pluribus locauerit: omnes tenebuntur, qui in hoc cœnaculo habitant, vnde deiectum effusúmve est. Interdum tamé, quò sine captione actoris fiat, oportebit prętorem æquitate motum potius dare actionem in eum, ex F

cuius

cuius cubiculo vel exhedra deiectum est: licet plures
A in eodem cœnaculo habitét. quòd si ex mediano cœnaculi quid deiectum sit: verius est, omnes teneri. Si horrearius aliquid deiecerit vel effuderit, aut conductor apothecæ, vel qui in hoc dumtaxat conductum locum habebat, vt ibi opus faciat, vel doceat: in factum actioni locus est, etiam si quis operantium deiecerit vel effuderit, vel discentium. Cùm auté legis Aquiliæ actione propter hoc quis cõdénatus est: meritò ei, qui ob hoc quod hospes, vel quis alius de cœnaculo deiecit, condénatus est: in factũ dãdam esse Labeo ait aduersus deiectorem. quod verum est. Planè si locauerit deiectori: etiam ex locato habebit actionem. Hæc autem actio, quæ cõpetit
B de effusis & deiectis, perpetua est, & hæredi competit: in heredem verò nõ datur. Quæ autem de eo cõpetit, quod liber perisse dicetur: intra annum dũtaxat cõpetit. neq; in hæredem, sed nec hæredi, similibúsq; personis datur: nam & pœnalis est & popularis. Dummodo sciamus: ex pluribus desiderãtibus hanc actionem, ei potissimũ dari debere, cuius interest, vel qui adfinitate cognationéve defunctum contingit. Sed si libero nocitum sit, ipsi perpetua erit hæc actio: si alius velit experiri, annua erit. nec enim hæredibus iure hæreditario competit. Quippe quod in corpore libero damni datur, iure hæreditario transire ad successores non debet, quasi non sit dam-
C num pecuniariũ. nam ex bono & æquo oritur. Prætor ait. NE QVIS IN SVBGRVNDA PROTECTÓVE SVPRA EVM LOCVM, QVÓ VOLGO ITER FIET, ÍNVE QVO CONSISTETVR: ID POSITVM HABEAT, CVIVS CASVS NOCERE CVI POSSIT. QVI ADVERSVS EA FECERIT: IN EVM SOLIDORVM DECEM IN FACTVM IVDICIVM DABO. SI SERVVS INSCIENTE DOMINO FECISSE DICETVR, AVT NOXAE DEDI IVBEBO. Hoc edictum superioris portio est. consequẽs etenim fuit, prętorem etiã in hunc casum prospicere: vt si quid in his partib' ædium periculosè positum esset, ne noceret. Ait prætor. NE QVIS IN SVBGRVNDA PROTECTÓVE. hæc

verba NE QVIS ad omnes pertinent, vel inquilinos, vel dominos ædium: siue inhabitent, siue non, habeāt tamé aliquid in his locis expositum. SVPRA EVM LOCVM, QVÒ VOLGO ITER FIET, I'NVE QVO CONSISTETVR, ID POSITVM HABEAT. &c. Accipere debemus POSITVM HABEAT: siue in habitationibus, vel cœnaculis, siue etiam in horreis, vel cuius alterius ædificij. Positū habere etiam is rectè videtur, qui ipse quidem nō posuit, verùm ab alio positum patitur. Quare si seruus posuerit, dominus autem positum patiatur: nō noxali iudicio dominus, sed suo nomine tenebitur. Prætor ait, CVIVS CASVS NOCERE CVI POSSIT. ex his verbis manifestatur, non omne, quod positū est: sed quicquid sic positum est, vt nocere possit: hoc solùm prospicere prætorem, ne possit nocere. nec spectamus, vt noceat: sed omnino, si nocere possit, edicto locus sit. Coërcetur autē, qui positum habuit: siue nocuit id, quod positum erat, siue nō nocuit. D E

Si id quod positum erat, deciderit, & nocuerit: in eum competit actio, qui posuit, non in eū, qui habitauit: quasi hæc actio non sufficiat. quia positum habuisse non vtique videtur, qui posuit: nisi vel dominus fuit ędium, vel inhabitator. Nam cùm pictor in pergula clypeum vel tabulam expositam habuisset, eáque excidisset, & transeunti damni quid dedisset: Seruius respondit, ad exemplum huius actionis dari oportere actionem. hanc enim non competere, palam esse: quia neque in subgrunda, neq; in protecto tabula fuerat posita. Idem seruandum respondit, & si amphora ex resticulo suspensa decidisset, & damnū dedisset: quia & legitima & honoraria actio deficit. Ista autem actio popularis est, & hæredibus, similibúsq; competit: in hæredem autem non competit, quia pœnalis est. F

VI. PAVLVS *lib.* XIX. *ad edictum.*

HOc edictum non tantùm ad ciuitates & vicos, sed & ad vias, per quas vulgò iter fit, pertinet. Labeo ait, locum habere hoc edictum, si interdiu deiectum sit, nō nocte. sed quibusdā locis & nocte iter fit. Habitator suā suorúmq; culpā pręstare debet. Si de naue deiectū sit,

ſit, dabitur actio vtilis in eum, qui naui præpoſitus ſit.

A VII. CAIVS *lib. VII. ad edictum prouinciale.*

CVm liberi hominis corpus ex eo, quod deiectũ effuſúmve quid erit, læſum fuerit: iudex computat mercedes medicis præſtitas, cæteráq; impendia, quæ in curatione facta ſunt. Præterea operarum, quibus caruit, & cariturus eſt ob id, quod inutilis factus eſt. Cicatricũ autem & doformitatis nulla fit æſtimatio: quia liberum corpus nullam recipit æſtimationem.

Idẽ conſtitutũ Exodi. ca. 21.

DE NOXALIBVS ACTIONIBVS.
Titulus IIII.

CAIVS. *lib. II. ad edictum prouinciale.*

B NOxales actiones appellãtur, quæ non ex contractu, ſed ex noxa atq; maleficio ſeruorum aduerſus nos inſtituũtur. quarum actionum vis & poteſtas hæc eſt: vt ſi dãnati fuerimus, liceat nobis deditione ipſius corporis, quod deliquit, euitare litis æſtimationem.

II. VLPIANVS *lib. XVIII. ad edictum.*

SI ſeruus ſciente domino occîdit: inſolidũ dominum obligat. ipſe enim dominus occidiſſe videtur. Si autem inſciẽte: noxalis eſt. nec enim debet ex maleficio ſerui in plus teneri, quàm vt noxæ eum dedat. Is qui non prohibuit: ſiue dominus manet, ſiue deſiit eſſe dominus: hac actione tenetur. ſufficit enim, ſi eo tẽpore dominus
C fuit, quo non prohíbebat. in tantũ, vt putet Celſus, ſi fuerit alienatus ſeruus in totum vel in partem, vel manumiſſus: noxam caput non ſequi. nam ſeruum nihil deliquiſſe, qui domino iubenti obtemperauit. Et ſanè ſi iuſſit, poteſt hoc dici. ſi autem non prohibuit, quemadmodũ ſerui factum excuſabimus? Celſus tamen differentiam facit inter legem Aquiliam, & legem duodecim tabularum. Nam in lege antiqua ſi ſeruus ſciente domino furtum fecit, vel aliam noxam commiſit: ſerui nomine actio eſt noxalis, nec dominus ſuo nomine tenetur. At in lege Aquilia (inquit) dominus ſuo nomine tenetur, non ſerui. Vtriuſq; legis reddit rationẽ. duodecim tabularum: quaſi voluerit ſeruos dominis in hac re non obtemperare.

raræ Aquiliæ: quaſi ignouerit ſeruo, qui domino paruit, periturus ſi non feciſſet. Sed ſi placeat, quod Iulianus libro octogeſimoſexto ſcribit: ſi ſeruus furtum fecit, noxámve nocuit, etiam ad poſteriores leges pertinere: poterit dici etiam ſerui nomine cũ domino agi poſſe noxali iudicio: vt quod datur Aquilia aduerſus dominum, non ſeruum excuſet, ſed dominum oneret. Nos autem ſententiam Iuliani probauimus: quia habet rationem, & à Marcello apud Iulianum probatur. D

III. IDEM *lib.* III. *ad edictum.*

IN omnibus noxalibus actionibus, vbicunq; exigitur, ſcientia domini ſic accipiéda eſt: ſi cũ prohibere poſſet, nõ prohibuit. aliud eſt enim authorem eſſe ſeruo delinquenti, aliud pati delinquere. E

IIII. PAVLVS *lib.* III. *ad edictum.*

IN delictis ſeruorum ſcientia domini quemadmodum accipienda eſt: vtrum cum conſilio, an & ſi viderit tantùm, quamuis prohibere non potuerit? quid enim ſi ad libertatem proclamans, domino ſciente faciat? quid ſi contemnat dominum: vel cùm trans flumen ſit ſeruus, vidente quidem, ſed inuito domino noxam noceat? Rectius itaque dicitur, ſcientiam eius accipiendã, qui prohibere poteſt: & hoc in toto edicto intelligẽdum eſt circa ſcientiæ verbum. Si extraneus ſeruus ſciente me fecerit, eúmq; redemero: noxalis actio in me dabitur: quia non videtur domino ſciẽte feciſſe, cùm eo tempore dominus non fuerim. F Cùm dominus ob ſcientiam teneatur: an ſerui quoque nomine danda ſit actio, videndũ eſt. niſi fortè prætor vnam pœnam à domino exigi voluerit. ergo dolus ſerui impunitus erit. quod eſt iniquum. imò vtroque modo dominus tenebitur: vna autem pœna exacta, quam actor elegerit, altera tollitur. Si detracta noxæ deditione, quaſi cum conſcio domino actum ſit, qui non erat cõſcius: abſolutione facta, & finito iudicio, amplius agens cũ noxæ deditione, exceptione rei iudicatæ ſubmouebitur: quia res in ſuperius iudicium deducta & finita eſt. Donec autem prius iudicium agitatur: licentia eſt agenti, ſi eum de ſcientia domini arguenda pœniteat. tunc ad noxalem cauſſam tranſire. Cõtrà quoq; ſi cũ eo,

qui

qui scit, cùm noxæ deditione actum sit: amplius in dominum, detracta noxæ deditione, danda actio non est.
A In ipso autem iudicio, si voluerit & scientiam domini arguere, non est prohibendus.

V. VLPIANVS *lib. III. ad edictum.*

SI plurium seruus deliquerit, omnibus ignorantibus, noxale iudicium in quemuis dabitur. Sed si omnibus scientibus: quiuis eorum tenebitur, detracta noxę deditione, quemadmodum si plures deliquissent: nec altero conuento, alter liberabitur. Sed si alter scit, alter ignorat: qui scit, detracta noxæ deditione, conuenitur: qui nescit, conuenitur cum noxæ deditione. Differentia autem harum actionum non solùm illa est, quod qui scit, in solidum tenetur: verùm illa quoque, quod siue alienauerit seruum, qui scit, siue manumiserit, siue decesserit seruus: dominus eius tenetur. sed si ipse dominus decesserit: hęres eius non tenetur,
B

VI. IDEM *lib. XVIII. ad edictum.*

SEd ipse seruus manumissus tenetur.

VII. IDEM. *lib. III. ad edictum.*

NOxalis non aliàs datur, nisi apud me sit seruus. & si apud me sit seruus: licet eo tempore non fuit, quo delinquebat, teneor. sed & hæres meus tenetur, si noxius viuat. Pomponius ait, si emptor serui noxali conuentus sit: venditorem, quo sciente factum est, conueniri iam non posse.
C

Potest aliquis cedere liti ante litem contestatã, & post litem contestatam non potest cedere. Baldus.

VIII. IDEM *lib. XXXVII. ad edictum.*

SI seruus communis furtum fecerit: quiuis ex dominis in solidum noxali iudicio tenetur, eóque iure vtimur. Sed non aliàs poterit, qui conuentus est, euadere litis æstimationem: nisi insolidum noxæ dediderit seruum. nec ferendus est, si partem dedere fuerit paratus. Planè si per hoc, quod socij dedere parati non fuerint, in solidum fuerit condemnatus: cõmuni diuidundo, vel familiæ Ercifcũdæ iudicio aduersus eos experietur. Ante noxale sanè iudicium acceptum, poterit suam partem cedẽdo securitatem cõsequi, nec necesse habebit suscipere iu-

re iudicium. Quanquam quis possit dicere euenire, vt dum pars ei cedatur, amittat actionem. dominus enim pro parte factus, non possit cum socio noxali experiri. Fortassis nec communi diuidundo agere possit eius maleficij nomine, quod ante communionem admissum est. quod si non potest: euidenti iniuria adficietur. Sed melius est dicere, competere ei communi diuidundo iudicium. D

Soluens pro suo maleficio, vel pro sua culpa, non repetit ab alio. Bartolus.

IX. PAVLVS *lib.* XXXVIII. *ad edictum.*

SI communis familia, vel communis seruus furtum fecerit, altero ex dominis sciente: is qui scit, omnium nomine tenebitur, & conuentus alterum quoque liberabit, nec à socio quidquam debebit consequi. sui enim facti nomine pœnam meruit. Quòd si is, qui ignorauit, duplum præstitit: à socio simplum consequetur. E

X. IDEM *lib.* XXII. *ad edictum.*

SEd & eo nomine agere cum socio poterit, quod seruum communem deteriorem fecit: quemadmodum cum quolibet alio, qui rem communem deteriorem fecisset. Cæterùm si nihil præter ea post noxæ deditionem commune habebit: pro socio, vel (si socij non fuerint) in factum agi poterit.

XI. VLPIANVS *lib.* VII. *ad edictum.*

BOna fide serui possessor eius nomine actione furti tenetur, dominus non tenetur: licet noxæ dedendo non faciat eum actoris. Cùm autem cœperit istum seruũ dominus vindicare: doli exceptione submouebitur, vel officio iudicis consequetur, vt indemnis maneat. F

Qui facit, quò minus poßit, videtur posse. Bal.

XII. PAVLVS *lib.* VI. *ad edictum.*

SI bona fide possessor eum seruum, quẽ bona fide possidebat, dimiserit, ne agi cum eo ex noxali caussa possit: obligari eum actione, quæ datur aduersus eos, qui seruum in potestate habeant, aut dolo fecerint, quò minus haberent: quia per hoc adhuc possidere videatur.

Non debet esse melioris conditionis prædo, quàm iustus possessor. Baldus.

XIII. CAIVS lib. XIII. ad edictum prouinciale.

A NOn solū aduersus bona fide possessores, sed & aduersus eos, qui mala fide possident; noxalis actio dabitur. nam absurdum videretur eos quidem qui bona fide possiderent, excipere actionem: prædones verò securos esse.

Melior est conditio occupantis in pari caussa, & dicitur occupasse, qui prius meruit sententiam. Bal.

XIIII. VLPIANVS lib. XVIII. ad edictum.

SI quis à multis conueniatur ex noxa eiusdem serui; vel ab vno; ex pluribus tamen delictis: non necesse habet (quia omnibus dedere nō potest) litis æstimationem offerre his, quibus dedere non potest. Quid ergo, si B à pluribus conueniatur? & si quidem vnus occupauit, an melior sit eius conditio, vt ipsi soli dedatur? an verò vel omnibus dedi debeat: vel caueri, defensum iri aduersus cæteros? Et verius est, occupantis meliorem esse conditionem. Ei itaque dedetur; non qui prior egit, sed qui prior ad sententiam peruenit. & ideo ei; qui postea vicerit, actio iudicati denegabitur. Sed & si statuliber sit; & ante deditionem exstiterit cōditio, vel per fideicommissum libertas fuerit antè præstita, vel existente conditione legati dominium fuerit translatum: arbitrio iudicis absolui eum oportet. sed & officium iudicis erit; vt caueatur ei; cui dedidit, de euictione ob suum factū C contingente.

XV. CAIVS lib. VII. ad edictum prouinciale.

PRætor decernere debet translationem iudicij in statu liberum fieri. Si verò rei iudicatæ tēpore adhuc in suspenso sit statuta libertas: Sabinus & Cassius liberari hæredem putant, tradendo seruum: quia toto suo iure cederet. quod & verum est.

Dolus casu non purgatur. Bal.

XVI. IVLIANVS lib. XXII. Digestorum.

SI hæres dolo malo fecerit, ne statu liberum in potestate haberet, & propter hoc iudicium sine noxæ deditione acceperit: impleta conditione statutæ libertatis condemnari debet, sicuti mortuo seruo condemnaretur.

Beneficium

Beneficium vnius non extenuat maleficium alterius. Bal.

XVII. PAVLVS *lib.* XXII. *ad edictum.* D A

SI ex duobus dominis, vno sciente, & altero ignorante, seruus delinquet: si antè cum altero, qui nesciebat, actum sit, & noxæ dediderit seruum: iniquum est, vilissimi hominis deditione, alterum quoque liberari. Agetur igitur & cum altero: & si quid amplius est in dãni persecutione, consequetur computato precio hominis noxæ dediti. Ipsi tamen inter se pensare debent id communi diuidundo iudicio: vt si ille, quo sciente fecit, præstiterit: non totius partem ferat, sed partem eius, quanti seruus est. sic & si alter præstiterit aliquid, eius partem fieri. Illud iniquum est, eum qui iussit seruum facere, consequi aliquid à socio, cum ex suo delicto dãnum patiatur. E B Si plures eiusdem serui nomine noxali mecum agere velint, vel vnus pluribus iudiciis eiusdem serui nomine agat, in quo vsusfructus tuus, proprietas mea sit: officio iudicis continebitur, cùm eum noxæ dedidero, vt etiam vsumfructum actoris faciam. sed per prætorem id cõsequar ego dominus proprietatis: vt aut cogat prætor te pro æstimatione vsusfructus conferre ad litis æstimationem, aut vsumfructum cedere, si hoc expediat. Et si ego dominus proprietatis eum seruum nolui defendere: defensio tibi permittenda est. & si condemnatus hominem tradas, aduersus me te tueberis.

XVIII. POMPONIVS *lib.* XVIII. *ad Sabinum.* F C

IS qui vsumfructum in seruo habet, perinde cum domino habet actionem furti, atque si quilibet alius esset: sed cum eo nõ est, quamuis seruiat ei. & ideo dominus damnatus fructuario noxæ dedens liberabitur.

Quod vnus ratione rei communis consequitur, alteri communicare tenetur. Bal.

XIX. PAVLVS *lib.* XXII. *ad edictum.*

SI in re communi mea & tua, damnum nobis dederit Titij seruus: si cum eo agemus, erit noxali Aquiliæ actioni locus: ne damnat' in solidum singulis noxæ dedere cogatur. Sed potest dici, quasi damnum vnius sit, & vna obligatio: aut vtrisque pecuniam sufferendam, aut officio iudicis simul vtrisque noxæ dedendum. Sed & si

alterutri

alterutri nostrum in solidum noxæ deditus fuerit, & ob
A id ab vtroque dominus sit absolutus : rectè dicetur cũ,
cui noxæ deditus sit, alteri teneri communi diuidundo iudicio: vt communicet seruum noxæ sibi deditum, cùm ob rem communem ad socium peruenerit. Si serui, in quo vsusfructus alienus est, dominus proprietatis operas conduxerit: verba edicti efficiunt, vt cum noxæ deditione condemnetur. Si seruus tuus nauem exercuerit, eiusque vicarius & idem nauta in eadem naue damnum dederit: perinde in te actio danda est, ac si is exercitor liber, & hic vicarius seruus eius esset, vt de peculio serui tui ad noxam dedere vicarium damneris: vt tamen si serui tui iussu, vel sciente eo & patiente, damnum
B vicarius dederit: noxalis actio serui tui nomine esse debeat. idemque fit, etiam si nautam facere iusserit.

XX. CAIVS *lib.* VII. *ad edictum prouinciale.*

QVi ex pluribus noxis diuersis temporibus experitur: ex vna noxa serui dominium nactus, nullã amplius actionem habet aduersus eum, qui dominus fuerat: cũ actio noxalis caput sequatur. At si maluit dominus priore iudicio litis æstimationem sufferre: vel eidem, vel alij ex alio maleficio agenti, nihilominus tenetur.

XXI. VLPIANVS *lib.* XXIII. *ad edictum.*

QVoties dominus ex noxali caussa conuenitur: si no
C luerit suscipere iudiciũ, in ea caussa res est, vt debeat noxæ dedere eum, cuius nomine iudiciũ non suscipit: aut si id non faciat, iudiciũ omnimodo suscipiet. sed non aliâs condemnabitur, quàm si in potestate habet, dolóue malo fecit, quò minus haberet.

In caussa noxali non potest quis defendere eum in quem non habet ius nec possessionem. ratio, quia non posset dare pro noxa. Bal.

Eos, quorum nomine noxali iudicio agitur, etiam absentes defendi posse placuit. sed hoc ita demum, si proprij serui sint. nam si alieni: præsentes esse oportet. at si dubitetur, vtrum proprij sint, an alieni (quod ita puto accipiendum, vt si constet vel bona fide ei seruire) etiã absentes possunt defendi. Prætor ait. SI IS, IN CVIVS POTESTATE ESSE DICETVR, NEGA-

NEGAVERIT SE IN POTESTATE SERVUM HABERE: VTRVM ACTOR VOLET, VEL DEIERARE IVBEBO IN POTESTATE SVA NON ESSE, NEQVE SE DOLO MALO FECISSE, QVÒ MINVS ESSET: VEL IVDICIVM DABO SINE NOXAE DEDITIONE. IN POTESTATE sic accipere debemus, vt facultatem & potestatem exhibendi eius habeat. cæterùm si in fuga sit, vel peregre: non videbitur esse in potestate. Quòd si reus iurare nolit: similis est ei, qui neque defendit absentem, neq; exhibet: quia cõdemnatur quasi contumaces. Si tutor vel curator exstet, ipse iurare debet, in potestate domini non esse. Si autem procurator sit, dominus ipse iuret, necesse est. Si iusiurandum exegit actor, reusque iurauit, deinde postea noxali velit actor experiri: videndum est, an exceptio iurisiurandi debeat aduersus actorem dari. Et Sabinus putat nõ esse dandam: quasi de alia re iuratum sit, hoc est tunc non fuisse in potestate: modò verò cùm in potestate deprehendatur, de facto eius agi posse. Neratius quoque dicebat, post exactum iusiurandum posse actorem detracta noxæ deditione experiri: si modò hoc contendat, postea quàm iuratum sit, cœpisse in potestate habere. D E

Non dicitur habere facultatem soluendi, ille qui non habet pecuniam ad manus: licet habeat multas possessiones. facit infra de lega. iii. qui habebat. & l. si tutus. ꝟ. i. Baldus. F

XXII. PAVLVS *lib.* XVIII. *ad edictum.*

SI seruus depositus vel commodatus sit: cum domino agi potest noxali actione. ei enim seruire intelligitur, & (quod ad hoc edictũ attinet) in potestate eius est: maximè si copiam habeat recuperãdi hominis. Is qui pignori accepit, vel qui precariò rogauit, non tenetur noxali actione. licet enim iustè possident, non tamen opinione domini possident. sed hos quoque in potestate domini intelligi, si facultatem repetendi eos dominus habeat. Quid est autem habere facultatem repetendi? si habeat pecuniam, ex qua liberari possit. nã non debet cogi vendere res suas, vt soluat pecuniam, & repetat seruum.

seruũ. Dominus, qui seruum in sua potestate esse cõ-
A fitetur: aut exhibere eum debet, aut absentem defende-
re. quod nisi faciat: punitur, atque si absentem non noxæ
dediderit. Si negauit dominus in sua potestate seruũ
esse: permittit prætor actori arbitrium, vtrum iureiurã-
do id decidere, an iudicium dictare sine noxæ deditio-
ne velit: per quod vincet, si probauerit eum in potestate
esse, vel dolo eius factum, quo minus esset. si autem non
probauerit, in potestate aduersarij esse seruum: rem a-
mittit.

XXIII. CAIVS *lib.* VII. *ad edictum prouinciale.*

SEd & si postea aduersarius eius in potestate habere
cœperit seruum: tenetur ex noua possessione, dene-
B gata ei exceptione.

Ille qui dolo desiit possidere, tenetur etiam si in alium sit regressus: & vno electo, alter liberatur. Bal.

XXIIII. PAVLVS *lib.* XVIII. *ad edictum.*

DE illo videndum: vtrum aduersus eum tantũ, qui
dolo fecit, quo minus in potestate haberet, actio
locum habeat noxalis, si ex dolo eius acciderit, vt cesset
noxalis actio: (fortè si seruo suo fugam mandauit) an &
possit nihilominus cum alio agi: quod accidit, cũ alie-
natus, manumissusúe est. quod est verius. in quo casu ele
ctio est actoris, cum quo velit agere. Iulianus autem ait
de eo, qui manumisit: si paratus sit defendere se manu-
C missus, exceptionem dandam ei, qui manumisit. hoc &
Labeo.

XXV. CAIVS *lib.* VII. *ad edictum prouinciale.*

IDem est, & si nouus domin' serui iudicium patiatur.

XXVI. PAVLVS *lib.* XVIII. *ad edictum.*

ELectio verò alterum liberabit. id enim prætor in-
troduxit, ne eluderetur actor, non vt etiam lucrum
faceret. ideoque exceptione à sequentibus submouebi-
tur. His consequens est, vt si plures dolo fecerint, quò
minus in potestate haberent: eligere debeat actor, quem
velit conuenire. Item si ex pluribus dominis quidam
dolo malo partes suas desierint possidere: electio erit
actoris, vtrum directò agere velit cum eo, qui possidet:
an præterea cum eo, qui desiit possidere. Si seruum a-

lienum alius in iure suum esse responderit: altero soluente, alter liberatur. Si is, quem desieris dolo possidere, decesserit prius, quàm hac actione conuenireris: liberaris, quia hæc actio in locum directę actionis succedit. Diuersum dicemus, si moram feceris in iudicio accipiendo. D

Mendacium defuncti non nocet hæredi: nec sibi si reuocat mēdacium ante litis contestationem. Bal.

Neque hæredi, neque in hæredem de eo, quod defunctus mentitus est, actio danda est: nec in ipsum quolibet tempore. nam liberum esse debet defendenti absentem seruum, huius edicti pœnam euitare: scilicet vt sine noxæ deditione conueniatur. Et ideo si negaueris seruum in tua potestate esse: postea fateri poteris, nisi si iam lis aduersus te contestata est. nam tunc audiri non debebis, vt Labeo ait. Octauenus ex caussa etiam lite contestata tibi succurrendum: vtique si ætas tua ea sit, vt ignosci tibi debeat. E

Decretum interpositum ex contumacia vnius non officit alteri, quin non debeat contumax reputari. Bal.

Si absente domino ductus sit seruus (vel etiam præsente) & in ea caussa sit, vt in integrum restitui possit: defensio permittitur eius nomine, qui ductus est. postulantibus enim exhiberi eum ad defendendum, indulgere debet prætor. Idem concedendum est fructuario, vel cui pignoris nomine obligatus est, si præsens dominus defendere noluerit: ne alterius dolus aut desidia alij noceat. Idem præstandum est in seruo communi, quem alter ex dominis noluit defendere. Sed & actori his casibus succurrendum est: quia placet domini adquisitione exstingui actionem. iussu enim prætoris ductus in bonis sit eius, qui duxit. F

In iudicio noxali potest se opponere tertius, cuius interest: & hoc colligitur à contrario sensu illius verbi voluerit. Bal.

XXVII. CAIVS *lib.* VII. *ad edictum prouinciale.*

SI noxale iudicium agitur de seruo, qui pignoris iure tenetur, aut cuius vsusfructus alterius est: admonendi sumus, si creditor vel vsufructuarius præsens defensionem suscipere noluerit: proconsulem interuẽturum, & pignoris

& pignoris persecutionem, vel vsusfructus actioné negaturum. Quo casu dici potest, ipso iure pignus liberari. nullum enim pignus est, cuius persecutio negatur. Vsusfructus autem, etiam si persecutio denegetur, ipso iure durat eò vsque, donec non vtendo constituto tempore pereat. Ex his, quæ diximus de seruo, qui alicui pignoris iure obligatus est, deq́ue statu libero, & cuius vsusfructus alienus est: apparet eum, qui alienum seruum in iure suum esse responderit: quamuis noxali iudicio teneatur, non tamen posse noxæ deditione ipso iure liberari: quia nullum ad actores dominiũ transferre possunt, qui ipsi domini non sunt. Certè tamen, si ex ea caussa traditũ, postea dominus vindicet, nec litis æstimationem offerat: poterit per exceptionem doli mali repelli.

A

B

Secundum decretum affert conditionem vsucapiendi: & facit Publicianam præferri vero domino. & inducit ius præscribendi etiam malæ fidei possessori. & est nota. In titulo ergo sententiæ vel adiudicationis non requiritur bona fides ad præscribendum. h. d. & ad hoc allegatur quotidie. Bal.

XXVIII. AFRICANVS *lib.* VI. *Quæstionum.*

ET generaliter: si alieni serui nomine, qui tibi iusta seruitute seruiret, noxali tecum egerim, tuq́ue mihi eum noxæ dedideris: siue me possidéte dominus eũ vindicet, exceptione doli mali (nisi litis æstimationem offerat) eum submoueri puto: siue ipse possideat, Publicianã mihi dari, & aduersus excipientem SI DOMINVS EIVS NON SIM, vtilem mihi replicationem doli mali profuturam. Et secundum hæc vsu quoque me capturum, quamuis sciens alienum possideam. Alioquin si aliter constituatur: futurum, vt summa iniquitate bonæ fidei possessor adficiatur: si cum ipso iure noxalis actio aduersus eum competit, necessitas ei imponatur, vt litis æstimationem offerat. Eademq́ue dicenda sunt, etsi cùm ab eo non defenderetur, iussu prætoris eum duxerim: quoniam isto quoque casu iustam caussam possidendi habeo.

C

XXIX. CAIVS *lib.* VII. *ad edictum prouinciale.*

NOn solùm autem qui in potestate non habet, recusare potest noxale iudicium: verũetiam habenti in

poteſtate liberum eſt euitare iudicium,ſi indefenſam eã perſonam relinquat. ſed huic neceſſe eſt ius ſuum ad a- D ctorem transferre,perinde ac ſi damnatus eſſet.

Decretum interpoſitum contra vnum,non praiudicat abſentibus habentibus ius in re.Bar.

XXX. IDEM *lib.* III.*ad edictum pratoris vrbani,tit.de damno infecto.*

IN noxalibus actionibus eorum, qui bona fide abſunt, ius non corrumpitur:ſed reuerſis defendendi ex bono & æquo poteſtas datur: ſiue domini ſint, ſiue alioquin in ea re ius habeant:qualis eſt creditor & fructuarius.

XXXI. PAVLVS *lib.* VII. *ad Plautium.*

QVod ait prætor, cùm familia furtum facit, ad eum E modum ſe actionem daturum,vt tantum actor cõſequatur,quantum ſi liber feciſſet,conſequeretur:quæritur, vtrum ad pecuniæ præſtationem reſpiciat,an etiam ad noxę deditionem:vt(puta)ſi ex preciis noxæ deditorum duplum colligatur, ſequentes actiones inhibeantur? Sabinus & Caſſius putant, precium quoque noxæ deditorum imputari debere. quod & Pomponius probat, & eſt verum. Nam & ſi ſeruus indefenſus ductus ſit, æſtimatio eius imputanda eſt. Certè non tantùm duplicationis, ſed & condictionis rationem habendam, Iulianus putat. Sed & furti faciendi tempus F ſpectandum eſſe, an eiuſdem familiæ ſint ſerui. nam ſi hi,qui plurium dominorum erant,vnius eſſe poſtea cœperint:locum edicto non fore.

XXXII. CALLISTRATVS *lib.* II. *edicti monitorii.*

IS qui in aliena poteſtate eſt, ſi noxam commiſiſſe dicatur,& non defendatur:ducitur.& ſi præſens eſt dominus,tradere eum,& de dolo malo promittere debet.

XXXIII. POMPONIVS *lib.* XIIII. *ad Sabinum.*

NOxali iudicio inuitus nemo cogitur alium defendere:ſed carere debere eo,quem non defendit, verius eſt.Quòd ſi liber eſt,quamuis in poteſtate ſit, indiſtinctè ipſi ſui defenſio danda eſt.

XXXIIII. IVLIANVS *lib.* IIII. *ad Vrseium.*

A QVoties enim nemo filiumfamiliâs ex caussa delicti defendit, in eum iudicium datur.

XXXV. VLPIANVS *lib.* XL. *ad Sabinum.*

ET si cõdemnatus fuerit filius, iudicatum facere debet. tenet enim condemnatio. quinimò etiam illud dicendum est: patrem quoque post condemnationem filij, dumtaxat de peculio posse conueniri.

Dominus onera realia nõ potest recusare, licet res possit ab eo auferri. Bal.

XXXVI. IDEM *lib.* XXXVII. *ad edictum.*

SI quis seruum pignoratum, deinde à debitore subreptum, emerit à debitore: eius nomine furti tenebitur, dominio serui adquisito. nec oberit, quod Seruiana B poterit is homo auocari. Idéque & si à minore quis vigintiquinque annis emerit, vel in fraudem creditorum sciens. hi enim, quãuis auferri eis dominium possit, interim tamen conueniendi sunt.

Exceptio superueniens post litis contestationem nihil operatur: secus si antè oriatur. facit de rei vindi. l. si post acceptum. dic vt ibi. Baldus.

XXXVII. TRIPHONINVS *lib.* V. *Disputationũ.*

SI alienus seruus furtum mihi fecerit, qui postea in meum dominium peruenit: exstinguitur furti actio, quæ mihi competierat, nondum in iudicium deducta. C Nec si postea alienauero eum, quem ante litem contestatam emeram, furti actio restaurabitur. quòd si post litem contestatam eum redemero: cõdemnandus erit véditor.

XXXVIII. VLPIANVS *lib.* XXXVII. *ad edictum.*

QVemadmodum si alij vendidisset. parui enim refert, cui vendiderit: aduersario, an alij. suáque culpa litis æstimationem subiturum, qui vendẽdo noxæ deditionem sibi ademit. Iulianus autem libro vicesimosecundo digestorum scribit: si seruum pro derelicto habeam, qui tibi furtũ fecerat, liberari me: quia statim meus esse desinit, ne eius nomine, qui sine domino sit, furti actio sit. Si seruus meus rem tuam subtraxe-

rit & vendiderit, tuque numos, quos ex precio habebat, ei excusseris: locus erit furti actioni vltro citroque. nã & tu aduersus me furti ages noxali serui nomine, & ego aduersus te numorum nomine. Sed & si seruo creditoris mei soluerim numos, vt is eos domino suo det: æquè locus erit furti actioni, si is numos acceptos interceperit. D

XXXIX. IVLIANVS *lib.* IX. *Digestorum.*

SI plurium seruus furtum fecerit, & omnes dolo fecerint, quò minus eum in potestate haberent: subsequi debet prætor iuris ciuilis actiones, & iudicium Honorarium, quod ex hac caussa pollicetur in eum, quem actor elegerit. Neque enim amplius præstari actor debet, quàm vt detracta noxæ deditione agere possit cum eo, cum quo noxali iudicio experiri potuisset, si seruus exhiberetur. E

Pro re aliena debet quis satisdare iudicatum solui, pro propria non expedit satisdare. Bal.

Qui alienum seruum suum esse fatetur, quamuis noxali actione obligetur, nihilomin⁹ caussa cognita satisdare debet. qui autem pro suo seruo conuenitur, satisdatione onerandus non est. non enim offert se defensioni alieni serui.

Dolosus potest defendi à quolibet possessore. Bal.

Si quis dicat dominum dolo fecisse, quò minus in potestate eius seruus esset: ille autem cõtendat, eum seruũ ab alio defendi cum satisdatione: doli mali exceptioni locus erit. Sed & si post iudicium acceptum cum domino, seruus apparuit, & quia non defendebatur, ductus est: exceptione doli mali posita, dominus absoluetur. Sed mortuo seruo antè, quàm accipiatur iudicium, omnino hac actione non tenebitur dominus. F

XL. IDEM *lib.* XXII. *Digestorum.*

SI seruus legatus ante aditam hæreditatem rem hęredis futuri subtraxerit: potest is cum legatario, qui legatum agnouerit, furti agere. sed si idem seruus hæreditariam rem subtraxerit, furti actio cessabit: quia huiusmodi rerum furtum non fit. ad exhibendum autem actio competit.

XLI.

XLI. IDEM *lib.* XI. *ad Vrseium Ferocem.*

A Cvm seruus communis alteri dominorum damnum iniuria dedit: idcirco legis Aquiliæ actio non est, quia si extraneo damnum dedisset, cum altero in solidũ lege Aquilia agi posset: sicuti & cùm seruus communis furtum fecit, cum altero domino furti agi nõ potest, sed communi diuidundo.

XLII. VLPIANVS *lib.* XXXVII. *ad edictum.*

SI ad libertatem proclamauerit is, cuius nomine noxale iudicium susceptũ est: sustineri debet id iudicium, quoad de statu eius iudicetur. & siquidem seruus fuerit pronunciatus, noxale iudicium exercebitur. si liber: inutile videbitur. Si quis pro seruo mortuo, i-
B gnorans eum decessisse, noxale iudicium acceperit: absolui debet, quia desiit verum esse, propter eum dare oportere. Hæ actiones perpetuæ sunt, locumque habẽt tam diu quãdiu serui dedẽdi facultatem habemus. Nec tantùm nobis, verumetiam successoribus nostris competunt. Item aduersus successores: sed non quasi iure successionis, sed iure dominij. Proinde & si seruus ad alium peruenisse proponatur: iure dominij noxali iudicio nouus dominus conuenietur.

Ibi seruus debet defendi, vbi deliquit. Baldus.

XLIII. POMPONIVS *lib.* VIII. ἐπιϛολῶν.

SErui, quorum noxa caput sequitur, ibi defendendi
C sunt, vbi deliquisse arguentur. itaque seruos dominus eodem loco exhibere debet, vbi vim intulisse dicuntur: & carere om̃nium dominio poterit, si eos non defendat.

DIGESTORVM SEV PANdectarum liber decimus.

In hunc tractatum vide Iulii Frõtini libellũ & in ipsum Ageni Vrbici cõmentarium.

FINIVM REGVNDORVM. Titulus I.

CAIVS *lib.* VII. *ad edictum prouinciale.*

FINIVM regũdorum actio in perſonã eſt, licet per vindicationẽ rei eſt. II. VLPIANVS *lib.* XIX. *ad edictum.* D

HAec actio pertinet ad prædia ruſtica, quãuis ædificia interueniant. neq; enim multũ intereſt, arbores quis in cõfinio, an ædificiũ ponat. Iudici finiũ regundorũ permittitur, vt vbi non poſſit dirimere fines, adiudicatione controuerſiam dirimat. Et ſi fortè amouendæ veteris obſcuritatis gratia, per aliã regionem fines iudex dirigere velit: poteſt hoc facere per adiudicationem & condemnationem.

III. CAIVS *lib.* VII. *ad edictum prouinciale.* E

QVo caſu opus eſt, vt ex alterutrius prædio alij adiudicandum ſit: quo nomine is, cui adiudicatur, certa pecunia condemnandus eſt.

IIII. PAVLVS *lib.* XXIII. *ad edictum.*

SEd & loci vnius controuerſia in partes ſcindi adiudicationib⁹ poteſt, prout cuiuſque dominium in eo loco iudex compererit. In iudicio finium regundorum etiam eius ratio fit, quod intereſt. quid enim ſi quis aliquã vtilitatem ex eo loco percepit, quam vicini eſſe apparebat: an iniquè condemnatio eo nomine fiet? Sed & ſi menſor ab alterutro ſolo conductus ſit: condẽnatio erit facienda eius, qui non conduxit, in partẽ mercedis.

Poſt litem autem conteſtatam etiam fructus venient in hoc iudicio. nam & culpa & dolus exinde præſtantur. ſed ante iudicium percepti non omnimodo in hoc iudicium venient. nam aut bona fide percepit, & lucrari eum oportet, ſi eos conſumpſit: aut mala fide, & condici oportet. F

Nota quòd vbicunque quis non paret iudici, poteſt deferri iuramentũ in litem. ad quod. l. reſtituere. de rei vindicatione. Baldus.

Sed & ſi quis iudici non pareat in ſuccidenda arbore, vel ædificio in fine poſito deponendo, partéve eius: condemnabitur. Si dicantur termini deiecti, vel exarati: iudex, qui de crimine cognoſcit, etiam de finibus cognoſcere poteſt. Si alter fundus duorum, alter

ter trium ſit: poteſt iudex vni parti adiudicare locum, A de quo quæritur, licet plures dominos habeat: quoniam magis fundo†, quàm perſonis adiudicari partes intelliguntur. Hic autem cùm ſit adiudicatio pluribus: vnuſquiſque portionem in fundo habet, quam & pro indiuiſo habebat. Qui communem fundum inter ſe habent, non condemnantur. neque enim inter ipſos accipi iudicium videtur. Si communé fundum ego & tu habemus, & vicinum fundum ego ſolus: an finium regundorum iudicium accipere poſſumus? Et ſcribit Pomponius, non poſſe: quia ego & ſocius meus in hac actione aduerſarij eſſe non poſſumus, ſed vnius loco habemur. Idem Pomponius ne vtile quidem iudicium dandum dicit: cùm poſſit, qui proprium habet, vel communem B vel proprium fundum alienare, & ſic experiri. Non ſolum autem inter duos fundos, verumetiam inter tres, pluréſve fundos accipi iudicium finium regundorum poteſt: vtputa ſinguli plurium fundorum confines ſunt, trium fortè vel quatuor.

† Hinc Q. F. Labeo arbiter Nolanis & Neapolitanus de finib' agri dat', maliticsè iudicaſſe dicit qui illorũ fines ita terminauit, vt q̃d in medio relictũ erat, populo Romano adiudicaret, qui nullũ eò loci vicinũ fũdũ poſsidebat. Cice. lib. 1. Officiorũ.

Emphyteuta poteſt agere finium regundorum, ſi valet declaratio facta cum emphyteuta. Baldus.

Finium regundorum actio, & in agris vectigalibus, & inter eos, qui vſumfructum habent, vel fructuarium & dominum proprietatis vicini fundi, & inter eos, qui iure pignoris poſſident, competere poteſt. Hoc iudicium locum habet in confinio prædiorum ruſticorum, C in vrbanorum diſplicuit. Neque enim cõfines hîc ſunt, ſed magis vicini dicuntur: & ea communibus parietibus plerunque diſterminantur. Et ideo & ſi in agris ædificia iuncta ſunt, huic actioni locus non erit. Et in vrbe hortorum latitudo efficere poteſt, vt etiã finium regundorum agi poſſit. Si verò flumen vel via publica interuenit, confinium non intelligitur: & ideo finium regundorum agi non poteſt.

QV. IDEM *lib.* XV. *ad Sabinum.*

Via magis in confinio meo via publica, vel flumen ſit, quàm ager vicini.

SVI. IDEM *lib.* XXIII. *ad edictum.*

Ed ſi riuus priuatus interuenit, finium regundorum agi

agi potest.

VII. MODESTINVS *lib.* X. πανδεκτῶν. D

DE modo etiam agrorum arbitri dantur: & is, qui maiorem locum in territorio habere dicitur, cæteris, qui locum minorem possident, integrum locũ adsignare compellitur: idq́ue ita rescriptum est.

Præses debet iubere vt quis abstineat ab alieno, & stet contentus suo. ergo imponit silentium. & facit infra de lib. leg. l. Aurelius ℣. centum. Baldus.

VIII. VLPIANVS *lib.* VI. *de officio proconsulis.*

SI irruptione fluminis fines agri confuderit inundatio, idq́ue vsurpandi quibusdam loca, in quibus ius non habent, occasionem præstet: præses prouinciæ alieno eos abstinere, & domino suum restitui, terminosq́ue per mensorem declarari iubet. Ad officium de finibˀ cognoscentis pertinet, & mensores mittere, & per eos dirimere ipsam finium quæstionem, vt æquum est, &(si ita res exigat) oculis etiam suis subiectis locis. E

IX. IVLIANVS *lib.* VIII. *Digestorum.*

IVdicium finium regundorum manet, quamuis socij communi diuidundo egerint, vel fundum alienauerint.

X. IDEM *lib.* LI. *Digestorum.*

IVdicium communi diuidundo, familiæ Erciscundæ, finium regundorum tale est, vt in eo singulæ personæ duplex ius habeant: & agentis, & eius, quî cum agitur. F

XI. PAPINIANVS *lib.* II. *Responsorum.*

IN finalibus quæstionibus vetera monumẽta, & census authoritas ante litem inchoatam ordinati sequenda est: si modo non varietate successionum, & arbitrio possessorum fines, additis vel detractis agris, postea permutatos probetur.

Terminus restringit terminatum, & auctor testificatur in quæstione terminorum: quod est nota. & intelligendum, quando in eum non resultat præiudicium. Baldus.

XII. PAVLVS *lib.* III. *Responsorum.*

EOs terminos (quãtum ad dominij quæstionem pertinet) obseruari oportere fundorum, quos demonstrauit is, qui vtriusque prædij dominus fuit, cùm alterum

rum eorũ venderet·non enim termini, qui ſingulos fun-
A dos ſeparabant, obſeruari debent: ſed demonſtratio ad-
finium, quæ nouos fines inter fundos conſtituit.

XIII. CAIVS *lib.* IIII. *ad L. duodecim tabularũ.*

SCiendum eſt in hac actione finium regundorum illud obſeruãdum, quod ad exemplum quodammodo eius legis ſcriptum eſt, quam Athenis Solon dicitur tuliſſe. nam illic ita eſt: ἐάν τις αἱμασιὰν παρ' ἀλλοτρίῳ χωρίῳ ὀρύγῃ, τὸν ὅρον μὴ διαβαίνειν· ἐὰν τειχίον, πόδα ἀπολείπειν· ἐὰν δὲ οἴκημα, δύο πόδας· ἐὰν δὲ τάφον ἢ βόθρον ὀρύττῃ, ὅσον τὸ βάθος ᾖ, τοσοῦτον ἀπολείπειν· ἐὰν δὲ φρέαρ, ὀργυιάν· ἐλαίαν δὲ ἢ συκῆν, ἐννέα πόδας ἀπὸ τοῦ ἀλλοτρίου φυτεύειν· τὰ δὲ ἄλλα δένδρα, πέντε * πόδας.† *al. δύο.

B

FAMILIAE ERCISCVNDAE.
Titulus II.

Poſſeſſor hæreditatis poteſt agere contra cohæredem diuiſorio: ſed ſi non poſſeſſor agit, poteſt ſibi obiici exceptio præpoſterationis, ſi negetur hæres. h. d. & eſt iſta lex ſingularis. Baldus.

†*Huc alluſit Ci. li. I. de. legi. dũ meminit cõtrouerſiæ de finibus, in qua vſucapionem, inter quinq; pedes. xii. Tabu. eſſe voluerũt.*

CAIVS *lib.* VII. *ad edictum prouinciale.*

HAec actio proficiſcitur ex lege duodecim tabularum. namque cohæredibus volentibus à communione diſcedere, neceſſarium videbatur, aliquam actionem conſtitui, qua inter eos res hæreditariæ diſtribuerentur.

C Quæ quidem actio nihilominus ei quoque ipſo iure cõpetit, qui ſuam partem non poſſidet. Sed ſi is, qui poſſidet, neget eum ſibi cohæredem eſſe: poteſt eum excludere per hanc exceptionem, SI IN EA RE, DE QVA AGITVR, PRAEIVDICIVM HAEREDITATI NON FIAT. Quòd ſi poſſideat eã partem: licet negetur eſſe cohæres, non nocet talis exceptio. Quo fit, vt eo caſu ipſe iudex, apud quẽ hoc iudiciũ agitur, cognoſcat, an cohæres ſit. niſi enim cohæres ſit: neque adiudicari ei quidquã oportet, neque aduerſarius ei condemnandus eſt.

II. VLPIANVS *lib.* XIX. *ad edictum.*

PEr familiæ Erciſcũdæ actionem diuiditur hæreditas:

tas: siue ex testamēto, siue ab intestato, siue ex lege duodecim tabularum, siue ex aliqua lege deferatur hæreditas, vel ex Senatusconsulto, vel etiā constitutione. & generaliter eorū dūtaxat diuidi hæreditas potest, quorum & peti potest. Si quarta ex constitutione diui Pij adrogatum ad aliquem deferatur: quia hic neque hæres, neque bonorum possessor sit: vtile erit familiæ Erciscundæ iudiciū necessarium. Itē si filiifamiliâs militis peculium sit: fortius defendi potest, hæreditatem effectam per constitutiones, & ideo huic iudicio locus erit. In familiæ Erciscundæ iudicio vnusquisque hæredum, & rei & actoris partes sustinet. Dubitandum autem non est, quin familiæ Erciscundæ iudicium & inter pauciores hæredes ex pluribus accipi possit. In hoc iudicium & si nomina non veniunt, tamen si stipulationes interpositæ fuerint de diuisione rerū, VT STETVR EI, ET ALTER ALTERI MANDET ACTIONES, PROCVRATOREMQVE EVM IN SVAM REM FACIAT: stabitur diuisioni. D E

III. CAIVS *lib.* VII. *ad edictum prouinciale.*

PLanè ad officium iudicis nōnunquā pertinet, vt debita & credita singulis pro solido, aliis alia attribuat: quia sæpe & solutio, & exactio partium non minima incommoda habet. Nec tamē scilicet hæc attributio illud efficit, vt quis totum solus debeat, vel totum alicui soli debeatur: sed vt siue agendū sit, partim suo, partim procuratorio nomine agatur: siue contrà cùm eo agatur, partim suo, partim procuratorio conueniatur. Nam licet libera potestas maneat creditoribus cū singulis experiundi: tamen & his libera potestas est suo loco substituendi eos, in quos onera actionis officio iudicis translata sunt. F

IIII. VLPIANVS *lib.* XIX. *ad edictum.*

CAeteræ itaque res, præter nomina, veniunt in hoc iudicium. Sin autem nomen vni ex hæredibus legatum sit: iudicio familiæ Erciscundæ hoc hæres consequitur. Mala medicamenta & venena veniunt quidem in hoc iudicium: sed iudex omnino interponere se in iis non debet. boni enim & innocentis viri officio eum fungi oportet. Tātundē debebit facere in libris improbatæ lectionis,

lectionis, †magicis fortè vel ſimilibus. hæc enim omnia protinus corrumpenda ſunt. Sed & ſi quid ex peculatu, vel ſacrilegio quæſitum erit, vel vi, aut clàm, aut latrocinio, aut aggreſſura: hoc non diuidet̃. Sed & tabulas teſtamenti debebit, aut apud eum, qui ex maiore parte hæres eſt, iubere manere: aut in ædem deponi. Nam & Labeo ſcribit, vendita hæreditate tabulas teſtaméti deſcriptas deponi oportere. hæredem enim exemplum debere dare: tabulas verò authenticas ipſum tenere, aut in ædem deponere.

A

†Quemadmodũ et in Actis apoſto. ca. 19. multi ex eis qui fuerant curioſa ſectati cõtulerũt libros ét cõbuſſerunt eos coram omnibus.

Nota quòd propter diſcordiam conſortum, peruenitur ad ſequeſtrum de indiuiſibili. Baldus.

V. CAIVS *lib.* VII. *ad edictum prouinciale.*

B SI quæ ſunt cautiones hæreditariæ, eas iudex curare debet, vt apud eum maneãt, qui maiore ex parte hæres ſit: cæteris deſcriptum & recognitum faciat, cautione interpoſita, vt cùm res exegerit, ipſæ exhibeantur. Si omnes iiſdem ex partibus hæredes ſint, nec inter eos cõueniat, apud quem potius eſſe debeant: ſortiri eos oportet: aut ex conſenſu, vel ſuffragio eligendus eſt amicus, apud quem deponantur: vel in ædem ſacram deponi debent.

VI. VLPIANVS *lib.* XIX. *ad edictum.*

NAm ad licitationem rem deducere, vt qui licitatiõne vicerit, hic habeat inſtrumenta hæreditaria: non placet, neque mihi, neque Pomponio.

C

Victoria eius qui putatur eſſe hæres inſolidũ, prodeſt ei ad quem apparet hæreditatem ex poſt facto pertinere. Baldus.

VII. VENVLEIVS *lib.* VII. *Stipulationum.*

SI hęres vnus, cùm ſub cõditione aut apud hoſtes addictum cohæredem haberet, dixerit ſe hæredem eſſe, & actione expertus vicerit: deinde conditio hæredis exſtiterit, vel poſtliminio redierit: an victoriæ commodum debeat cum eo communicari? an indubitatè iudicati actio ei in ſolidum competat? & puto electionem cohæredi dandam, aut communicandi eam, aut experiundi poteſtatem faciendi huic, qui poſt victoriam cohæredis effectus ſit hęres, aut reuerſus ſit in ciuitatem. Idémque obſeruandum, ſi poſtea natus ſit poſthumus. non enim

enim his perſonis ſilentium imputari poteſt, cùm ad hæreditatem poſt victoriam cohęredis peruenerint. D

VIII. VLPIANVS *lib.* XIX. *ad edictum.*

POmponius ſcribit, ſi vni ex hæredibus prælegatæ fuerint rationes: non prius ei tradendas, quàm cohæredes deſcripſerint. Nam & ſi ſeruus actor (inquit) fuerit legatus, non aliâs tradẽdus eſt, quàm rationes reddiderit. Non videbimus, nunquid etiam cautio ſit interponenda: vt quoties deſideratæ fuerint rationes, vel actor prælegatus, copia eorum fiat. plerunque enim authenticæ rationes ſunt neceſſariæ actori ad inſtruenda ea, quæ poſtea emergunt ad notitiam eius ſpectantia: & neceſſarium eſt cautionem ab eo ſuper hoc cohæredib⁹ præſtari. Idem Pomponius ait & columbas, quæ emitti ſolẽt E de columbario, venire in familiæ Erciſcundę iudicium, cùm noſtræ ſint tam diu, quàm diu conſuetudinem habeant ad nos reuertendi. quare ſi quis eas adprehendiſſet, furti nobis competit actio. Idem & in apib⁹ dicitur: quia in patrimonio noſtro computantur. Sed & ſi quid de pecoribus noſtris à beſtia ereptum ſit: venire in familiæ Erciſcundæ iudicium putat, ſi feram euaſerit. nã magis eſt, vt non deſinat noſtrum eſſe (inquit) quod à lupo eripitur, vel ab alia beſtia: tam diu, quàm diu ab eo fuerit conſumptum.

IX. PAVLVS *lib.* XXIII. *ad edictum.*

VEniunt in hoc iudicium res, quas hæredes vſucepe runt, cùm defuncto traditæ eſſent. hæ quoque res, quæ hæredibus traditæ ſunt, cùm defunctus emiſſet. F

Nota quòd cohæredes poſſunt inter ſe diuidere rem emphyteuticam, etiam irrequiſito domino. Baldus.

X. VLPIANVS *lib.* XIX. *ad edictum.*

ITem prædia, quæ noſtri patrimonij ſunt. ſed & vectigalia, vel ſuperficiaria. nec minus quoque hę res, quas alienas defunctus bona fide poſſedit.

XI. PAVLVS *lib.* XXIII. *ad edictum.*

PArtum quoque editum & poſt aditam hæreditatem,

XII. VLPIANVS *lib.* XIX. *ad edictum.*

ET poſt litem conteſtatam Sabinus ſcribit, in familiæ Erciſcundæ iudicium venire, & adiudicari poſſe.

Idem

Idem erit & ſi ſeruis hæreditariis ab extraneo aliquid datum ſit.

A *Sententia intelligitur ſaluo iure tertii: vt ex ea transferatur res cum ſua cauſſa, id eſt talis qualis eſt.* Bartolus.

Res, quæ ſub conditione legata eſt, interim hæredum eſt: & ideo venit in familiæ Erciſcundę iudicium, & adiudicari poteſt, cum ſua ſcilicet cauſſa: vt exiſtente conditione eximatur ab eo, cui adiudicata eſt: aut deficiente conditione ad eos reuertatur, quibus relicta eſt. Idem etiam in ſtatu libero dicitur: qui interim eſt hæredum, donec exiſtente conditione ad libertatem perueniat.

In iudiciis alienationes voluntariæ prohibitæ ſunt: ſecus in neceſſariis, & hoc ſtatim poſt controuerſiam motam. Bartolus.

B XIII. PAPINIANVS *lib.* VII. *Quæſtionum.*

ALienationes enim poſt iudicium acceptum interdictæ ſunt, dumtaxat volũtariæ: non quæ vetuſtiorem cauſſam, & originem iuris habent neceſſariam.

XIIII. VLPIANVS *lib.* XIX. *ad edictum.*

SEd & ſi vſucapio fuerit cœpta ab eo, qui hæres non erat ante litem conteſtatam, & poſtea impleta fuerit: rem de iudicio ſubducit. Vſusfructus an in hoc iudicium deducatur, quæritur: vt puta ſi deducto vſufructu fundus fuit ab hæredibus legatus,

XV. PAVLVS *lib.* XXIII. *ad edictum.*

VEl ſi ſeruo hæreditario vſusfructus legatus ſit. nec enim à perſonis diſcedere ſine interitu ſui poteſt.

C XVI. VLPIANVS *lib.* XIX. *ad edictum.*

ET puto officio iudicis contineri, vt ſi volent hæredes à communione vſusfructus diſcedere, moré gerat, cautionib⁹ interpoſitis. Iulianus ait: ſi alij fundum, alij vſumfructum fundi iudex adiudicauerit: non communicari vſumfructum. Vſusfructus & ex certo tempore, & vſque ad certum tempus, & alternis annis adiudicari poteſt. Id quod amnis fundo poſt litem conteſtatam alluit: æquè venit in hoc iudicium. Sed & ſi dolo & culpa quid in vſumfructum ab vno ex hæredibus factum ſit: hoc quoque in iudicium venire Pomponius ait. Nam omnia, quæ quis in hæreditate dolo aut culpa fecit, in iudiciũ familiæ Erciſcundæ veniunt: ſic tamen, ſi quaſi

ſi quaſi hæres fecerit. Et ideo ſi viuo teſtatore vnus ex hæredibus pecuniam ſuſtulerit, in familiæ Erciſcundæ iudicium ea non venit: quia tunc nondum hæres erat. vbi autem quaſi hæres fecit: & ſi aliã prꝫterea quis actionem habet, tamen teneri eum familiæ Erciſcundæ iudicio Iulianus ſcribit. Idémque ait, ſi vnus ex hæredibus rationes hæreditarias deleuerit: teneri quidem lege Aquilia, quaſi corruperit: non minus autem & familiæ Erciſcundæ iudicio. Item ſi ſeruus hæreditarius propriam rem hæredis vnius ſubripuerit: Ofilius ait, eſſe familiæ Erciſcundꝫ actionem, & communi diuidundo: furtique actionem ceſſare. Quare agenté familiæ Erciſcundæ iudicio conſecuturum, vt aut ei ſeruus adiudicetur, aut litis æſtimatio in ſimplum offeratur. D E

XVII. CAIVS *lib.* VII. *ad edictum prouinciale.*

Damno commiſſo ab vno hærede, conueniens eſſe dicetur, ſimpli habendam ꝫſtimationem in familiꝫ Erciſcundæ iudicio.

Contra agentem familiæ Erciſcundæ, non poteſt obiici quòd hæreditas pertineat ad fiſcum: quia ipſe eſt indignus per cohæredem. Bartolus.

XVIII. VLPIANVS *lib.* XIX. *ad edictum.*

His conſequenter (vt Iulianus ait) ſi ex pluribus hæredibus vni ſeruus ſit generaliter per optionem legatus, & hæredes Stichum tabulas hꝫreditarias interleuiſſe dicant vel corrupiſſe, & propter hoc renunciauerint, ne optaretur ſeruus: deinde optatus vindicetur: poterũt, ſi is vindicetur, doli mali exceptione vti, & de ſeruo quæſtionem habere. F

Hæres dignus cohæredi indigno, eo quòd non vindicauit necem defuncti: non poteſt de hoc opponere, nec impedire iudicium diuiſorium motum. Baldus.

Sed an in familiæ Erciſcundæ iudicium de morte teſtatoris, vel de morte vxoris, liberorúmque ſuorum habebunt quæſtioné hæredes, quæritur? Et rectiſſimè Pomponius ait. hæc ad diuiſionem rerũ hæreditariarum non pertinere. Idémque ait, & ſi quis teſtamento cauerit, vt ſeruus exportandus veneat: officio iudicis familiꝫ Erciſcundæ contineri, vt volũtas defuncti non intercidat.

Sed

Sed & cùm monumentum iuſſit teſtator fieri, familiæ
A ercíſcundæ agetur, vt fiat. Idem tamen tentat, (quia hæredú intereſt, quos ius monuméti ſequitur) præſcriptis verbis poſſe eos experiri, vt monumentũ fiat. Súptuũ, quos vnus ex hæredibus bona fide fecit: vſuras quoque conſequi poteſt à cohęrede ex die moræ, ſecundum reſcriptum Imperatorũ Seueri & Antonini. Celſus etiã illud eleganter adiicit: cohæredem, & ſi non ſoluit, habere familiæ ercíſcundæ iudicium, vt cogatur cohæres ſoluere: cũ aliâs non ſit liberaturus rem creditor, niſi in ſolidum ei ſatisfiat. Si filiusfamiliâs cum patri hæres pro parte extitiſſet, & à creditoribus peculiaribus conueniretur: paratus ſit ſoluere id omne, quod debetur:
B per doli exceptionem cõſequetur à creditoribus, mandari ſibi actiones. ſed etiam familiæ ercíſcundæ iudiciũ cum cohęredibus habebit. Sed & cũ vnus ex hæredibus legatum ſoluit ei, qui miſſus fuerat in poſſeſſionem legatorum ſeruandorum cauſſa: putat Papinianus, & verum eſt, familiæ ercíſcundæ iudicium ei competere aduerſus cohæredes: quia non aliâs decederet legatarius poſſeſſione, quam vice pignoris erat conſecutus, quàm ſi totum legatũ fuiſſet exſolutum. Sed & ſi quis Titio debitum ſoluerit, ne pignus veniret, Neratius ſcribit, familiæ ercíſcundæ iudicio eum poſſe experiri.

XIX. CAIVS *lib.* VII. *ad edictum prouinciale.*

C ITem ex diuerſo ſimiliter proſpicere iudex debet: vt quod vnus ex hæredibus ex hæreditaria re percepit, ſtipulatúſve eſt, nõ ad eius ſolius lucrũ pertineat. Quæ ita ſcilicet conſequetur iudex: ſi aut reputationes inter eos fecerit, aut curauerit cautiones interponi, quib' inter eos communicentur cõmoda & incommoda.

Qui onera matrimonii ſuſtinet, debet dotem percipere. Bar.

XX. VLPIANVS *lib.* XIX. *ad edictum.*

SI filia nupta, quæ dotem conferre debuit, per errorem cohæredum ita cauit, vt quod à marito recuperaſſet, pro partibus hæreditariis ſolueret: nihilominus arbitrum familiæ ercíſcundę ſic arbitraturum, Papinianus ſcribit, vt etiam ſi conſtante matrimonio ipſa diem ſuum obierit, conferatur dos. Nam imperitia (inquit)

cohæredum iurisdictionis formam immutare non potuit. Si filiusfamiliâs iussu patris obligatus sit, debebit hoc debitum præcipere. sed & si in rem patris vertit, idem placet. & si de peculio: peculium præcipiet. & ita Imperator noster rescripsit. Hoc amplius filiusfamiliâs hæres institutus, dotem vxoris suæ præcipit, nec immerito: quia ipse onera matrimonij sustinet. integram igitur dotem præcipiet, & cauebit defensum iri cohæredes, qui ex stipulatu possunt conueniri. Idem si alius dotem dedit, & stipulatus est. Nec solùm vxoris suæ dotem, sed etiam filij sui vxoris: quasi huius quoque matrimonij onus ad ipsum spectet: quia & filij onera & nurus ipse agnoscere necesse habet. Præcipere autem non solùm patri datam dotem filium oportere, verum etiam ipsius filio Marcellus scribit. Sed filio datam tam diu, quàm diu peculium patitur, vel in rem patris versum est. D E

Diuisio patris inter filios, habet vim vltimæ voluntatis: non vim simplicis donationis. Bal.

Si pater inter filios sine scriptura bona diuisit, & onus æris alieni pro modo possessionum distribuit: non videri simplicem donationem, sed potius supremi iudicij diuisionem Papinianus ait. Planè (inquit) si creditores eos pro portionibus hæreditariis conueniant, & vnus placita detrectet: poterit cũ eo præscriptis verbis agi, quasi certa lege permutationem fecerint: scilicet si omnes res diuisæ sint. Familiæ erciscundæ iudicium amplius, quàm semel agi non potest, nisi caussa cognita. Quòd si quædam res indiuisæ relictæ sint: communi diuidundo de eis agi potest. Papinianus ait, si vni ex hæredibus onus æris alieni iniungatur, citra speciem legati: officio iudicis familiæ erciscundæ cognoscentis suscipere eum id oportere: sed non vltra dodrantem portionis suæ, vt quadrantem illibatum habeat. Indemnes igitur cohæredes suos præstare cauebit. Idem scribit, si filius in muneribus publicis, in quibus pater ei consensit, reliquatus est, & pro parte hæres scriptus est: hoc quoque debere præcipere, quia & hoc patris æs alienum fuerit. Sed si qua munera post mortem pa- F

tris

tris ſuſceperit: ab his hæredes patris ſoluti ſunt. Neratius auté retulit eum, qui plures filios haberet, vnum ex
A filiis ἀγωνοθεσίαν ſuſcepturum profeſſum eſſe: & prius quàm honore fungeretur, mortuum eſſe, omnibus filiis hæredibus inſtitutis. quæſitum eſſe, an is filius, quod in eam rem impendiſſet, FAMILIAE ERCISCVNDAE conſequatur? reſpondiſſe nulla actione id conſequi poſſe. quod merito diſplicuit. debet itaque hoc in familiæ erciſcundæ iudicium venire. Item Papinianus ſcribit, ſi maritus alterum ex hæredibus onus dotis ſoluendæ, quæ in ſtipulationem venit, ſuſcipere iuſſit: & mulier aduerſus vtrunque dirigat dotis petitionem: cohæredem eſſe defendendum ab eo, qui ſuſcipere onus
B iuſſus eſt. Sed legata, quæ ab vtroque pro dote data, electa dote, retineantur: in compendio cohæredis, qui debito leuatur, eſſe non oportere: videlicet vt cohæres, qui onus æris alieni ſuſcepit, officio iudicis legatum cõſequatur. & verum eſt hoc, niſi aliud teſtator edixit.

Idem ſcribit, quod vni ex cohæredibus ſtatuliber cõditionis implendæ nomine dedit de peculio: in hoc iudicium non venire, nec communicari debere.

XXI. PAVLVS *lib.* XXIII. *ad edictum.*

IDem & in communi diuidundo.

XXII. VLPIANVS *lib.* XIX. *ad edictum.*

ITem Labeo ſcribit, ſi vnus hæredum theſaurum reli-
C ctum à teſtatore effodit: familiæ erciſcundæ iudicio eum teneri, & ſi cum extraneo conſcio partitus ſit.

Item familiæ erciſcundæ iudex poteſt pluribus eandé rem adiudicare, ſi aut pluribus fuerit vnius rei præceptio relicta. vbi etiam neceſſitatem facere Pomponius ſcribit, vt pluribus adiudicetur: vel ſi certam partem vnicuique cohæredum adſignet, ſed poſſit etiam licitatione admiſſa vni rem adiudicare. Sed & regionibus diuiſum fundũ poſſe adiudicare ſecundum diuiſioné, nemo dubitauerit. Sed etiã cùm adiudicauerit, poterit imponere aliquam ſeruitutem, vt alij alium ſeruum faciat ex his, quos adiudicat. Sed ſi purè alium fundũ adiudicauerit, alium adiudicando, amplius ſeruitutem imponere non poterit. Familiæ erciſcundæ iudicium

ex duobus constat: id est, rebus atque præstationibus, quæ sunt personales actiones. Papinianus de re, quæ apud hostes est, Marcellum reprehendit, quòd non putet præstationes eius rei venire in familiæ erciscundæ iudicium, quæ apud hostes est. quod enim impedimentum est rei præstationem venire, cùm & ipsa veniat, D

XXIII. PAVLVS lib. XXIII. ad edictum.

PRopter spem postliminij, scilicet cũ cautione? quia possunt non reuerti. nisi si tantùm æstimatus sit dubius euentus.

XXIIII. VLPIANVS lib. XIX. ad edictum.

SEd & eius rei, quæ in rebus humanis esse desiit, veniunt præstationes: & ego Papiniano consentio. Familiæ erciscundæ iudicium & inter bonorum possessores, & inter eum, cui restituta est hæreditas ex Trebelliano senatuscõsulto, & cæteros honorarios successores locum habet. E

Nota quòd iudicium diuisorium habet locum pro diuisione fienda: non pro diuisione facta ipso iure vel ipso facto. Bal.

XXV. PAVLVS lib. XXIII. ad edictum.

HAeredes eius, qui apud hostes decessit, hoc iudicio experiri possunt. Si miles alium castrensium, alium cæterorum bonorum hæredem fecerit: non est locus familiæ erciscundæ iudicio. diuisum est enim per constitutiones inter eos patrimonium. Quemadmodum cessat familiæ erciscundæ iudicium, cùm nihil in corporibus, sed omnia in nominibus sunt. Quantum vero ad accipiendum familiæ erciscundæ iudicium, nihil interest, possideat quis hæreditatem, nec ne. De pluribus hæreditatibus, quæ inter eosdem ex diuersis caussis communes sunt, vnum familiæ erciscundæ iudicium sumi potest. Si inter me & te Titiana hæreditas communis sit, inter me autem & te & Titium Seiana: posse vnum iudicium accipi inter tres Pomponius scribit. Item si plures hæreditates inter nos communes sunt: possumus de vna familiæ erciscundæ iudicio experiri. Si testator rem communem cum extraneo habebat: siue rei suæ partem alicui legauit, siue hæres F

ante

ante iudicium familiæ erciſcundę acceptum partem ſuã
A alienauit: ad officium iudicis pertinet, vt eam partem, quæ teſtatoris fuit, alicui iubeat tradi.

Titulus ſingularis excludit iudiciũ familiæ erciſcundæ, ſicut excludit petitionem hæreditatis. Bartolus.

Quod pro emptore, vel ꝑ donato (puta) cohæres poſſidet: in familiæ erciſcũdæ iudicium venire negat Pomponius. Idem ſcribit, cùm ego & tu hæredes Titio exſtitiſſemus, ſi tu partem fundi, quem totum hæreditarium dicebat: à Sempronio petieris, & victus fueris: mox eandem partem à Sempronio emero, & traditus mihi fuerit: agente te familiæ erciſcundæ iudicio, non ſolùm nõ veniet hoc, quod pro hærede poſſidetur: ſed nec id, quod
B pro emptore. cùm enim per iudicem priorem apparuit, totam rem non eſſe hæreditatis: quemadmodum in familiæ erciſcundæ iudicium veniet? An ea ſtipulatio, qua ſinguli hæredes in ſolidum habent actionem, veniat in hoc iudicium, dubitatur: (veluti ſi is, qui viam, iter, actũ ſtipulatus erat, deceſſerit) quia talis ſtipulatio per legem duodecim tabularum non diuiditur, quia nec poteſt. Sed verius eſt, non venire eam in iudicium, ſed omnibus in ſolidum competere actionem: & ſi non præſtetur via, pro parte hæreditaria condemnationem fieri oportere.

Contrà ſi promiſſor viæ deceſſerit, pluribus hæredibus inſtitutis: nec diuidi obligationem, nec dubium, quin duret: quoniã viam promittere & is poteſt, qui fun-
C dum non habet. igitur quia ſinguli in ſolidum tenentur, officio iudicis cautiones interponi debere, vt ſi quis cõuentus ex his litis æſtimationem præſtiterit, id pro parte à cæteris conſequatur. Idem dicendum eſt, & ſi teſtator viam legauerit. In illa quoque ſtipulatione proſpiciẽdum eſt cohæredibus, ſi teſtator promiſerit, NEQVE PER SE, NEQVE PER HAEREDEM SVVM FIERI, QVÒ MINVS IRE AGERE POSSIT: quoniam vno prohibẽte, in ſolidum committitur ſtipulatio: ne vnius factum cæteris dãnoſum ſit. Idem iuris eſt in pecunia, ſi à teſtatore ſub pœna promiſſa ſit. nã licet hæc obligatio diuidatur per legẽ duodecim tabularum; tamen (quia nihilum prodeſt ad pœnam euj-

tandam partem ſuam ſoluere) ſiue nondum ſoluta eſt pecunia, nec dies venit: proſpiciendum eſt per cautionem, vt de indemnitate caueat, per quem factum fuerit, ne omnis pecunia ſolueretur: aut vt caueat, ſe ei, qui in ſolidum ſoluit, partem præſtaturum, ſiue iam ſoluit vnus vniuerſam pecuniam, quam defunctus promiſit, ne pœna committeretur: familiæ erciſcundæ iudicio à cohæredibus partes recipere poterit. Idem obſeruatur in pignoribus luendis. nam niſi vniuerſum, quod debetur, offeratur: iure pignus creditor vendere poteſt. D

Ea quæ non poſſunt pro parte expediri, veniunt in iudicio diuiſorio. ſecus in iis, quæ poſſunt expediri pro parte. Bal.

Si vnus ex cohæredibus noxali iudicio ſeruum hæreditarium defenderit, & litis æſtimationem obtulerit, cùm hoc expediret: id pro parte hoc iudicio conſequetur. Idem eſt, & ſi vnus legatorum nomine cauerit, ne in poſſeſſionem mitteretur. Et omnino quæ pro parte expediri non poſſunt, ſi vnus cogente neceſſitate fecerit: familiæ erciſcundæ iudicio locus eſt. E

Nota quòd in rebus propriis & communibus quis eſt minus adſtrictus quàm alienis. Bal.

Non tantùm dolum, ſed etiam culpam in re hæreditaria præſtare debet cohæres: quoniam cum cohærede non contrahimus, ſed incidimus in eum. Non tamen diligētiam præſtare debet, qualem diligens paterfamiliâs: quoniam hic propter ſuam partem cauſſam habuit gerēdi. & ideo negociorum geſtorum ei actio non competit. talem igitur diligentiam præſtare debet, qualem in ſuis rebus. Eadem ſunt, ſi duobus res legata ſit. nam & hos cōiunxit ad ſocietatem non conſenſus, ſed res. Si incerto homine legato, & poſtea defuncto legatario aliquis ex hæredibus legatarij non conſentiendo impedierit legatum: is qui impedit, hoc iudicio cæteris, quanti interſit eorum, damnabitur. Idem eſt, ſi è contrario vnus ex hæredibus, à quibus generaliter homo legatus eſt, quem ipſi elegerint: noluerit conſentire, vt præſtetur, quem ſolui omnibus expediebat: & ideo conuenti à legatario iudicio, pluris dānati fuerint. Item culpæ nomine F

mine tenetur, qui cùm ante alios ipſe adiſſet hæreditatē, A ſeruitutes prædiis hæreditariis debitas paſſus eſt non vtēdo amitti. Si filius, cùm patrem defenderet, condemnatus ſoluerit, vel viuo eo, vel poſt mortem: poterit æquius dici, habere petitionem à cohærede in familiæ erciſcundæ iudicio. Iudex familiæ erciſcūdæ nihil debet indiuiſum relinquere. Item curare debet, vt de euictione caueatur his, quibus adiudicat. Si pecunia, quę domi relicta non eſt, per præceptionem relicta ſit: vtrum vniuerſa à cohæredibus præſtanda ſit, an pro parte hęreditaria, quemadmodum ſi pecunia in hæreditate relicta eſſet: dubitatur. Et magis dicendum eſt: vt id præſtādum ſit, quod præſtaretur, ſi pecunia eſſet inuenta.

B XXVI. CAIVS *lib.* VII. *ad edictum prouinciale.*

OFficio autem iudicis cōuenit, iubere hæreditariam rem venire vnam pluréſve, & pecuniam ex precio redactam ei numerari, cui legata ſit.

Sententia non poteſt pro parte valere: & pro parte non valere: & tam inſtantia quàm ſententia cenſentur eſſe indiuidua. Baldus.

XXVII. PAVLVS *lib.* XXI. *ad edictum.*

IN hoc iudicio condemnationes & abſolutiones in omnium perſonas faciendæ ſunt. Et ideo ſi in alicuius perſona omiſſa ſit damnatio: in cæterorum quoque perſona, quod fecit, iudex non valebit: quia non poteſt vno iudicio res iudicata in partem valere, in partē non valere.

C XXVIII. CAIVS *lib.* VII. *ad edictum prouinciale.*

REm pignori creditori datā ſi p̄ præceptionē legauerit teſtator: officio iudicis continetur, vt ex cōmuni pecunia luatur: eamq́; ferat is, cui eo modo fuerat legata.

Res pignorata defuncti venit in diuiſorio per modum adiudicationis: & ille cui hoc ius pignoris adiudicatur, cohæredi in parte debiti condenatur: nec eidem de indemnitate cauetur: ſicut nec priori offerenti in hypothecaria: & per illam adiudicationem conſequitur ius excipiendi & agendi contra debitorem: & eſt potior, quàm ſi à cohærede emiſſet: quia totum quod pro licitatione præſtitit, petit niſi quatenus exceſſiſſet modum in licitando. Baldus.

XXIX. PAVLVS *lib.* XXIII. *ad edictum.*

SI pignori res data defuncto ſit, dicendum eſt, in familiæ erciſcūdæ iudicium venire. ſed is, cui adiudicabitur,

 bitur,

bitur, in familiæ erciscundæ iudicio pro parte cohæredi erit damnādus: nec cauere debet cohæredi indemnem D
eum fore aduersus eum, qui pignori dedit. quia pro eo erit, ac si hypothecaria vel Seruiana actione petita litis æstimatio oblata sit: vt & is, qui obtulerit, aduersus dominum vindicantem exceptione tuendus sit. Contrà quoque si is hæres, cui pignus adiudicatum est, velit totum reddi: licet debitor nolit, audiendus est. Non idē dici potest, si alteram partem creditor emerit. adiudicatio enim necessaria est, emptio volūtaria: nisi si obiiciatur creditori, quòd animosè licitus sit. sed hui⁹ rei ratio habebitur: quia quod creditor egit, pro eo habendum est, ac si debitor per procuratorem egisset: vt & eius, quod propter necessitatem vel vltra impendit, sit actio creditori. E

Fundus in quo est locus religiosus, venit in diuisione, loco religioso excepto. Bartolus.

XXX. MODESTINVS *lib.* VI. *Responsorum.*

FVndus mihi cōmunis est, & pupillæ cohæredi. in eo fundo reliquię cōditæ sunt, quibus religio ab vtrisq; partibus debebatur. nam parētes quoque eiusdem puellæ ibi sepulti sunt. sed tutores distrahere fundum volunt. ego non consentio: sed portionem meam possidere malo, cùm vniuersitatem emere non possim, & velim pro meo arbitrio exsequi ius religionis. quæro, an rectè arbitrum communi diuidundo iudicio ad hunc fundum partiendum petam: an etiam is arbiter, qui familiæ erciscundæ F
datur, iisdem partibus fungi possit, vt hāc possessionem, exceptis cæteris corporibus hæreditariis, pro iure cuiq; nobis partiatur? Herennius Modestinus respondit, nihil proponi, cur familiæ erciscundæ iudicio aditus arbiter officium suum etiam in eius fundi, de quo agitur, diuisione interponere non possit: sed religiosa loca in iudicium non deduci, eorúmque ius singulis hęredibus in solidum competere.

XXXI. PAPINIANVS *lib.* VII. *Quæstionum.*

SI seruus pignori obligatus luatur ab vno ex hæredibus: quamuis postea decedat, officiū tamen arbitri durat. sufficit enim cōmunionis caussa, quæ præcessit, quæque hodie duraret, si res non intercidisset.

Ea quæ.

Ea quæ non ſunt diuiſa in vita, veniunt diuidenda poſt mortem,
A *Bartolus.*

XXXII. IDEM *lib.* II. *Reſponſorum.*

QVę pater in filios non diuiſit, poſt datas actiones vice diuiſionis ad ſingulos pro hæreditaria portione pertinent: ſi modò cætera, quæ non diuiſit, in vnum generaliter non contulit, vel res datas nō ſequūtur.

Quod vni ex cohæredibus obuenit ex diuiſione: ſi eſt obligatum, pro omnibus eſt tuendum. Bartolus.

XXXIII. IDEM *lib.* VII. *Reſponſorum.*

SI paterfamiliâs ſingulis hæredibus fundos legando, diuiſionis arbitrio fungi voluit: non aliter partē ſuam cohæres præſtare cogetur, quàm ſi vice mutua partem à
B nexu pignoris liberam conſequatur.

Aeſtimatio quæ fit tempore diuiſionis, non facit petitionem. Bar.

XXXIIII. IDEM *lib.* VIII. *Reſponſorum.*

SEruos inter cohæredes tēpore diuiſionis æſtimatos, non emendi, ſed diuidendi animo preciis adſcriptos videri placuit. quare ſuſpenſa conditione mortuos, tam hæredi, quàm fidei commiſſario deperiſſe.

Inter patrem & filium ex cauſſa dotis conſiſtit donatio. Bar.

XXXV. IDEM *lib.* XII. *Reſponſorum.*

POmponius Philadelphus dotis cauſſa prædia filiæ, quam habebat in poteſtate, tradidit: & redit' eorum genero ſolui mandauit. an ea præcipua filia retinere poſ-
C ſit, cùm omnes filios hæredes inſtituiſſet, quærebatur. iuſtam cauſſam retinendæ poſſeſſionis habere filiam: quoniam pater prędia, de quibus quæratur, dotis eſſe voluit, & matrimonium poſt mortē quoque patris ſtetit: reſpondi, filiam etenim, quæ naturaliter agros tenuit: ſpecie dotis, cuius capax fuit, defendi.

Hæc exceptio, tibi non competit ius agēdi, non poteſt opponi poſt ſententiam, nec reddit iudicium retro nullum: & ſolutum authoritate ſententiæ, non repetitur vt indebitum. Bartolus.

XXXVI. PAVLVS *lib.* II. *Quæſtionum.*

CVm putarem te cohæredem meū eſſe, idq́ue verum non eſſet: egi tecum familiæ erciſcundæ iudicio, & à iudice inuicem adiudicationes & condemnationes factæ ſunt. quęro, rei veritate cognita, vtrum condictio inuicem

uicem competat, an vindicatio: & an aliud in eo, qui hæres est, aliud in eo, qui hæres nõ est, dicendum sit? Respõdi, qui ex asse hæres erat, si cùm putaret se Titium cohæredem habere, susceperit cum eo familiæ erciscũdæ iudicium, & condemnationibus factis soluerit pecuniã: quoniam ex caussa iudicati soluit, repetere non potest. Sed tu videris eò moueri: quod non est iudicium familiæ erciscundæ, nisi inter cohęredes acceptum. Sed quamuis non sit iudicium: tamen ad impediendam repetitionem sufficit, quod quis se putat cõdemnatum. Quòd si neuter eorum hæres fuit, sed quasi hæredes essent, acceperunt familiæ erciscũdæ iudicium: de repetitione idem in vtrisque dicendum est, quod diximus suprà in alterutro. Planè si sine iudice diuiserint res: condictionem earum rerũ, quæ ei cesserunt, quem cohæredem putauit: ei, qui fuit hęres, competere dici potest. Non enim trãsactum inter eos intelligitur, cùm ille cohæredem esse putauerit. D E

XXXVII. SCAEVOLA *lib.* XII. *Quæstionum.*

QVi familiæ erciscundæ iudicio agit, non confitetur aduersarium sibi esse cohæredem.

Minores possunt inter se diuidere prædia quo ad culturam & reditus: licet non quo ad proprietatem. & si fuit æqualitas seruata, debet esse diuisio firma. Baldus.

XXXVIII. PAVLVS *lib.* III. *Responsorum.*

LVcius & Titia fratres & emancipati à patre, & adulti curatores acceperunt. hi comunes pecunias ex reditibus redactas, singulis subministrauerũt. postea patrimonium diuiserunt. post diuisionem Titia soror Lucio fratri suo cœpit quęstionem mouere, quasi amplius accepisset, quàm ipsa acceperat. cùm Lucius frater eius non amplius sua portione, imò minus quàm dimidia consecutus sit: quæro, an Titiæ competat aduersus fratrem actio? Paulus respondit: secundum ea, quæ proponuntur, si Lucius non amplius ex reditu prædiorum communium accepit, quàm pro hæreditaria portione ei competeret: nullam sorori eius aduersus eum competere actionem. Idem respondit, cùm ex decretis alimentis à prætore amplius fratrem accepisse diceretur, quàm sororem: non tamen vltra partem dimidiam. F

Qui

Qui obtinuit in cauſſa communi, repetit expenſas pro rata. Bar.

XXXIX. SCAEVOLA *lib.* I. *Reſponſorum.*

A EX parte hæres inſtitutus cauſſam de totis bonis, quã omnes hæredes patiebantur, ſuſcepit & obtinuit. cohæres partem ſuam ab eo petebat, nec partem ſumptuum factorum in litem præſtare volebat. quæſitum eſt, an doli exceptio noceret? Reſpondi: ſi idcirco amplius erogatum eſſet, quod ipſius quoque cauſſa defenſa eſſet: habendam rationem ſumptuum. Sed & ſi omiſerit doli exceptionẽ: agere poſſe de recipienda portione ſumptuum.

Pater qui contemplatione dotis relinquit minorem partem filio quàm filiæ, videtur eam liberare à dotis collatione. Bald. *vel ſic: Quo ad collationem teſtatus videtur decedere, qui in codicillis de omnibus bonis diſponit.* Bartolus.

B Inteſtato moriens codicillis prædia ſua omnia, & patrimonium inter liberos diuiſit: ita vt longè amplius filio, quàm filiæ relinqueret. quæſitum eſt, an ſoror fratri dotem conferre deberet? Reſpondi. ſecundũ ea, quæ proponerẽtur (ſi nihil indiuiſum reliquiſſet) rectius dici ex voluntate defuncti collationem dotis ceſſare. Sticho libertatem dedit, qui erat annorum quindecim, CVM ERIT ANNORVM TRIGINTA. eidẽ ex die mortis ſuæ, quoad viueret, cibariorum nomine denarios denos: veſtiarij, denarios vicenos quinos præſtari ſe velle ſignificauit. quæſitũ eſt, an vtile eſſet cibariorũ & veſtiariorum legatũ, cùm Stichus ante libertatis tẽpus deceſſerit? & an ſi non eſt vtile, hæres, qui præſtiterat, à cohærede repetere poſſit, apud quem morabatur? Reſpondi. non quidem debita fuiſſe: ſed ſi id, quod datum eſt in alimenta, conſumptum ſit: repeti non poſſe.

C

Debita cõtracta per vnum ex fratribus communem hæreditatem poßidentibus non veniunt da communi ſoluendo. Bartolus.

Filius reipublicæ debita, quæ poſt mortem patris contraxit, fratri ſuo pro parte hæreditaria reputare non poteſt, ſi non in omnibus ſocij ſint: licet hæreditatem paternam communem habẽt, & pater pro altero filio in patria magiſtratum nactus deceſſit.

Perempto principali facto teſtatoris, perimitur acceſſorium. Bartolus.

Duos

Duos filios ſcripſit hæredes, & certos homines vnicuique eorum prælegauit, in quibus vni Stephanum cū peculio. is viuo teſtatore manumiſſus, deceſſit. deinde pater. quæſitum eſt, an id quod in peculio habuit Stephanus prius, quàm manumitteretur, ad vtroſque filios pertineat: an verò ad eum ſolum, cui cum peculio prælegatus fuerat? Reſpondi. ſecundum ea, quæ proponerentur, ad vtroſque pertinere. Pater inter filios diuiſit bona, & eam diuiſionem teſtamento confirmauit: & cauit, vt æs alienum, quod vnuſquiſque eorum habet, ſiue habebit, ſolus ſuſtineret. poſtea vnus ex filiis cū pecuniam mutuaret, interuenit pater: eiuſq́ue conſenſu prædia, quæ filio adſignauerat, pignori data ſunt. poſt mortem patris eadē prædia idem filius poſſedit, vſuras ſoluit. quæro, an familiæ erciſcundæ iudicio, ſi prædia pignori data diſtrahat creditor, aliquid ei à cohærede præſtandum ſit? Reſpondi. ſecundum ea, quæ proponerentur, nihil eſſe præſtandum.

D E

XL. CAIVS *lib.* II. *Fideicommiſſorum.*

SI ex aſſe hæres inſtitutus, rogatus ſit mihi partem aliquam reſtituere (veluti dimidiam) vtile familiæ erciſcundæ iudicium rectè inter nos agetur.

Cauſſa nullitatis pertinet ad iudicē appellationis: qui poteſt ſententiam pro parte confirmare: & pro parte nullā pronunciare. Bar.

XLI. PAVLVS *lib.* I. *Decretorum.*

QVædam mulier à iudice appellauerat, quod diceret eum in diuidenda hæreditate inter ſe & cohæredē non tantùm res, ſed etiam libertos diuiſiſſe, & alimenta, quæ dari teſtator certis libertis iuſſiſſet. nullo enim iure id eum feciſſe. Ex diuerſo reſpondebatur, cōſenſiſſe eos ei diuiſioni, & multis annis alimenta ſecundum diuiſionem præſtitiſſe. Placuit ſtandum eſſe alimentorum præſtationi: ſed illud adiecit, nullam eſſe libertorum diuiſionem. F

Debitum ab vno ex hæredibus poteſt prælegari. Bal.

XLII. POMPONIVS *lib.* VI. *ad Sabinum.*

SI ita legatum fuerit vni ex hæredibus, QVOD MIHI DEBET, PRAECIPITO: officio iudicis familiæ erciſcundæ continetur, ne ab eo cohæredes exigant.

gant. Nam & ſi quod alius deberet, percipere vnus iuſſus
A fuerit: officio iudicis actiones ei præſtari debebunt, pro
portione cohæredis.

Licet maior pars hæredum diſſentiat: vnus ſolus ad diuiſionẽ prouocat. Bal.

XLIII. VLPIANVS *lib.* XXX. *ad Sabinum.*

ARbitrium familiæ erciſcũdæ vel vnus petere poteſt. nam prouocare ad iudicem vel vnum hæredem poſſe, palàm eſt. igitur & præſentibus cæteris, & inuitis poterit vel vnus arbitrum poſcere.

In iudicio communi diuidundo requiruntur magis exacta probationes dominii, vel quaſi, quam in iudicio familiæ erciſcundæ. Baldus.

B XLIIII. PAVLVS *lib.* VII. *ad Sabinum.*

INter cohæredes etiam communi diuidundo iudicio agi poteſt, vt eæ res dumtaxat, quæ eorum communes ſunt, & cauſſæ ex his rebus pendẽtes, in iudicium veniãt: de cæteris verò integrè ſit familiæ erciſcundæ iudiciũ.

Si familiæ erciſcundæ vel communi diuidundo actũ ſit: adiudicationes prætor tuetur, exceptiones aut actiones dando. Si cohæredes abſente vno cohærede rem vendiderunt, & in ea re dolo malo fecerunt, quò plus ad eos perueniret: vel familiæ erciſcundæ iudicio præſtabunt ei, qui abfuit, vel hæreditatis petitione. Fructus, quos ante aditam hæreditatẽ ex fundo hæreditario hæ-
C res cepit: non aliter familiæ erciſcundæ iudicio præſtare eum Iulianus ait, quàm ſi cum ſciret hæreditariũ fundum eſſe, ceperit. Qui familiæ erciſcundæ, & communi diuidundo, & finium regundorum agunt, & actores ſunt, & rei: ideo iurare debent non calumniæ cauſſa litem intendere, non calumniæ cauſſa inficias ire. Quod ex facto ſuo vnus ex cohæredibus ex ſtipulatione hæreditaria præſtat, à cohærede non repetet: veluti ſi A' S E, HAEREDEQVE SVO DOLVM MALVM ABFVTVRVM defunctus ſpopõdit: vel NEQVE PER SE, NEQVE PER HAEREDEM SVVM FORE, QVOMINVS QVIS EAT AGAT. Imò ſi reliqui propter factum vnius teneri cœperint, quia conditio ſtipulationis hæreditariæ exſtiterit: habebunt familiæ

miliæ ercifcundæ iudicium cum eo, propter quem commissa est stipulatio. Si quis stipulatus fuerit, TITIVM HAEREDEMQVE EIVS RATVM HABITVRVM, & Titius pluribus hæredibus relictis decesserit: eum solum teneri, qui non habuit ratum: & eum solum ex hæredibus stipulatoris acturum, à quo fuerat petitum. Vsufructu vxori legato, donec ei dos soluatur: per arbitrum familiæ ercifcundæ tam id, quod cohæredis nomine ex dote solutum sit, recuperari: quàm vt cohęres soluat, effici posse Cassius ait, & verum est. D

Si duo cohæredes damnati sint statuam ponere, & altero cessante alter eam fecerit: non esse iniquum Iulianus ait, familiæ ercifcundę iudicium dari, vt pars impendiorum boni viri arbitratu præstetur. E

XLV. POMPONIVS *lib.* XIII. *ad Sabinum.*

SI quid contendis ex hæreditate mihi tecum commune esse, quod ego ex alia caussa meum proprium esse dico, id in familiæ ercifcundæ iudicium non venit.

Dolus, quem seruus hæredis admisit, in iudicium familiæ ercifcundæ non venit: nisi domini culpa in hoc erat, qui non idoneum seruum rei communi adplicuerat.

Actio de dote datur contra hæredes soceri recipientis dotem: & licet maritus non sit hæres, ei subuenitur, vt apud eum sit dos, qui sustinet onera matrimonii. Bar.

XLVI. PAVLVS *lib.* VII. *ad Sabinum.* F

SI maritus sub conditione à patre institutus sit, interim de vxoris dote actio pendet. Planè si post mortẽ soceri diuortium factũ sit: quãuis pendente conditione institutionis, dicendum est præceptioni locum esse: quia mortuo patre quædam filios sequuntur, etiam ante quam fiant hæredes: vt matrimonium, vt liberi, vt tutelæ. igitur & dotem præcipere debet, qui onus matrimonij post mortem patris sustinuit, & ita Scæuolæ quoque nostro visum est.

In successorem singularem ex necessitate transit instantia iudicii. Bartolus.

XLVII. POMPONIVS *lib.* XXI. *ad Sabinũ.*

IN iudicio familiæ ercifcundæ, vel communi diuidũdo, si

do, ſi dum res in arbitrio eſt, de iure prædij controuerſia
A ſit: placet omnes eos, inter quos arbiter ſumptus fuit, & agere, & opus nouum nunciare pro ſua quenque parte poſſe. & cùm adiudicationes ab arbitro fiunt: ſi vni adiudicetur totus fundus, caueri oportere, vt quæ ex his actionibus receptæ fuerint, reddantur: aut quæ in eas impenſæ factæ fuerunt, præſtentur. & ſi cùm rés in iudicio eſſet, eo nomine actum non fuerit: eum conſequi integrã actionem, cui totus fundus, aut pro quacũque parte adiudicatus erit. Item quæ res moueri poſſunt, & in ea iudicia veniunt, ſi interea ſubreptæ ſint: furti eos agere, quorum periculo hæ res fuerunt, poſſe.

Plures hæredes vnius hæreditatis debent vnum procuratorẽ conſtituere, non ſeparatim agere. Bar.

B XLVIII. PAVLVS *lib.* VII. *ad Sabinum.*

SI familiæ erciſcundæ, vel communi diuidundo, vel finium regundorum actum ſit, & vnus ex litigatoribus deceſſerit pluribus hæredibus relictis: non poteſt in partes iudicium ſcindi, ſed aut omnes hæredes accipere id debent, aut dare vnum procuratorem, in quem omniũ nomine iudicium agatur.

Qui vendit ex neceſſitate, non tenetur de dupla promittere: & cautio quæ non debet interponi, interpoſita committetur. Item quod quis facit ante aditam hæreditatem, in directum erciſcundæ iudicium non venit. Item pro ſepeliendo defuncto ante aditam hæreditatem iuſſu iudicis res hæreditariæ vendi poſſunt. Bar.

C XLIX. VLPIANVS *lib.* II. *Diſputationum.*

QVi hæres erat ex parte inſtitutus à teſtatore, iuſſus à prætore diſtrahere ſeruum, cui erat teſtamento data libertas: ideo diſtraxit, duplamq; promiſit, & ex ea cautione conuentus præſtitit. Quæſitum eſt, an familiæ erciſcundæ iudicio conſequatur, quod ex duplæ ſtipulatione abeſt? Primò videamus, an hic debuerit de dupla cauere. & mihi videtur non debuiſſe. hi enim demum ad duplæ cautionem compelluntur, qui ſua ſponte diſtrahunt: cæterùm ſi officio diſtrahenteis funguntur, nõ debét adſtringi: nõ magis, q̃ ſi quis ad exſequendã ſententiam à prætore datus, diſtrahat. nam & hic in ea conditione eſt, ne cogatur implere id, quod coguntur hi, qui

suo arbitrio distrahunt. nam inter officium suscipiẽtes, & voluntate distrahentes multum interest. Quapropter D re quidem integra stipulationem duplæ interponere non debuit: sed decernere prætor debet, esse emptori aduersus hæredem existentem actionem ex empto, si res distracta fuisset euicta. Si autem hæres errauit, & cauit, & seru' peruenit ad libertatem: stipulatio committetur. quæ si fuerit commissa: æquum erit vtilem actionem ei aduersus cohęredem dari, directo iudicio familiæ erciscundæ cessante, ne in damno moretur. nam vt familiæ erciscundæ iudicio agere quis possit, non tantùm hæredem esse oportet: verum ex ea caussa agere, quam gessit, quamque admisit post ea, quàm hæres effectus sit. cæterùm cessat familiæ erciscundæ actio. & ideo si ante, quàm quis sciret E se hæredem esse, in hæreditate aliquid gesserit: familiæ erciscundæ iudicio non erit locus, quia non animo hæredis gessisse videtur. Quarè qui ante aditam hæreditatem quid gessit, veluti si testatorem sepeliuit: familiæ erciscundæ iudicum non habet. sed si post aditam hæreditatem id fecit: consequenter dicemus, familiæ erciscundæ iudicio consequi eum posse sumptum, quem fecit in funus.

Expensa quas pater fecit pro filio in studio, non debent filio imputari tempore diuisionis: nisi anımo repetendi patrem fecisse constet. Bar.

L. IDEM *lib.* VI. *Opinionum.* F

QVæ pater filio emancipato studiorum caussa peregre agenti subministrauit: si nõ credendi animo pater misisse fuerit comprobatus, sed pietate debita ductus: in rationem portionis, quæ ex defuncti bonis ad eundem filium pertinuit, computari æquitas non patitur.

Fructus dotis debent esse fratrum existentium in communione: secus si facta fuerit diuisio. Bar.

LI. IVLIANVS *lib.* VIII. *Digestorum.*

FVndus, qui dotis nomine socero traditus fuit, cùm socer filium ex aliqua parte hæredem instituit: per arbitrium familiæ erciscundæ præcipi ita debet, vt eą caussa filij sit, quæ futura esset, si dos per præceptionem legata

gata fuiſſet. Quarè fructus poſt litem conteſtatam percepti, ad eum redigendi ſunt, habita ratione impenſarum.
A qui vero ante litem conteſtatam percepti fuerint: æqualiter ad omnes hæredes pertinebunt. ſed & impenſarum ratio haberi debet: quia nullus caſus interuenire poteſt, qui hoc genus deductionis impediat.

Si iudicium diuiſorium non facit praiudicium petitorio, admittitur ipſorum concurſus. Bar.

Si ego à te hæreditatem petere vellem, tu mecum familiæ erciſcundæ agere: ex cauſſa vtrique noſtrum mos gerendus eſt. Nam ſi ego totam hæreditatem poſſideo, & te ex parte dimidia hęredem confiteor, ſed à communione diſcedere volo: impetrare debeo familiæ erciſcundæ
B iudicium, quia aliter diuidi inter nos hæreditas non poteſt. Item ſi tu iuſtam cauſſam habeas, propter quam per hæreditatis petitionem potius, quàm per familiæ erciſcundæ iudicium negocium diſtrahere velis: tibi quoq; permittendum erit hæreditatem petere. Nam quædã veniunt in hæreditatis petitionem, quæ in familiæ erciſcũdæ iudicium non deducuntur. veluti ſi ego debitor hæreditarius ſim: iudicio familiæ erciſcundæ non conſequêris id, quod defuncto debui: per hæreditatis petitionem conſequêris.

Quod fuit defuncti, vel eius occaſione obuenit: in hoc iudicium venit. Bar.

C LII. IDEM *lib.* II. *ad* V*rſeium Ferocem.*

MAeuius, qui nos hæredes fecit, rem communem habuit cum Attio. ſi cum Attio communi diuidundo egiſſemus, & nobis ea res adiudicata eſſet: venturam eam in familiæ erciſcundæ iudicio Proculus ait. Seruus liber & hæres eſſe iuſſus, id quod ex rationibus, quas patrifamiliâs geſſiſſet, penes ſe retineret: iudicio familiæ erciſcundæ cohæredibus ſuis præſtabit.

Valet ſententia ſi portiones inuicem compenſantur ſeu adæquãtur: & in aliquo ſuperfluo alter tantummodo condemnatur. Bar.

Arbiter familiæ erciſcundæ inter me & te ſumptus, quædam mihi, quædam tibi adiudicare volebat. pro his rebus alterum alteri cõdemnandũ eſſe intelligebat. quæſitum eſt, an poſſit penſatione vltro citroque facta, con-

O demna-

demnatione eum solum, cuius summa excederet, eius dumtaxat summæ, quæ ita excederet, damnare? & placuit posse id arbitrum facere. Cùm familiæ ercifcundę, vel communi diuidundo agitur: vniuersæ res æstimari debent, non singularum rerum partes. D

LIII. VLPIANVS *lib.* II. *Responsorum.*

PEcuniam, quam filius emãcipatus ita credidit, vt patri solueretur: ita demum in hæreditatem patris numerari, si patri aduersus filium eiusdem quantitatis nomine actio competebat.

Si vnus ex hæredibus vendidit partem suam certæ rei, non venit illa res in iudicium familiæ ercifcundæ. Bald.

LIIII. NERATIVS *lib.* III. *Membranarum.*

EX hæreditate Lucij Titij, quæ mihi & tibi communis erat, fundi partem meam alienaui. deinde familiæ ercifcundæ iudicium inter nos acceptum est. neque ea pars, quæ mea fuit, in iudicio veniet, cum alienata de hæreditate exierit: neque tua. quia etiam si remanet in pristino iure, hæreditariaq; est: tamen alienatione meæ partis exit de communione. Vtrum autem vnus hæres partem suam non alienauerit, an plures, nihil interest: si modò aliqua portio alienata ab aliquo ex hæredibus, hæreditaria esse desiit. E

LV. VLPIANVS *lib.* II. *ad edictum.*

SI familiæ ercifcundæ, vel communi diuidundo iudicium agatur, & diuisio tã difficilis sit, vt penè impossibilis esse videatur: potest iudex in vnius personam totam condemnationem conferre, & adiudicare omnes res. F

LVI. PAVLVS *lib.* XX. *ad edictum.*

NOn solùm in finium regundorum, sed in familię ercifcundæ quoque iudicio præteriti temporis fructus veniunt.

Si diuisio fiat iudicio pendente, iudicis officium euanescit. Bar.

LVII. PAPINIANVS *lib.* II. *Responsorum.*

ARbitro quoque accepto, fratres communem hæreditatem consensu diuidentes, pietatis officio fungũtur: quam reuocari non oportet, licet arbiter sententiam iurgio perempto non dixerit: si non intercedat ætatis auxilium.

Communi

COMMVNI DIVIDVNDO.

A Tit. III.

PAVLVS *lib.* XXIII. *ad edictum.*

COmmuni diuidũdo iudicium ideo necessarium fuit: quod pro socio actio magis ad personales inuicem præstationes pertinet, quàm ad cõmunium rerum diuisionem. Denique cessat communi diuidũdo iudicium, si res communis non sit.

II. CAIVS *lib.* VII. *ad edictum prouinciale.*

NIhil autem interest, cum societate, an sine societate res inter aliquos communis sit. nam vtroque casu B locus est communi diuidũdo iudicio. Cum societate res communis est inter eos, qui pariter eandem rem emerũt: sine societate communis est inter eos, quibus eadem res testamento legata est. In tribus duplicibus iudiciis, familiæ erciscundæ, communi diuidundo, finium regundorum quæritur, quis actor intelligatur: quia par caussa omnium videtur: sed magis placuit eum videri actorem, qui ad iudicium prouocasset.

III. VLPIANVS *lib.* XXX. *ad Sabinum.*

IN communi diuidundo iudicio nihil peruenit vltra diuisionem rerum ipsarum, quæ cõmunes sunt: quàm si quid vel in his damni datum factumque est, vel quid C eo nomine aut abest alicui sociorum, aut ad eum peruenit ex re communi. Si quid ipsi inter se sine dolo malo pepigerunt: id in primis & familiæ erciscundæ, & communi diuidundo iudex seruare debet.

IIII. IDEM *lib.* XIX. *ad edictum.*

PEr hoc iudicium corporalium rerũ fit diuisio, quarum rerum dominium habemus, non etiam hæreditatis. De puteo quæritur, an communi diuidundo iudicio agi possit? & ait Mela, ita demum posse, si solum eius commune sit. Hoc iudicium bonæ fidei est. quare & si vna res indiuisa relicta sit, valebit vtique cęterarum diuisio: & poterit iterum cõmuni diuidundo agi de ea, quæ indiuisa mansit. Sicut autem ipsius rei diuisio venit in communi diuidundo iudicio, ita etiam præs-

tationes veniunt: & ideo si quis impensas fecerit, consequetur. sed & si non cum ipso socio agat, sed cum hærede socij, Labeo rectè existimat impensas & fructus à defuncto perceptos venire. Planè fructus antè percepti, quàm res communis esset, vel sumptus antea facti: in communi diuidundo iudicium non veniunt. Ea propter scribit Iulianus, si missi in possessionem damni infecti sumus, & antequã possidere iuberemur, ego insulam fulsero, sumptum istum communi diuidundo iudicio consequi me non posse. D

V. IVLIANVS *lib. II. ad Vrseium Ferocem.*

SEd si res non defenderetur, & ideo iussi sumus à prætore eas ædes possidere, & ex hoc dominiũ eorũ nãcisceremur. Respondit Proculus, communi diuidundo iudicio partem eius impensæ me seruaturum esse. E

VI. VLPIANVS *lib. XIX. ad edictum.*

SI quis putans sibi cum Titio fundum communem esse, fructus perceperit, vel sumptum fecerit, cum esset cum alio communis: agi poterit communi diuidundo iudicio. quare & si fundum Titius alienauerit: licet hîc cõmuni diuidundo iudicio locus non sit, quia à cõmunione discessum est: vtili tamen locum futurum, quod datur de præstationibus, quoties communio esse desiit.

Fructus veniunt in hoc iudicio: siue immediate percipiantur à socio: siue locentur colono nomine communi. si vero locentur nomine proprio, damnum ad locantem spectabit. interim vero erit cõmune. Bar. F

Siue autem locando fundum communem, siue colendo, de fundo communi quid socius consecutus sit: communi diuidundo iudicio tenebitur. Et siquidem communi nomine id fecit: neque lucrum, neque damnum sentire eum oportet. Si vero non communi nomine, sed vt lucretur solus: magis esse oportet, vt & damnum ad ipsum respiciat. Hoc autem ideo præstat communi diuidundo iudicio: quia videtur partem suam non potuisse expeditè locare. Cæterùm non aliàs communi diuidundo iudicio locus erit (vt & Papinianus scripsit) nisi id demũ gessit aliquis, sine quo partem suam rectè administrare non potuit: alioquin si potuit, habet negociorum gestorum

rum actionem, eaque tenetur. Si quid post acceptum
A communi diuidundo iudicium fuerit impensum: Nerua
rectè existimat etiam hoc venire. sed & partum venire Sabinus & Atilicinus responderunt. sed & accessionem & decessionem hoc iudicium accipere, iidem existimauerunt. Si quis in communem locum mortuum intulerit: an religiosum fecerit, videndum. Et sanè ius quidem inferendi in sepulchrum, vnicuique in solidum competit: locum autem purum alter non potest facere religiosum. Trebatius autem & Labeo, quanquam putant non esse locum religiosum factum, tamen putant in factum agendum. Si damni infecti in solidum pro ædibus caueris: Labeo ait communi diuidundo iudiciũ tibi non
B esse: cùm necesse tibi non fuerit in solidum cauere, sed suffecerit pro parte tua. quæ sententia vera est. Si fundus communis nobis sit, sed pignori datus à me; venit quidem in communi diuidundo iudicio, sed ius pignoris creditori manebit, etiam si adiudicatus fuerit. nam & si pars socio tradita fuisset, integrum maneret. Arbitrum autem communi diuidundo hoc minoris partem æstimare debere, quod ex pacto vendere eam rem creditor potest, Iulianus ait. Idem scribit, si is, cum quo seruum communem habebam, partem suam mihi pignori dederit, & communi diuidundo agere cœperit: pignoraticia exceptione eũ submoueri debere. sed si exceptione vsus
C non fuero: officium iudicis erit, vt cùm debitori totum hominem adiudicauerit, partis æstimatione eum condẽnet. manere enim integrum ius pignoris. quod si mihi iudex adiudicauerit: tanti dumtaxat me condemnet, quanto pluris pignus sit, quàm pecunia credita: & debitorem à me iubeat liberari. Officio iudicis etiam talis adiudicatio fieri potest: vt alteri fundum, alteri vsumfructũ adiudicet. Cætera eadem * sunt, quæ in familiæ erciscũdæ iudicio tractauimus. Vrseius ait, cùm in communi ædificio vicinus nunciauit, ne quid operis fieret: si vnus ex sociis ex hac caussa damnatus fuisset: posse eam pœnam à socio pro parte seruare. Iulianus autem rectè notat, ita demum hoc verum esse, si interfuit ædium hoc fieri.

**Eadẽ est enim ratio hæreditatis, & cuiuslibet alterius rei communis vt eleganter ostẽdit Cic. ĩ ora. pro Rosc. comœdo circa finem.*

Fructus vectigalis venit in hoc iudicio non diuidendus, sed adiudicandus. Bar. D

VII. IDEM *lib.* XXX. *ad Sabinum.*

Communi diuidundo iudicium locum habet & in vectigali agro. sed vectigalis ager an regionibus diuidi possit, videndum. magis autem debet iudex abstinere ab huiusmodi diuisione: alioquin præstatio vectigalis confundetur. Neratius scribit arbitrum, si regionib' fundum non vectigalem diuisum duobus adiudicauerit: posse quasi in duobus fundis seruituté imponere. Qui in rem Publicianam habent, etiam communi diuidundo iudicium possunt exercere. de quibus etiam caussis vindicatio cessat (si tamen iusta caussa est possidendi) vtile communi diuidundo competit: vtputa si ex caussa indebiti soluti res possideatur. Inter prædones autem hoc iudicium locum non habet. nec si precariò possideant, locum habebit, nec si clam. quia iniusta est possessio ista: precaria vero iusta quidem, sed quæ non pergat ad iudicij vigorem. Iulianus scribit, si alter possessor prouocet, alter dicat eum vi possidere: non debere hoc iudicium dari, nec post annum quidem: quia placuit etiam post annum in eum, qui vi deiecit, interdictum reddi. Et si precario (inquit) dicat eum possidere, adhuc cessabit hoc iudiciũ: quia & DE PRECARIO interdictum datur. Sed & si clam dicatur possidere, qui prouocat: dicendum esse ait, cessare hoc iudicium. nã & de clãdestina possessione cõpetere interdictũ inquit. Si duo sunt, qui rem pignori acceperunt: æquissimum est vtile communi diuidundo iudicium dari. Sed & si de vsufructu sit inter duos controuersia, dari debet. Item si duo à prætore missi sint in possessionem legatorum. est enim iusta caussa possidendi custodiæ gratia. Ergo & si duo ventres: idem erit dicendum. quod habet rationem. Planè si iam DAMNI INFECTI missus, iussus sit possidere: non erit huic vtili iudicio locus, cùm vindicationem habere possit. Cùm de vsufructu communi diuidundo iudicio agitur: iudex officium suum ita diriget, vt vel regionibus eis vti frui permittat, vel locet vsum-

vſumfructum vni, vel tertiæ perſonæ, vt hi penſiones ſi-
A ne vlla controuerſia percipiant: vel(ſi res mobiles ſint) etiam ſic poterit, vt inter ſe conueniant, caueantque per tempora ſe vſuros fruituros: hoc eſt, vt apud ſingulos mutua vice certo tempore ſit vſusfructus. Neque colonis, neque iis, qui depoſitum ſuſceperunt, hoc iudicium competit, quamuis naturaliter poſſideant. Inter eos, qui pignori acceperunt, talis diuiſio fieri debet: vt non vero precio æſtimetur pars, ſed in tantum dumtaxat, quantum pro ea parte debetur. & ſi adſignetur quidem pignus vni ex creditoribus: licentia tamen non denegetur debitori debitum offerre, & pignus ſuum luere. Idéque dicitur, & ſi poſſeſſor pignoris, litis æſtimationem
B pignoraticia in rem agenti offerat.

Debitor certæ partis pro indiuiſo, ſi in diuiſione tota res ſibi fuerit adiudicata, totum dare debebit, & habere quod pro adiudicatione dedit. ſed ſi tota alteri fuerit adiudicata, liberabitur ſoluendo: & precium quod pro adiudicatione dedit, recipit. Bartolus.

Si debitor communis prædij partem pignori dederit, & vel à domino alterius partis prouocatus creditor eius, aut ab alio creditore alterius debitoris, licendo ſuperauerit: & debitor eius, cui res fuit adiudicata, velit partem ſuam prædij recuperare ſoluto eo, quod ipſe debuit: eleganter dicitur non eſſe audiendum, niſi & eam
C partem paratus ſit recuperare, quam creditor per adiudicationem emit. Nam etſi partem rei vendideris, & prius, quàm traderes emptori, communi diuidundo iudicio prouocatus fueris, alteraque pars tibi adiudicata ſit: conſequenter dicitur ex empto agi non poſſe, niſi totam rem paratus fuerit ſuſcipere: quia hæc pars beneficio alterius venditori acceſſit, quinimo & ex vendito. poſſe conueniri emptorem, vt recipiat totum. ſolum illud ſpectandum erit, num fortè fraus aliqua véditoris interuenit. Sed ſi diſtracta parte ceſſerit victus licitatione venditor: æquè vt precium reſtituat, ex empto tenebitur. Hæc eadem & in mandato, cæteriſque huius generis iudiciis ſeruabuntur.

Vnus ex ſociis volens diuidere, poteſt alios ad diuiſionem etiam

inuitos prouocare. Item propter dubium admittitur petitio incerta, tam in hac actione, quàm in rei vindicatione. D

VIII. PAVLVS *lib.* XXIII. *ad edictum.*

ETsi non omnes, qui rem communem habent, sed certi ex his diuidere desiderant: hoc iudicium inter eos accipi potest. Si incertum sit, an lex Falcidia locũ habeat: inter legatarium & hæredem communi diuidundo agi potest, aut incertæ partis vindicatio datur. Similiter fit, & si peculium legatum sit: quia in quantum res peculiares diminuit id, quod domino debetur, incertũ est.

Venit in communi diuidundo iudicium etiam, si quis rem communem deteriorem fecerit: fortè seruum vulnerando, aut animum eius corrumpendo, aut arbores ex fundo excidendo. Si cõmunis serui gratia noxæ nomine plus præstitit socius: æstimabitur seruus, & eius partem consequetur. Item si vnus in solidum de peculio conuentus, & damnatus sit: est cum socio cõmuni diuidundo actio, vt partem peculij consequatur. E

IX. AFRICANVS *lib.* VII. *Quæstionum.*

SEd & postquàm socius serui cõmunis nomine de peculio in solidum dãnatus esset: si apud socium res peculiares intercidant, nihilominus vtile esse iudicium communi diuidundo, ad recuperandam partem pecuniæ. alioquin iniquum fore, si tota ea res ad damnũ eius, qui iudicium acceperit, pertineat: cùm vtriusque domini periculum in rebus peculiaribus esse debeat. Nam & eum, qui mandatu domini defensionem serui susceperit: omne, quod bona fide præstitit, seruaturum: quamuis peculium postea interciderit. Hæc ita, si neutrius culpa interuenerit. Etenim dominum, cum quo de peculio agitur, si paratus sit à rebus peculiaribus petitori cedere: ex caussa audiendum putauit, scilicet si non dolo malo & frustratione id faciat. F

Delictum defuncti, si purgatur per actionem descendẽtem ex delicto, non nocet hæredibus: secus si purgatur per actionem descendentem ex contractu, vel quasi. Bartolus.

X. PAVLVS *lib.* XXIII. *ad edictum.*

ITem quamuis legis Aquiliæ actio in hæredem non competit: tamen hoc iudicio hæres socij præstat, si

quid

quid defunctus in re cõmuni admisit: quo nomine legis
A Aquiliæ actio nascitur. Si vsus tantùm noster sit, qui neque venire, neque locari debeat: quemadmodum diuisio possit fieri in communi diuidundo iudicio, videamus. Sed prætor interueniet, & rem emendabit: vt si iudex alteri vsum adiudicauerit, nõ videatur alter, qui mercedem accepit, non vti, quasi plus faciat (quia videtur frui) quia hoc propter necessitatem fit. In cõmuni diuidundo iudicio iusto precio æstimare rem debebit iudex: & de euictione quoque cauendum est.

XI. CAIVS *lib.* VII. *ad edictum prouinciale.*

IN summa admonendi sumus: quòd si post interitum rei communis is, cui aliquid ex communione præstari
B oportet, eo nomine agere velit: communi diuidundo iudicium vtile datur. veluti si actor impensas aliquas in rem communem fecerit, siue socius eius solus aliquid ex ea re lucratus est (veluti operas serui, mercedésve) hoc iudicio eorum omnium ratio habetur.

XII. VLPIANVS *lib.* LXXI. *ad edictum.*

SI ædes communes sint, aut paries communis: & eum reficere, vel demoliri, vel in eum mittere quid opus sit: communi diuidundo iudicio erit agẽdum, aut interdicto VTI POSSIDETIS experimur.

XIII. IDEM *lib.* LXXV. *ad edictum.*

IN iudicium communi diuidundo omnes res veniunt:
C nisi si quid fuerit ex communi consensu exceptum nominatim, ne veniat.

Quod quis fecit in fundo, quem scit communem cum aliquo quẽ cognoscit, venit in hoc iudicio: sed quod quis facit in fundo, quem scit proprium, qui verè communis est, non venit in hoc iudicio, sed possessori retentio dabitur, quæ etiam ad singularẽ successorem trãsibit: sed quod quis facit in fundo, quem putat communem cum eo cum quo non est, venit in hoc iudicio. Bartolus.

XIIII. PAVLVS *lib.* III. *ad Plautium.*

IN hoc iudicium venit, quod communi nõmine actum est, aut agi debuit ab eo, qui scit se socium habere. Impendia autem, quæ dum proprium meum fundum existimo, feci: quæ scilicet, si vindicaretur fundi pars, per exceptionem doli retinere possem: an etiam si communi di-

ni diuidundo iudicio mecum agatur, æquitate ipsius iudicij retinere possim, considerandum est. Quod quidem magis puto: quia bonæ fidei iudicium est communi diuidundo: sed hoc ita, si mecum agetur. Cæterùm si partem meam alienauero: non erit, vnde retinere possim. Sed is, qui à me emit, an retinere possit, videndum est. nam si vindicaretur ab eo pars: impendiorum nomine, quæ ego fecissem, ita vt ego, poterat retentionem facere. Et verius est, vt & in hac specie expensæ retineantur. Quæ cùm ita sint: rectissimè dicitur, etiam impendiorum nomine vtile iudicium dari debere mihi in socium, & manente rei communione. Diuersum est enim, cùm quasi in rem meam impendo, quæ sit aliena aut communis. hoc enim casu, vbi quasi in rem meam impēdo, tantùm retentionem habeo: quia neminem mihi obligare volui. At cùm puto rem Titij esse, quæ sit Mæuij: aut esse mihi communem cum alio, quàm est: id ago, vt alium mihi obligem. & sicut negociorum gestorum actio datur aduersus eum, cuius negocia curaui, cùm putarem alterius ea esse: ita & in proposito. igitur etsi abalienauero prædium (quia in ea caussa fuit, vt actio mihi dari deberet) danda mihi erit (vt Iulianus quoque scribit) negociorū gestorum actio. Si cōueniat, ne omnino diuisio fiat: huiusmodi pactum nullas vires habere, manifestissimum est. Si autem, ne intra certum tempus, quod etiam ipsius rei qualitati prodest: valet. Si inter socios conuenisset, ne intra certum tempus societas diuideretur: quin vendere liceat ei, qui tali conuentione teneretur, non est dubium. quare emptor quoque communi diuidundo agendo, eadem exceptione submouebitur, qua auctor eius submoueretur. Si paciscatur socius, ne partem suam petat: effectu tollitur societas.

XV. IDEM *lib. V. ad Plautium.*

SI socius serui communis nomine conuentus & condemnatus sit: aget communi diuidundo etiam ante, quàm præstet. nam etsi noxali iudicio cum vno actum sit, statim aget cum socio, vt ei pars tradatur: cautionib' interpositis, vt si non dederit, reddat.

XVI. IDEM *lib. VI. ad Plautium.*

Cum

A CVm socij diuidunt societatem: de eo, quod sub cōditione debetur, cautiones interuenire solent.

XVII. MODESTINVS *lib.* IX. *Regularum.*

QVi cohæredes habet, si fundum pignori datum à testatore suo, comparauerit à creditore: non debet à cohæredibus communi diuidundo iudicio conueniri.

Sententia debet esse conformis libello: aliàs iudex non intromittit se de iis, quæ ex natura actionis non veniunt. Bal.

XVIII. IABOLENVS *lib.* II. ἐπιστολῶν.

VT fundus hæreditarius fundo nō hæreditario seruiat, arbiter disponere nō potest: quia vltra id, qđ in iudiciū deductū est, excedere potestas iudicis nō potest.

B *Quod vna elementatione continetur, si solo cohæret, dicitur commune pro parte diuisa qua diuiditur solum: sed à solo separatum dicetur pro indiuiso esse commune.* Bartolus.

XIX. PAVLVS *lib.* VI. *ad Sabinum.*

ARbor, quæ in confinio nata est: item lapis, qui per vtrunque fundum extenditur: quàm diu cohærent fundo, è regione cuiusque finiū vtriusq; sunt, nec in cōmuni diuidūdo iudicium veniunt. sed cùm aut lapis exemptus, aut arbor eruta, vel succisa est: cōmunis pro indiuiso fit, & venit in communi diuidūdo iudicium. nam quod erat finitis partibus, rursus confunditur. Quare sicut duabus massis duorum dominorū conflatis, tota massa communis est, etiam si aliquid ex prima specie separatum maneat: ita arbor & lapis separatus à fundo, confundit ius dominij. De vestibulo communi binarum ædium, arbiter communi diuidundo inuito vtrolibet dari non debet: quia qui de vestibulo liceri cogitur, necesse habet interdum totarum ædium precium facere, si aliàs aditum non habeat.

C

Pro iure incorporali diuidūdo, vel pro eo quod sit circa illud, hoc iudicium locum non habet. Bartolus.

Si per eundem locum via nobis debeatur, & in ea impensa facta sit: durius ait Pomponius, communi diuidundo vel pro socio agi posse. quæ enim communio iuris separatim intelligi potest? sed negociorum gestorum agendum.

Iura

Iura incorporalia non veniunt in iudicio communi diuidundo, nisi sint accessoria rei corporalis pro indiuiso communis. Bartolus. D

Iudex communi diuidundo, item familiæ erciscundæ de seruo, qui in fuga est, iubere potest liceri eos, inter quos iudex est: & tunc eum adiudicare ei, penes quem licitatio remansit: nec erit periculum, ne ex senatusconsulto pœna legis Fauiæ committatur. Aquarũ iter non venire in iudicium communi diuidundo Labeo ait. nam aut ipsius fundi est, & ideo in iudicium non venit: aut separatum à fundo, diuisum tamen aut mensura, aut temporibus. Sed possunt iura interdum separata à fundo esse, nec mensura, nec temporibus diuisa: veluti cùm is, cuius fuerunt, plures hæredes reliquit. quod cùm accidit: consentaneum est, & ea in arbitrio familiæ erciscundæ venire. Nec videre se (inquit Pŏponius) quare minus in communi diuidundo iudicio, quàm familiæ erciscundæ iudiciũ veniăt. Igitur in omnibus huiusmodi speciebus in communi diuidundo iudicio venit, vt præfata iura aut mensura, aut temporibus diuidantur. E

Quod in re communi culpa vnius fit à magistratu, venit in hoc iudicium communi diuidundo. Bartolus.

XX. POMPONIVS *lib.* XIII. *ad Sabinum.*

SI is, cum quo fundum communé habes, ad delictum non respondit: & ob id motu iudicis villa diruta est, aut arbusta succisa sunt: præstabitur tibi detrimentum iudicio cõmuni diuidundo. quicquid enim culpa socij admissum est, eo iudicio continetur. F

XXI. VLPIANVS *lib.* XXX. *ad Sabinum.*

IVdicem in prædiis diuidundis, quod omnibus vtilissimum est, vel quod malunt litigatores, exsequi cõuenit.

XXII. POMPONIVS *lib.* XIII. *ad Sabinum.*

SI meo & vicini nomine parietem ædificem, vel repetiturus ab eo pro parte impensam, vel donationis gratia: communis fiet paries.

XXIII. VLPIANVS *lib.* XXXII. *ad edictum.*

SI conuenerit inter te & socium tuum, vt alternis annis fructum perciperetis, & non patiatur te socius tui anni fructũ percipere: videndum, vtrum ex conducto sit actio, an verò communi diuidundo. Eadem quæstio est,

& si

& si socius, qui conuenerat, vt alternis annis frueretur: pe-
A cus immisit, & effecit vt futuri anni fructus, quos socium percipere oportuit, corrumperentur. Et puto magis communi diuidundo iudicium, quàm ex conducto locum habere. quæ enim locatio est, cùm merces non intercesserit? aut certè actionem incerti ciuilem reddendam.

XXIIII. IVLIANVS lib. VIII. *Digestorum.*

COmmunis seruus si ex re alterius dominorum adquisierit, nihilominus cõmune id erit: sed is, ex cuius re adquisitum fuerit, communi diuidundo iudicio eam summam præcipere potest: quia bonæ fidei cõuenit, vt vnusquisque præcipuum habeat, quod ex re eius seruus adquisierit. Cùm agere tecum communi diuidũdo
B vellem, partem tuã Titio tradidisti, mutandi iudicij caussa: teneris mihi prætoria actione, quod fecisses, ne tecum communi diuidundo ageretur.

XXV. IDEM lib. XII. *Digestorum.*

SI Stichus communis meus & tuus seruus habuerit Pamphilum vicarium aureorum decem, & mecum actum de peculio fuerit, condemnatúsque decem præstitero: quamuis postea Pamphilus decesserit, nihilominus actione communi diuidundo vel pro socio quinque præstare debebit: quia te hoc ære alieno liberaui. Longè magis consequar, si Stichus post mortem Pamphili alium vicarium adquisierit.

C XXVI. ALFENVS VARVS lib. II. *Digestorum.*

COmmunis seruus cùm apud alterum esset, crus fregit in opere. quærebatur, alter dominus, quid cum eo, penes quem fuisset, ageret? Respondi. si quid culpa illius magis, quàm casu res communis damni cœpisset: per arbitrium communi diuidundo posse recuperari.

XXVII. PAVLVS lib. III. ἐπιτομῶν *Alfeni digestorũ.*

DE communi seruo vnus ex socis quæstionem habere, nisi communis negocij caussa, iure nõ potest.

Ante factum melior est conditio prohibentis. h. d. & ad hoc allegatur ista lex, quòd quoties concurrunt duæ virtutes paris potentiæ, tantũ iuris habet vna ad resistendũ, quantũ altera ad obtinendũ. B.

XXVIII. PAPINIANVS lib. VII. *Quæstionum.*

SAbinus in re communi ait neminem dominorum iure fa-

re facere quidquam inuito altero posse. vnde manifestum est prohibendi ius esse. in re enim pari potiorem caussam D esse prohibentis constat. Sed & si in communi prohiberi socius à socio, ne quid faciat, potest: vt tamen factum opus tollat, cogi non potest. si cùm prohibere poterat, hoc prætermisit. & ideo per cōmuni diuidundo actioné damnum sarciri poterit. Sin autem facienti consensit: nec pro damno habet actionem. quod si quid absente socio ad læsionem eius fecit: tunc etiam tollere cogitur.

XXIX. PAVLVS *lib. II. Quæstionum.*

SI quis cùm existimaret fundum cōmunem sibi cũ Mæuio esse, quem cum Titio communem habebat, impendisset: rectè dicitur etiam communi diuidundo iudicium ei sufficere. hoc enim est: si sciam rem cōmunem esse, igno E rem autem cuius socij. neque enim negocia socij gero, sed propriam rem tueor: & magis ex re, in quam impéditur, quàm ex persona socij actio nascitur. Denique ea actione & pupillum teneri dicimus, vt impendia restituat officio iudicis. Diuersa caussa est eius, qui putat se in rem propriam impendere, cùm sit communis. huic enim nec communi diuidundo iudicium competit, nec vtile dandum est. ille enim, qui scit rem esse communem, vel alienam: negocia eo animo gerit, vt aliqué sibi obliget, licet in persona labitur. Pomponius scripsit, posci iudicem posse à quolibet sociorum. Sed etiam si vnus ex sociis mutus erit, rectè cum eo communi diuidundo agi. F

XXX. SCAEVOLA *lib. I. Responsorum.*

COmmuni diuidũdo iudicium rectè agi: siue neuter possideat, siue alter sociorum tantum nó possideat.

XXXI. PAVLVS *lib. V. Responsorum.*

BIna mancipia, quæ ex hæreditate paterna iussu prætoris pupillis ministerij caussa seruata essent: diuisa non videri, sed omnium communia permansisse.

AD EXHIBENDVM. *Tit.* IIII.

VLPIANVS *lib.* XIX. *ad edictum.*

HAec actio perquàm necessaria est, & vis eius in vsu quotidiano est: & maximè ꝑpter vindicationes introducta est.

II. PAVLVS *lib.* XXI. *ad edictum.*

A EXhibere est facere in publico potestatem, vt ei qui agit, experiundi sit copia.

III. VLPIANVS *lib.* XXIIII. *ad edictum.*

IN hac actione actor nosse debet, & dicere omnia argumenta rei, de qua agitur. Qui ad exhibendum agit, non vtique dominum se dicit, nec debet ostendere: cùm multæ sint caussæ ad exhibendum agendi. Præterea in hac actione notandum est, quòd reus contumax per in litem iusiurandum petitori damnari possit, ei iudice quantitatem taxante. Est autem personalis hæc actio: & ei competit, qui in rem acturus est qualicunque in rem actione: etiam pignoraticia Seruiana, siue hypothecaria, B quæ creditoribus competit. Sed & vsumfructum petituro competere ad exhibendum Pomponius ait. Sed & si quis interdicturus, rem exhiberi desideret, audietur.

Item si optare velim seruum, vel quamlibet aliam rem, cuius optio mihi relicta est: ad exhibendum me agere posse constat, vt exhibitum possim vindicare. Si quis noxali iudicio experiri velit, ad exhibẽdum ei actio necessaria est. Quid enim, si dominus quidẽ paratus sit defendere, actor verò designare non possit, nisi ex præsentibus: quia aut seruum nõ recognoscit, aut nomen non tenet? nonne æquum est ei familiam exhiberi, vt noxium suum agnoscat? Quod ex caussa debet fieri, ad designandum eum, cuius nomine noxali quis agit, recensitione ser- C uorum facta. Si quis extra hæredem tabulas testamẽti, vel codicillos, vel quid aliud ad testamentum pertinens exhiberi velit: dicendum est, per hanc actionem agẽdum non esse, cùm sufficiant interdicta in hanc rem competentia. & ita Põponius. Sciendum est autem non solùm eis, quos diximus, competere ad exhibendum actionem: verũ ei quoq;, cuius interest exhiberi. iudex igitur summatim debebit cognoscere, an eius intersit, non autem, & an eius res sit: & sic iubere vel exhiberi, vel non: quia nihil illius interest. Plus dicit Iulianus: etiam si vindicationem non habeam, interim posse me agere ad exhibẽdum, si mea intersit exhiberi: vtputa si mihi seruus legatus sit, quem Titius optasset. agam enim ad exhibendum, vt Ti-

vt Titius optet,& ſic vindicem:quamuis exhibitum ego optare non poſſim. D

*Intereſſe quod non eſt cauſſatum ex rationabili cauſſa,non dicitur intereſſe.h.d.concord.infra.eodem.l.penultima.*Baldus.

Si mecum fuerit actum ad exhibendum : ego ob hoc, quod conuentus ſum ad exhibendũ,actione ad exhibendum agere non poſſum : quamuis videatur intereſſe mea ob hoc,quod teneor ad reſtituendum. ſed hoc non ſufficit.alioquin & qui dolo fecit,quò minus poſſideret, poterit ad exhibendum agere, quanquam neque vindicaturus,neq; interdicturus ſit:& fur,& raptor poterit . quod nequaquam verum eſt.Elegãter igitur definit Neratius, iudicem ad exhibendum hactenus cognoſcere: an iuſtam & probabilem cauſſam habeat,propter quam exhiberi ſibi deſideret. E

*Omne intereſſe cauſſatum à proprietate poſſeſſionis,vel quaſi,affert actionem ad exhibendum.*Baldus.

Pōponius ſcribit,eiuſdem hominis nomine rectè plures ad exhibendum agere poſſe : fortè ſi homo primi ſit, ſecundi in eo vſusfructus ſit , tertius poſſeſſionem ſuam cōtendat, quartus pignoratum ſibi eum adfirmet. Omnibus igitur ad exhibendum actio competit: quia omnium intereſt eum hominem exhiberi.

Exceptiones quæ requirunt altiorem indaginem, in cauſis ſummariis non admittuntur: ſed in cauſis principalibus reſeruantur. Bartolus. F

Ibidem ſubiungit , iudicem per arbitrium ſibi ex hac actione cōmiſſum,etiam exceptiones æſtimare,quas poſſeſſor obiicit: & ſi qua tam euidens ſit, vt facilè repellat agentem, debere poſſeſſorem abſolui . ſi verò obſcurior, vel quæ habeat altiorem quæſtionem:differendam in directum iudicium,re exhiberi iuſſa.De quibuſdam tamen exceptionibus omnimodo ipſum debere diſceptare, qui in ad exhibendum actione iudicat: veluti pacti conuenti,doli mali,iuriſiurandi,rei iudicatæ eſt.

Pro inſtrumentis non poteſt agi ad exhibendum pro alio intereſſe quàm dominii.ſecus in aliis rebus.Bartolus.

Interdum æquitas exhibitionis efficit, vt quamuis ad exhibendum agi non poſſit,in factum tamen actio detur, vt Iu-

vt Iulianus tractat. Seruus (inquit) vxoris meæ rationes
A meas conscripsit. hæ rationes possidentur à te. desidero
eas exhiberi. Ait Iulianus: siquidé in mea charta scriptæ
sunt, locú esse huic actioni: quia & vindicare eas possum.
nam cùm charta mea sit, & quod in ea scriptum est, meum
est. sed si charta mea non sit: quia vindicare non possum,
nec ad exhibédum experiri. in factum igitur mihi actionem competere. Sciendum est, aduersus possessoré hac
actione agendú: non solùm eum, qui ciuiliter, sed & eum,
qui naturaliter incumbat possessioni.. Denique creditorem, qui pignori rem accepit, ad exhibendum teneri
placet.

IIII. POMPONIVS *lib.* VI. *ad Sabinum.*

B NAm & cum eo, apud quem deposita, vel cui commo
data, vel locata res sit, agi potest.

V. VLPIANVS *lib.* XXIIII. *ad edictum.*

CElsus scribit: si quis merces, quas exuehendas conduxit, in horreo posuit: cum cōductore ad exhibedum agi posse. Item si mortuo conductore hæres existat:
cum hærede agédum. sed si nemo hæres sit: cum horreario agendum. nam si à nullo (inquit) possidentur: verum
est, aut horrearium possidere, aut certè ille est, qui possit
exhibere. Idem ait: quomodo autem possidet, qui vehendas conduxit? an quia pignori tenet? quæ species ostédit
etiam eos, qui facultatem exhibendi habent, ad exhiben-
C dum teneri.

Nota quòd restitutio quam facit vsufructuarius colonus, priuat dominum possessione. Bartolus.

Iulianus etiam scribit ad exhibendum teneri, qui rerum vel legatorum seruādorum caussa in possessione sit.
sed & eum, qui vsusfructus nomine remaneat: quāuis nec
hic vtiq; possideat. Inde Iulianus quærit, quatenus hos
oporteat exhibere. & ait priorem quidem sic, vt actor possessionem habeat: is autem, cum quo agetur, rei seruandæ caussa sit in possessione. eum verò, qui vsumfructú habet, sic vt actor rem possideat: is, cum quo agetur, vtatur
fruatur. Idem Iulianus scribit: emptorem, qui ruta cæsa non restituit, ad exhibendum teneri, in quantum in litem iurauero. sed ibi adiicit: si emptor possideat, vel do-

lo fecerit, quò minus possideat.

Nota quòd sicut alibi non admittitur particularis solutio, ita hic non admittitur particularis receptio inuito reo. Baldus. D

Idem Celsus scribit: stercus, quod in aream meam congessisti, per ad exhibendum actionem posse te consequi, vt tollas: sic tamen, vt totum tollas. cæterũ aliâs non posse. Sed & si ratis delata sit vi fluminis in agrũ alterius: posse eum conueniri ad exhibendum, Neratius scribit. Vnde quærit Neratius, vtrum de futuro dumtaxat damno, an etiam de præterito domino agri cauendum sit. Et ait etiam de præterito caueri oportere. Sed & si de ruina aliquid in tuam aream, vel in tuas ædes deciderit: tenebe ris ad exhibendum, licet non possideas. Item si quis facultatem restituendi non habet: licet possideat, tamen ad E exhibẽdum non tenebitur. vtputa si in fuga seruus sit: ad hoc planè solùm tenebitur, vt caueat se exhibiturũ, si in potestatem eius peruenerit. sed si non sit in fuga, permise ris autem ei, vbi velit morari: idem erit dicendum. aut si peregre à te missus sit, vel in prædiis tuis agat: ad hoc solùm teneberis, vt caueas.

Quando obstaculum est in medio, prius debet agi ad remotionem obstaculi, quàm vlterius procedatur. Baldus.

VI. PAVLVS *lib.* XIIII. *ad Sabinum.*

Gemma inclusa auro alieno, vel sigillum cãdelabro, vindicari nõ potest: sed vt excludatur, ad exhibendum agi potest. Aliter atque in tigno iuncto ædibus, de F quo nec ad exhibendũ agi potest: quia lex duodecim tabularũ solui vetat, & actione DE TIGNO IVNCTO ex eadem lege in duplum agitur.

VII. VLPIANVS *lib.* XXIIII. *ad edictum.*

Tigni appellatione omnem materiam in lege duodecim tabularum accipimus, vt quibusdam rectè videtur. Sed & si rotam meam tuo vehiculo aptaueris: teneberis ad exhibendum (& ita Põponius scribit) quãuis tunc ciuiliter non possideas. Idem & si armario, vel naui tabulã meam, vel ansam scypho iniunxeris, vel emblemata phialæ: vel purpurã vestiméto intexueris: aut brachiũ statuæ coadunaueris. Item municipes ad exhibendum conueniri possunt: quia facultas est restituendi. nã & pos

sidere

ſidere & vſucapere eos poſſe cõſtat. idem in collegiis cęteriſq; corporibus dicendum erit. Si quis non poſſideat
A litis conteſtatæ tẽpore, poſtea ante ſententiã poſſidere cœperit: oportere dici putamus, debere condẽnari, niſi reſtituat. Si quis cũ iudicij accepti tẽpore poſſideret, poſtea ſine dolo malo poſſidere deſierit: abſolui eum oportet, quamuis ſit (inquit Pomponius) quod ei imputetur, cur non ſtatim reſtituit, ſed paſſus eſt ſecum litem conteſtari. Idem ſcribit: ſi quis litis conteſtatæ tempore poſſederit, deinde deſierit poſſidere, mox cœperit (ſiue ex eadem cauſſa, ſiue ex alia) condemnari eum oportere, niſi reſtituat. Ibidem non malè Pomponius ſcribit: eius, qui ad exhibendum egit, vtroq; tempore interfuiſſe o-
B portere rem ei reſtitui: hoc eſt, & quo lis cõteſtaretur, & quo fieret condemnatio. & ita etiam Labeoni placet.

Poſſeßio ſuperueniens hæredi parit condemnationem ex inſtantia cœpta cum defuncto. Bartolus.

VIII. IVLIANVS *lib.* IX. *Digeſtorum.*

SI ad exhibendum actum eſt cum eo, qui neque poſſidebat, neq; dolo malo fecerat, quò minus poſſideret: deinde eo defuncto hæres eius poſſidet rem: exhibere eam cogendus erit. Nam etſi fundum vel hominem petiero, & hæres ex eadem cauſſa poſſidere cœperit: reſtituere cogitur.

IX. VLPIANVS *lib.* XXIIII. *ad edictum.*

C IVlianus ſcribit. ſi quis hominem, quem poſſidebat, occiderit: ſiue ad alium tranſtulerit poſſeſſionem, ſiue ita rem corruperit, ne haberi poſſit: ad exhibendum tenebitur, quia dolo malo fecit, quô minus poſſideret. Proinde & ſi vinum, vel oleum, vel quid aliud effuderit, vel confregerit: ad exhibendum tenebitur. Glans ex arbore tua in fundum meum decidit. eam ego immiſſo pecore depaſco. qua actione poſſum teneri? Pomponius ſcribit, competere actionem ad exhibendum: ſi dolo pecus immiſi, vt glãdem comederet. Nam etſi glans exſtaret, nec patereris me tollere, ad exhibendum tenereris: quemadmodum ſi materiam meam delatam in agrum ſuum quis auferre non pateretur. Et placet nobis Pomponij ſententia, ſiue glans exſtet, ſiue conſumpta ſit. Sed ſi exſtet,

 etiam

etiam interdicto DE GLANDE LEGENDA vt mihi tertio quoque die legendæ glãdis facultas esset vti potero, si dãni infecti cauero. Si quis rem fecit ad alium D peruenire: videtur dolo fecisse, quò minus possideat: si modo hoc dolosè fecerit. Sed & si quis rem deteriorem exhibuerit, æquè ad exhibédum eum teneri, Sabinus ait. sed hoc vtique verum est, si dolo in aliud corpus res sit translata: veluti si ex scypho massa facta sit. quanquam enim massam exhibeat: ad exhibendum tenebitur. nam mutata forma propè interimit substantiam rei, vt Marcellus scribit. Si tibi decem nomismata sint sub conditione legata, & mihi decem vsusfructus purè: deinde hæres pendente conditione, non exacta cautione, decem fructuario soluerit: ad exhibendum eum actione, qui decem soluerit, teneri: quasi dolo fecerit, quò minus possideret. E dolus autem in eo est: quod cautionem exigere supersedit à fructuario, effectúmque, vt legatum tuum euanesceret, cùm iam numos vindicare non possis. Ita demum autem locum habebit ad exhibendum actio, si conditio exstiterit legati. Potuisti tamen tibi prospicere stipulatione legatorum. si prospexisti: nõ erit tibi necessaria ad exhibendum actio. Si tamen ignarus legati tui à fructuario satis non exegit: dicit Marcellus cessare ad exhibendum, scilicet quia nullus hic dolus est. succurrendum tamen legatario in factum aduersus fructuarium actione ait. Quantum ad hanc actionem attinet: exhibere est in F eadem caussa præstare, in qua fuit, cùm iudicium acciperetur: vt quis copiam rei habés, possit actionem exsequi, quam destinauit, in nullo caussa, quam intendit, læsa: quamuis non de restituendo, sed de exhibendo agatur.

Proinde si post litem contestatam vsucaptum exhibeat: non videtur exhibuisse, cùm petitor intẽtionem suam perdiderit. & ideo absolui eum non oportet: nisi paratus sit repetita die intentionẽ suscipere, ita vt fructus secundum legem æstimentur. Quia tamen caussa petitori in hac actione restituitur: Sabinus putauit, partũ quoque restituendum: siue prægnans fuerit mulier, siue postea conceperit. quam sententiam & Pomponius probat.

Præterea vtilitates, si quæ amissæ sunt ob hoc, quod non

non exhiberetur, vel tardius exhiberetur: æstimãdæ à iu
A dice sunt. Et ideo Neratius ait: vtilitatem actoris venire in æstimationem, non quanti res sit. quæ vtilitas (inquit) interdum minoris erit, quàm res.

Etiam ei qui non est in mora, labitur terminus: tamen ille per quẽ labitur, tenetur ad interesse. Baldus.

X. PAVLVS *lib.* XXVI. *ad edictum.*

SI optione intra certum tempus data, iudicium in id tempus extractum est, quo frustra exhibeatur: vtilitas petitoris conseruetur. quod si per hæredem non stetit, quò minus exhiberet tempore iudicij accipiendi: absoluendus est hæres.

XI. VLPIANVS *lib.* XXIIII. *ad edictum.*

B SEd & si hæreditas amissa sit ob hoc, quod seruus non exhibebatur: æquissimũ est æstimari officio iudicis dãnum hæreditatis. Quo auté loco exhiberi rem oporteat, vel cuius sumptibus, videamus. Et Labeo ait, ibi exhibendam, vbi fuerit, cùm lis contestaretur: periculo autem & impendiis actoris perferendam, perducendámve eò loci, vbi actum sit. Planè pascere seruum, vestire, curare, possessorem oportere ait. Ego autem arbitror interdum etiam hæc actor agnoscere oportere: si fortè ipse seruus ex operis, vel artificio suo solebat se exhibere, nunc verò cogitur vacare. Proinde & si apud officium fuerit depositus exhibẽdus: cibaria debebit agnoscere, qui ex-
C hiberi desiderauit, si non solebat possessor seruum pascere. nam si solebat: sicuti pascit, ita & cibaria potest nõ recusare. Interdum tamen eò loci exhibere debet suis sumptibus: si fortè proponatur data opera eum in locum abditum res contulisse, vt actori incommodior esset exhibitio. nam in hunc casum suis sumptibus, & periculo debebit exhibere in eum locũ, vbi agetur: ne ei calliditas sua prosit. Si de pluribus rebus quis conueniatur, & litis contestatę tempore omnes possederit: licet postea quasdã desierit (quamuis sine dolo) possidere: damnandum, nisi exhibeat eas, quas potest.

XII. PAVLVS *lib.* XXVI. *ad edictum.*

DE eo exhibendo, quem quis in libertatem vindicare velit: huic actioni locus esse potest. Et filiusfa

miliâs ca actione tenerī, ſi facultatē rei exhibēdæ habeat.

Nota quòd in actu iterabili abſolutoria lata in primo non parit exceptionē in ſecundo, dūmodo probetur, quòd actus nō præſumitur iteratus. de hoc no. infrà de iureiur. l. eū qui. ꝑ. in popularib. Bal. D

Sæpius ad exhibēdum agenti, ſi ex eadē cauſſa agat, obſtaturam exceptionem Iulianus ait. nouam autē cauſſam interuenire: ſi is, qui vindicandi gratia egiſſet, poſt acceptum iudiciū eam ab aliquo accepit. & ideo exceptionē ei non officere. Item ſi ei, qui furti acturus, ad exhibendū egiſſet, iterum furtum factum ſit. Denique ſi quis optandi gratia ad exhibendū egiſſet, & poſt litem conteſtatam alterius teſtimonio optio data ſit: ad exhibendum agere poteſt. Si quis ex vuis meis muſtum fecerit, vel ex oliuis oleum, aut ex lanis veſtimenta, cùm ſciret hæc aliena eſſe: vtriuſque nomine ad exhibēdum actione tenebitur: quia quod ex re noſtra fit, noſtrum eſſe verius eſt. E

Quando res non erat æquè peritura penes actorem, tenetur reus etiam ſi habebat iuſtam cauſſam litigandi. Bal.

Si poſt iudicium acceptum homo mortuus ſit: quāuis ſine dolo malo & culpa poſſeſſoris: tamen interdum tanti damnandus eſt, quanti actoris interfuit per eum non eſſe factum, quò minus tunc, cùm iudicium acciperet, homo exhiberetur. tanto id magis: ſi apparebit eo caſu mortuū eſſe, qui non incidiſſet, ſi tunc exhibitus fuiſſet. Si iuſta ex cauſſa ſtatim exhiberi res non poſſit: iuſſu iudicis cauere debebit, ſe illo die exhibiturum. F

Hæres in realibus iudiciis, nec agit, nec conuenitur vt hæres. Bal.

Hæres nō quaſi hæres, ſed ſuo nomine hac actione vti poteſt. Item hæres poſſeſſoris ſuo nomine tenetur. Igitur non procedit quærere, an hæredi & in hæredem danda ſit. Planè ex dolo defuncti danda eſt in hæredem hæc actio, ſi locupletior hæreditas eo nomine facta ſit: veluti quod precium rei conſecutus ſit.

Pro libero homine exhibendo non competit actio ad exhibēdum quia exigit pecuniarium intereſſe. Bal.

XIII. CAIVS *lib.* VI. *ad edictum prætoris Vrbani.*

Tit. de liberali cauſſa.

SI liber homo detineri ab aliquo dicatur: interdictum aduerſus eum, qui detinere dicitur: de exhibendo

eo

eo potest quis habere. nam ad exhibendum actio in eam
A rem inutilis videtur: quia hæc actio ei creditur competere, cuius peculiariter interest.

XIIII. POMPONIVS *lib.* XIIII. *ad Sabinum.*

SI vir numos ab vxore sibi donatos, sciens suos factos non esse, pro re empta dederit: dolo malo fecit, quò minus possideat: & ideo ad exhibédũm actione tenetur.

Ista lex allegatur quod in causis summariis probatur interesse per iuramentum. intellige si iudici considerata qualitate personæ, & quantitate præiudicii videatur iuramentum deferendum. Bal.

XV. IDEM *lib.* XVIII. *ad Sabinum.*

THesaurus meus in tuo fundo est, nec eũ pateris me effodere. cùm eum loco nõ moueris, furti quidem,
B & ad exhibendum eo nomine agere me rectè non posse, Labeo ait: quia neque possideas eum, neque dolo feceris quò minus possideres: vtpote cùm fieri possit, vt nescias thesaurum in tuo fundo esse. Non esse autem iniquum, iuranti mihi, non calumniç caussa id postulare: vel interdictum, vel iudicium ita dari: vt si per me non steterit, quò minus damni infecti tibi operis nomine caueatur: ne vim facias mihi, quò minus eum thesaurum effodiam, tollam, exportem. Quòd si etiam furtiuus iste thesaurus est, etiam furti agi potest.

XVI. PAVLVS *lib.* X. *ad Sabinum.*

CVm seruus aliquid tenet, dominus ad exhibendum
C suo nomine tenetur. si autem seruus citra scientiam domini dolo fecit, quò minus habeat: vel furti actione, vel de dolo malo noxalis serui nomine danda est. ad exhibendum autem vtilis nulla constituenda est.

Sufficit exhibere in eadem forma, licet non exhibeatur in eadem qualitate. Bal.

XVII. VLPIANVS *lib.* IX. *de omnibus tribunalibus.*

SI quis hominem debilitatum exhibeat, vel eluscatũ: ad exhibendum actione quidem absolui debet (exhibuit enim, & nihil impedit directam actioné talis exhibitio) poterit tamé agere actor ex lege Aquilia de hoc damno.

Etiam creditor cui est satisfactum, potest petere instrumentũ debiti, & facere sibi compleri chartam à notario. Bal.

XVIII. IDEM *lib.* VI. *Opinionum.*

Solutione chirographo inani facto, & pignoribus liberatis: nihilominus creditor, vt instrumenta ad eum contractum pertinentia, tam ab alio, quàm debitore exhibeantur, agere potest. D

XIX. PAVLVS *lib.* III. ἐπιτομῶν *Alfeni digestorũ.*

Ad exhibendum possunt agere omnes, quorum *interest*. Sed quidam consuluit, an possit efficere hoc dicto, vt rationes aduersarij sibi exhiberentur, quas exhiberi magni eius interesset? Respondit, non oportere ius ciuile calumniari, neque verba captari: sed qua mente quid diceretur, animaduertere cõuenire. Nam illa ratione etiam studiosum alicuius doctrinæ posse dicere, sua interesse, illos aut illos libros sibi exhiberi: quia si essent exhibiti, cùm eos legisset, doctior & melior futurus esset. E

XX. VLPIANVS *lib.* II. *Regularum.*

Quæstionis habẽdæ caussa ad exhibendum agitur ex delictis seruorum ad vindicandos conscios.

DIGESTORVM SEV PANDECTARVM LIBER VNDECIMUS.

Pandectarum liber undecimus.

DE INTERROGATIONIBVS *in iure faciendis, & de interrogatoriis actionibus sublatis.* Tit. I. F

Interrogatio est facienda secundum quod necessitas proponendæ actionis exigit. Item fit officio iudicis, non iure actionis. Bar.

CALLISTRATVS *lib.* I. *edicti monitorii.*

TOTIES hæres interrogandus est, qua ex parte hæres sit: quoties aduersus eum actio instituitur, & dubitat actor, qua ex parte is, cũ quo agere velit, hæres sit. Est autem interrogatio tunc necessaria, cùm in personam est actio, & ita si certum petetur: ne dum ignoret actor, qua ex parte

ex parte aduersarius defuncto hæres exstiterit, interdum
A plus petendo aliquid damni sentiat. Interrogatoriis autem actionibus hodie non vtimur: quia nemo cogitur ante iudicium de suo iure aliquid respondere: ideoque minus frequentantur, & in desuetudinem abierunt, & tātummodo ad probationes litigatoribus sufficiūt ea, quæ ab aduersa parte expressa fuerūt apud iudices: vel in hæreditatibus, vel aliis rebus, quæ in caussis vertuntur.

II. VLPIANVS *lib.* XXII. *ad edictum.*

EDictum de interrogationib⁹ ideo prætor proposuit: quia sciebat difficile esse eis, qui hæredem bonorúue possessorem conuenirent, probare aliquem esse hæredé, bonorumúe possessorem.

III. PAVLVS *lib.* VII. *ad edictum.*

B QVia plerumque difficilis probatio hæreditatis est,

IIII. VLPIANVS *lib.* XXII. *ad edictum.*

VOluit prætor adstringere eum, qui conuenitur ex sua in iudicio responsione: vt vel confitendo, vel mentiendo sese oneret: simul vt de portione, pro qua quisque hæres exstiterit, ex interrogatione certioretur.

Quod ait prætor, QVI IN IVRE INTERROGATVS RESPONDIT, sic accipiendum est apud magistratus populi Romani, vel præsides prouinciarum, vel alios iudices. ius enim eum solum locum esse, vbi iuris dicundi, vel iudicandi gratia cōsistat: vel si domi, vel
C in itinere hoc agat.

V. CAIVS *lib.* II. *ad edictum prouinciale.*

QVi interrogatur, an hæres, vel quota ex parte sit, vel an in potestate habeat eum, cuius nomine noxali iudicio agitur: ad deliberandum tempus impetrare debet: quia si perperam confessus fuerit, incommodo adficietur.

VI. VLPIANVS *lib.* XXII. *ad edictum.*

ET quia hoc defunctorum interest, vt successores habeant: interest & viuentium, ne præcipitentur, quàm diu iustè deliberant. Interdum interrogatus quis, an hæres sit, non cogitur respondere: vtputa si controuersiam hæreditatis ab alio patiatur. & ita diuus Hadrianus constituit. ne aut negando hæredem, præiudicet sibi: aut di-

aut dicendo se hæredem, illigetur etiam ablata sibi hæreditate. D

VII. IDEM *lib.* XVIII. *ad edictum.*

SI quis in iure interrogatus, an quadrupes, quę pauperiem fecit, eius sit, responderit: tenetur.

VIII. PAVLVS *lib.* XXII. *ad edictum.*

SI quis interrogatus de seruo, qui damnum dedit, responderit suum esse seruum: tenebitur lege Aquilia quasi dominus. etsi cum eo actum sit, qui respondit: dominus ea actione liberatur.

IX. VLPIANVS *lib.* XXII. *ad edictum.*

SI sine interrogatione quis responderit se hæredem, pro interrogato habetur. Interrogatum non solùm à prætore accipere debemus, sed & ab aduersario. Sed si E seruus interrogetur, nulla erit interrogatio: non magis, quàm si seruus interroget. Alius pro alio nō debet respondere cogi, an hæres sit. de se enim debet quis in iudicio interrogari, hoc est, cùm ipse conueniatur. Celsus libro quinto digestorum scribit. si defensor in iudicio interrogatus, an is, quem defendit, hæres, vel quota ex parte sit, falsò responderit: ipse quidem defensor aduersario tenebitur: ipsi autem, quem defendit, nullum facit præiudicium. veram itaque esse Celsi sententiam, dubium non est. An ergo non videatur defendere, si non responderit, videndum. quod vtique consequens erit dicere: quia non plenè defendit. Qui interrogatus hæ- F redem se responderit, nec adiecerit, ex qua parte: ex asse respondisse dicendus est. nisi fortè ita interrogetur, an ex dimidia parte hæres sit: & responderit, hæres sum. hic enim magis puto ad interrogatum respondisse.

An quis sit hæres ex testamento, vel ab intestato, non cogitur respondere, nisi natura intentandæ actionis hoc exigat. Bar.

Illud quæritur: an quis cogatur respondere, vtrum ex testamento hæres sit: & vtrum suo nomine ei quæsita sit hæreditas; an verò per eos, quos suo iuri subiectos habet, vel per eum, cui hæres exstitit? Summatim igitur prætor cognoscere debebit, cùm quæretur, an quis respondere debeat, quo iure hæres sit: vt si valde interesse compererit,

compererit, plenius respondere iubeat. quæ obtinere debent non solùm in hæredibus, sed etiam in honorariis
A successoribus. Denique Iulianus scribit, eum quoque, cui hæreditas restituta est, debere in iure interrogatum respondere, an hæreditas ei sit restituta. & si de peculio agatur, non oportere responderi à patre vel domino, an in potestate habeat filium vel seruum: quia hoc solum quæratur, an peculium apud eum, cum quo agitur, sit.

Qui negat se dominum, non potest vti dominio illo. Bar.

X. PAVLVS *lib.* XLVII. *ad edictum.*

NOn alienum est eum, à quo damni infecti stipulari velimus, interrogare in iure: an ædes vel locus eius
B sit, ex quo damnum timeatur, & pro qua parte: vt si neget suum prædium esse, ne damni infecti caueat: aut cedere, aut si resistendum putauerit, quasi dolo versatus, tradere compellatur.

XI. VLPIANVS *lib.* XXII. *ad edictum.*

DE ætate quoque interrogatus, interdum respondere debebit. Si quis cùm hæres non esset, interrogatus responderit ex parte se hæredem: sic conuenietur, atque si ex ea parte hæres esset. fides enim ei contra se habebitur. Qui ex quadrante hæres, vel omnino, cũ hæres non esset, responderit se hæredem ex asse: in assem instituta actione conuenietur.

Pœna mentiētis est, vt si primo tenebatur pro parte, postea teneatur
C *in solidum: nisi iuste errauerit.* Bar.

Si cùm esset quis ex semisse hæres, dixerit se ex quadrante: mendacij hanc pœnam feret, quod in solidũ conuenietur. non enim debuit mentiri, dum se minoris portionis hæredem adseuerabat. Interdum tamen iusta ratione potest opinari se hæredem ex minore parte. quid enim si nescit sibi partem adcreuisse, vel ex incerta parte fuit institutus? cur ei responsum noceat?

Tacens quo ad sui commodum habetur pro negante: & in solidum conuenitur. Bar.

Qui tacuit apud prætorem, in ea caussa est, vt instituta actione in solidum conueniatur: quia quasi negauit se hæredem. nam qui omnino non respondet, contumax est. con-

eſt. contumaciæ autem pœnam hanc ferre debet, vt in ſolidum cōueniatur, quemadmodum ſi negaſſet: quia prætorem contemnere videtur. D

Non videtur reſpondere, qui ad interrogata non reſpondet. Bar.

Quod autem ait prætor, OMNINO NON RESPONDISSE, poſteriores omnes ſic acceperunt: vt omnino non reſpondiſſe videatur, & qui ad interrogatū non reſpondit, id eſt πρὸς ἔπος.

Appellatione partis dimidia cōtinetur. Et eſt ratio: quia ſola dimidia eſt pars æqualis. Bal.

Si interrogatus quis, an ex eſſe hæres eſſet, reſponderit ſe ex parte hæredem: ſi ex dimidia eſſet, nihil ei nocere reſponſum. quæ ſententia humana eſt. Nihil intereſt, neget quis, an taceat interrogatus, an obſcurè reſpondeat, vt incertum dimittat interrogatorem. E

Ex cauſſa iuſti erroris poteſt quis ſuam confeſſionem reuocare. Bartolus.

Ex cauſſa ſuccurri ei, qui interrogatus reſpondit, non dubitamus. nam & ſi quis interrogatus, an patri hæres eſſet, reſponderit: mox prolato teſtamento inuentus ſit, exhæredatus: æquiſſimum eſt ei ſuccurri. & ita Celſus ſcribit. hic quidem & alia ratione: quod ea, quæ poſtea emergunt, auxilio indigēt. quid enim ſi occultæ tabulæ & remotæ poſtea prolatæ ſunt? cur noceat ei, qui reſpondit, quod in præſentiarum videbatur? Idem dico, etſi quis hæredem ſe reſpōderit, & mox falſum, vel inofficioſum, vel irritum teſtamentum fuerit pronunciatum. non enim improbè reſpondit, ſed ſcriptura ductus. Qui interrogatus reſpōderit: ſic tenetur, quaſi ex cōtractu ei⁹ obligatus, pro quo pulſabatur: dum ab aduerſario interrogetur. Sed ſi à prætore fuerit interrogatus: nihil facit prætoris authoritas, ſed ipſius reſponſum, ſiue mendacium. F

Lata culpa ante litem conteſtatam poteſt reuocari indiſtinctè: niſi captio actoris emergat. Bartolus.

Qui iuſto errore ductus negauerit ſe hæredem, venia dignus eſt. Sed & ſi quis ſine dolo malo, culpa tamen reſpondit: dicendum erit, abſolui eum debere, niſi culpa dolo proxima ſit. Celſus ſcribit, licere reſponſi pœnitere, ſi

tere, ſi

tere, si nulla captio ex eius pœnitentia sit actoris. quod
A verissimum mihi videtur: maximè si quis postea plenius instructus quid faciat, instrumentis vel epistolis amicorum de iure suo edoctus.

XII. PAVLVS *lib.* XVII. *ad edictum.*

SI filius qui abstinuit se paterna hæreditate, in iure interrogatus, responderit se hæredem: tenebitur. nam ita respondendo pro hærede gessisse videtur. Sin autem filius, qui se abstinuit, interrogatus tacuerit: succurrendum est ei: quia hunc, qui abstinuit, prætor nō habet hæredis loco.

Etiam confesso non denegantur exceptiones legitimæ. Bartolus.

Exceptionibus, quæ institutis in iudicio contra reos
B actionibus opponūtur: etiam is vti potest, qui ex sua responsione conuenitur: veluti pacti conuenti, rei iudicatæ, & cæteris.

Confessionibus est standum, quibus ius vel natura non repugnat. Bartolus.

XIII. IDEM *lib.* II. *ad Plautium.*

COnfessionibus falsis respondentes ita obligantur, si eius nomine, de quo quis interrogatus est, cum aliquo actio sit: quia quæ cum alio actio esset, si dominus esset, in nosmetipsos confessione nostra conferemus.

Etsi eum, qui in potestate patris esset, respondissem filium meum: ita me obligari, si ætas eius pateretur, vt fi-
C lius meus esse possit: quia falsæ confessiones naturalibus conuenire debent. propter quæ fiet, vt patrisfamiliâs nomine respondendo non obliger. Eum, qui patremfamiliâs suum esse respondit seruum, non teneri noxali actione. ac nec si bona fide liber homo mihi seruiat, mecū noxali iudicio agi potest: & si actum fuerit, manebit integra actio cum ipso, qui admisit.

XIIII. IABOLENVS *lib.* IX. *ex Cassio.*

SI is, cuius nomine noxæ iudicium acceptum est, manente iudicio liber iudicatus est: reus absolui debet, nec quidquam interrogatio in iure facta proderit: quia eius personæ, cuius nomine quis cum alio actionem habet, obligationem transferre nō potest in eum, qui in iure suum esse confitetur: velut alienum seruum suum esse

confitendo.

confitendo. liberi autem hominis nomine (quia cum alio actio non eſt) ne per interrogationem quidem aut cōfeſſionem transferri poterit. quo caſu eueniet, vt non rectè hominis liberi nomine actum ſit cum eo, qui confeſſus eſt. In totum autem cōfeſſiones ita ratæ ſunt: ſi id, quod in cōfeſſione venit, & ius, & natura recipere poteſt. D

XV. POMPONIVS *lib.* XVIII. *ad Sabinum.*

SI ante aditam hæreditatē ſeruum hæreditarium meū eſſe reſpondeā: teneor, quia domini loco habetur hæreditas. Mortuo ſeruo, quem in iure interrogatus, ſuum eſſe confeſſus ſit: non tenetur is, qui reſpondit: quémadmodum & ſi proprius eius fuiſſet, poſt mortem eius non teneretur.

XVI. VLPIANVS *lib.* XXXVII. *ad edictum.* E

SI ſeruus ab hoſtib^9 captus ſit, de quo quis in iure interrogatus, reſponderit in ſua poteſtate eſſe: quamuis iura poſtliminiorum poſſint efficere dubitare nos: attamen non puto locum eſſe noxali actioni, quia non eſt in noſtra poteſtate. Quanquam autem placet etiam eū teneri, qui alienū ſeruum ſuū confeſſus eſſet: tamē rectiſſimè placuit eū demū teneri, qui eū ſeruū potuit habere. cæterùm ſi dominium quærere non potuit: non teneri.

XVII. IDEM *lib.* XXXVIII. *ad edictum.*

SI ſeruus non ſit vnius, ſed plurium: & omnes mentiti ſunt, eum in ſua poteſtate non eſſe, vel quidam ex illis: aut dolo fecerunt, quò minus ſit in poteſtate: vnuſquiſque eorum tenebitur in ſolidum, quemadmodum tenerentur, & ſi haberent in poteſtate. Is verò, qui nihil dolo fecit, quò minus in poteſtate haberet, vel non negauit: non tenebitur. F

Sententia lata contra vnum ex ſua confeſſione, non liberat verum dominum. Bartolus.

XVIII. IVLIANVS *lib.* IIII. *ad Vrſeium ferocem.*

QVi ex parte dimidia hæres erat, cùm abſentem cohæredem ſuum defendere vellet, vt ſatiſdationis onus euitare poſſet: reſpondit ſe ſolum hæredem eſſe, & condemnatus eſt. quærebat actor, cū ipſe ſoluendo non eſſet: an reſciſſo ſuperiore iudicio, in eū, qui re vera hæres erat, actio dari deberet? Proculus reſpondit, re-

dit,rescisso iudicio,posse agi: idque verum est.

A *Inter quos non valet iudicium,nec confessio. Bartolus.*

XIX. PAPINIANVS *lib.* VIII. *Quæstionum.*

SI filius, cùm pro patre suo ageret, tacuit interrogatus: omnia perinde obseruanda erunt, ac si non esset interrogatus.

Si ex variatione personæ conuenti non variatur caussa: vnius confessio & solutio liberat verum debitorem. secus si variatione personæ contingit variatio caussæ: nisi veri debitoris nomine factum fuerit. Bartolus.

XX. PAVLVS *lib.* II. *Quæstionum.*

QVi seruum alienum respődit suum esse, si noxali iudicio conuentus sit, dominum liberat. aliter atque si is, qui confessus sit se occidisse seruum, quē
B alius occidit: vel si quis responderit se hæredem. nam his casibus nő liberatur, qui fecit, vel qui hæres est. Nec hæc inter se contraria sunt. nam superiore casu ex persona serui duo tenentur (sicut in seruo communi dicimus) vbi altero conuento, alter quoque liberatur. at is, qui cőfitetur se occidisse vel vulnerasse, suo nomine tenetur: nec debet impunitum esse delictum eius, qui fecit, propter eum, qui respondit: nisi quasi defensor eius, qui admisit, vel hæredis litem subiit hoc genere. tunc enim in factum exceptione danda submouendus est actor: quia ille negociorum gestorum vel mandati actione recepturus
C est, quod præstitit. Idem est in eo, qui mandatu hæredis hæredem se esse respondit, vel cùm eum aliâs defenderē vellet. In iure interrogatus, an fundum possideat: quæro, an respondere cogendus sit, & quota ex parte fundum possideat? Respondi. Iabolenus scribit, possessorē fundi cogi debere respondere, quota ex parte fundum possideat: vt si minore ex parte possidere se dicat, in aliā partem, quæ non defenderetur, in possessionem actor mittatur. Idem & si damni infecti caueamus. nam & hic respondere debet, quota ex parte eius sit prædium: vt ad eam partem stipulationem accommodemus. Pœna autem non repromittentis hæc est, vt in possessionem eamus: & ideo eò pertinet scire, an possideant.

XXI. VLPIANVS *lib.* XXII. *ad edictum*

VBicunque iudicem æquitas mouerit: æquè oportere fieri interrogationem, dubium non est. D

Responsio facta in iudicio non præiudicat respondenti, nisi respectu interrogantis. Bartolus.

XXII. SCAEVOLA *lib.* IIII. *Digestorum.*

PRocuratore Cæsaris ob debitum fiscale interrogante: vnus ex filiis, qui neç bonorum possessionem acceperat, nec hæres erat: respondit se hæredé. an quasi interrogatoria creditoribus cæteris teneatur? respondi, ab his, qui in iure non interrogassent, eum ex responso suo conueniri non posse.

DE QVIBVS REBVS AD *eundem iudicem eatur.* Tit. II.

E

In caussis connexis plures licet diuersi fori coguntur apud eundē iudicem litigare. Bartolus.

POMPONIVS *lib.* XIII. *ad Sabinum.*

SI inter plures familiæ erciscundæ agatur, & inter eosdem communi diuidundo, aut finium regūdorum: eundem iudicem sumi. præterea, quò facilius coire cohęredes, vel socij possint, in eundem locum omnium præsentiam fieri oportet.

II. PAPINIANVS *lib.* II. *Quæstionum.*

CVm ex pluribus tutoribus vnus, quod cæteri non sunt idonei, conueniūtur: postulante eo, omnes ad eundem iudicem mittuntur, & hoc rescriptis principum continetur. F

Ad hoc edictū ptinet vetus illud prouerbiū, malū cōsiliū consultori pessimum, de quo Gel. lib. 4. noctiū. at. c. 5

DE SERVO CORRVPTO Tit. III.

VLPIANVS *lib.* XXIII. *ad edictum.*

AIt prætor. QVI SERVVM SERVÁMVE ALIENVM ALIENAM RECEPISSE, PERSVASISSÉVE QVID EI DICETVR DOLO MALO, QVO EVM EAM DETERIOREM FACERET: IN EVM, QVANTI EA RES ERIT, IN

IN DVPLVM IVDICIVM DABO. Qui bona fide seruũ emit,hoc edicto non tenebitur : quia nec ipse
A poterit serui corrupti agere:quia nihil ei⁹ interest seruũ nõ corrũpi. & sanè si quis hoc admiserit:eueniet,vt duobus actio serui corrupti competat.quod est absurdũ.Sed nec eum,cui bona fide homo liber seruit, hanc actionem posse exercere opinamur. Quod autem prætor ait. RECEPISSE: ita accipimus,si susceperit seruum alienum ad se. Et est propriè RECIPERE abscondendi caussa refugium seruo præstare,vel in suo agro,vel in alieno loco,ædificióve. PERSVADERE autẽ est plus,quàm cõpelli atque cogi sibi parere.Sed persuadere τῶν μέσων ἐστί.nã & bonũ consiliũ quis dando potest suadere,& malum.& ideo prætor adiecit, DOLO MALO, QVO
B EVM DETERIOREM FACERET. neq; enim delinquit,nisi qui tale aliquid seruo persuadet,ex quo eum faciat deteriorẽ.qui igitur seruũ sollicitat ad aliquid vel faciendũ, vel cogitãdum improbè : hic videtur hoc edicto notari. Sed vtrũ ita demum tenetur, si bonæ frugi seruũ pepulit ad delinquẽdum:an verò & si malũ hortatus est, vel malo seruo monstrauit, quẽadmodũ faceret? Et est verius,& si malo monstrauit,quẽ in modum delinqueretur:teneri eum.imò & si erat seruus omnimodo fugiturus,vel furtũ facturus,hic verò laudator huius propositi exstitit:tenetur. Nõ enim oportet laudando augere
C maliciã. Siue ergo bonũ seruum fecerit malũ,siue malum deteriorẽ:corrupisse videtur. Is quoq; deteriorem facit,qui seruo persuadet,vt iniuriã faceret, vel furtũ, vel fugeret,vel vt alienũ seruum sollicitaret, vel vt peculiũ intricaret,aut amator existeret,vel erro,vel malis artibus esset deditus: vel vt in spectaculis nimius,vel seditiosus: vel si actori suasit,siue verbis,siue precio,vt rationes dominicas intercideret,vel adulteraret, vel etiam vt rationem sibi commissam turbaret.

II. PAVLVS *lib.* XIX. *ad edictum.*

VEl si luxuriosum vel contumacem fecit : quíve vt stuprum pateretur persuadet.

III. VLPIANVS *lib.* XXIII. *ad edictum.*

DOlo malo adiecto, calliditatem notat prætor eius,

Q qui

qui persuadet. Cæterùm sine dolo si quis deteriorem fecerit (vt si lusus gratia fecerit) non tenetur. Vnde quæritur: si quis seruo alieno suaserit, in tectum vt ascéderet, vel in puteum descenderet: & ille parens ascenderit, vel descéderit, & ceciderit, crusq; vel quid aliud fregerit, vel perierit: an teneatur? Etsi quidem sine dolo malo fecerit: non tenetur. si dolo malo: tenebitur. D

IIII. PAVLVS *lib.* XIX. *ad edictum.*

SEd commodius est vtili lege Aquilia eum teneri.

V. VLPIANVS *lib.* XXIII. *ad edictum.*

DOli verbum etiã ad eum, qui recepit, referendũ est: vt non alius teneatur, nisi qui dolo malo recepit. Cæterùm si quis vt domino custodiret, receperit, vel humanitate, vel misericordia ductus, vel alia probata atque iusta ratione: nõ tenebitur. E Si quis dolo malo persuaserit quid seruo, qué liberũ putabat: mihi videtur teneri eum oportere. magis enim delinquit, qui liberũ corruperit. & ideo si seruus fuerit, tenebitur. Hæc actio etiam aduersus fatétem in duplum est: quãuis Aquilia inficiantem dũtaxat coërceat. Si seruus seruáve fecisse dicetur: iudicium cum noxæ deditione redditur. Hæc actio refertur ad tépus serui corrupti, vel recepti, nõ ad pręsens. & ideo si decesserit, vel alienatus sit, vel manumissus: nihilominus locum habebit hæc actio. nec enim exstinguitur manumissione semel nata actio.

VI. PAVLVS *lib.* XIX. *ad edictum.* F

PRæteritæ enim vtilitatis æstimatio in hoc iudicium versatur.

VII. VLPIANVS *lib.* XXIII. *ad edictum.*

NAm & mali serui forsitan consequuntur libertatem: & posterior caussa interdum tribuit manumissionis iustam rationem.

VIII. PAVLVS *lib.* XIX. *ad edictum.*

SEd & hæres eius, cuius seruus corruptus est, habet hanc actionem: nec solùm si manserit in hæreditate seruus, sed & si exierit, forté legatus.

IX. VLPIANVS *lib.* XXIII. *ad edictum.*

SI quis seruum cõmuné meum & suũ corruperit: apud Iulianũ libro nono digestorũ quæritur, an hac actione te-

ne teneri possit? Et ait teneri eum pro socio, si socij sint: præterea poterit & cõmuni diuidũdo teneri, vt Iulianus
A ait. Sed cur deteriorem facit Iulianus cõditionem socij, si cum socio agat, quàm si cum extraneo agat? nam qui cũ extraneo agit: siue receperit, siue corruperit, agere potest. qui cum socio: sine alternatione, id est si corruperit. nisi fortè nõ putauit Iulianus hæc cadere in socium. nemo enim suum receperit. Sed si cælandi animo recepit: potest defendi, eum teneri. Si in seruo ego habeã vsum fructum, tu proprietatem: siquidẽ à me sit deterior factus, poteris mecum experiri. si verò tu id feceris: ego agere vtili actiõe possum. ad omnes enim corruptelas hæc actio pertinet: & interesse fructuarij videtur, bonæ frugi seruũ esse, in quo vsumfructũ habet. Etsi fortè alius eum recepe-
B rit, vel corruperit: vtilis actio fructuario cõpetit. Datur autẽ hæc actio, quanti ea res erit, in duplũ. Sed quæstionis est, æstimatio vtrũ eius dũtaxat fieri debeat, quod seruus in corpore vel in animo damni senserit, hoc est, quanto vilior seruus factus sit: an verò & cæterorum? Et Neratius ait, tanti cõdemnandum corruptorem, quanto seruus ob id, quod corruptus sit, minoris existat.

X. PAVLVS *lib.* XIX. *ad edictum.*

IN hoc iudicium etiam rerum æstimatio venit, quas secum seruus abstulit: quia omne damnum duplatur. neque intererit, an ad eum perlatæ fuerint res, an ad aliũ,
C siue etiam consumptæ sint. etenim iustius est, eum teneri, qui princeps fuerit delicti: quàm eum quæri, ad quem res perlatæ sunt.

XI. VLPIANVS *lib.* XXIII. *ad edictum.*

NEratius ait, postea furta facta in æstimationem non venire. quam sententiam veram puto. nam & verba edicti, QVANTI EA RES ERIT, omne detrimentum recipiunt. Seruo persuasi, vt chirographa debitorum corrumpat. videlicet tenebor. sed si consuetudine peccandi, postea & rationes, cæteraque similia instrumẽta subtraxerit, vel interleuerit, vel deleuerit: dicẽdum erit, corruptorẽ horum nomine non teneri. Quãuis autem rerum subtractarum nomine serui corrupti competit actio: tamen & furti agere possumus. ope enim

& consilio sollicitatoris videntur res abesse. nec sufficit alterutra actione egisse: quia altera alterã nõ minuit. Idẽ & in eo, qui seruũ recepit, & cælauit, & deteriorem fecit, Iulianus scribit. sunt enim diuisa inter se maleficia furis, & eius, qui deteriorem seruũ fecit. Hoc amplius & cõdictionis nomine tenebitur. quãuis enim cõdictione homi nem, pœnã autẽ furti actione cõsecutus sit: tamẽ & quod interest, debebit cõsequi actione serui corrupti. D

XII. PAVLVS lib. XIX. ad edictum.

QVia manet reus obligatus etiam rebus redditis.

XIII. VLPIANVS lib. XXIII. ad edictũ.

HAec actio perpetua est, nõ temporaria: & hæredi, cæterisq; successoribus competit. in hæredem autem non dabitur, quia pœnalis est. Sed & si quis seruũ hæreditarium corruperit: hac actione tenebitur. sed & petitione hæreditatis, quasi prædo, tenebitur: E

XIIII. PAVLVS. lib. XIX. ad edictum.

VT tantum veniat in hæreditatis petitionẽ, quãtum in hanc actionẽ. De filio filiáve familiâs corruptis huic edicto locus nõ est: quia serui corrupti cõstituta hæc actio est, qui in patrimonio nostro esset: & pauperiorem se factũ esse dominus probare potest, dignitate & fama domus integra ei manẽte. Sed vtilis cõpetit, officio iudicis æstimãda: quoniam interest nostra, animũ liberorũ nostrorum nõ corrũpi. Si seruus cõmunis meus & tuus proprium meum seruum corruperit: Sabinus ait, nõ posse agi cum socio: perinde ac si proprius meus seruus corrupisset cõseruum. Item si seruus cõmunis extraneum corruperit: videndũ est, vtrum cũ duobus agi debeat, an & cũ singulis, exemplo cæterarũ noxarum? & magis est, vt vnusquisq; in solidũ teneatur: altero autem soluente, alterum liberari. Si is, in quo vsumfructum habeo, seruum meũ corruperit: erit mihi actio cũ domino proprietatis. Pignori dati nomine debitor hanc actionem habet. In hac actione nõ extra rem duplũ est. id enim quod damni datũ est, duplatur. His consequẽter & illud probatur. si seruo meo persuaseris, vt Titio furtũ faciat: nõ solùm in id teneris, quo deterior seruus effectus est: sed & in id, quod Titio prẹstiturus sim. Itẽ F

non so-

non solùm si mihi dãnum dederis consilio tuo,sed etiam
A si extraneo: eo quoq; nomine mihi teneris, quod ego lege Aquilia obnoxius sim.aut si ex cõducto teneor alicui. quod ei seruũ locaui,& propter te deterior factus sit:teneberis eo nomine. & si qua talia sint. Aestimatio autẽ habetur in hac actione, quãto seruus inutilior factus sit: quod officio iudicis expediet.Interdũ tamẽ & si inutilis sit,vt nõ expediat talẽ seruũ habere: vtrũ & preciũ cogitur dare sollicitator, & seruum dominus lucrifacit: an verò cogi debet dominus restituere seruum,& precium serui accipere? Et verius est,electionẽ domino dari: siue seruum detinere cupit,& damnum, quanto deterior seruus factus est,in duplum accipere: vel seruo restituto(si copiam huius rei habet) precium consequi. quod si non
B habeat: precium quoque simili modo accipere. Cedi autem sollicitatori periculo eiusdẽ à domino serui actionibus debet. Quod tamen de restitutione hominis dicitur:tunc locum habet,cùm de viuo homine agitur. quid autem si de manumisso eo agatur? nõ facilè apud iudicem audietur, dicendo ideo se manumisisse, quoniam habere noluerat domi: vt & precium habeat & libertum.

XV. CAIVS *lib.* VI. *ad edictum prouinciale.*

Corrumpitur animus serui, & si persuadetur ei, vt dominum contemnat.

XVI. ALFENVS *lib.* II. *Digestorum.*

C Dominus seruum dispensatorem manumisit. postea rationes ab eo accepit:& cùm de eis non constaret, comperit apud quandam mulierculam pecuniam eum consumpsisse. quærebatur, possétne agere serui corrupti,cum ea muliere,cùm is seruus iam liber esset? Respõdi,posse. Sed etiam furti de pecuniis, quas seruus ad eam detulisset.

XVII. MARTIANVS *lib.* IIII. *Regularum.*

Serui corrupti nomine,& constante matrimonio, marito in mulierem datur actio: sed fauore nuptiarum in simplum.

DE FVGITIVIS. Tit. IIII.

VLPIANVS *lib.* XXI. *ad edictum.*

†Cõtra hoc senatuscõsultũ est, quod dominus iubet Deut. ca.23. Nõ trades seruũ domino suo, qui ad te cõfugerit: habitabit tecũ in loco qui ei placuerit, & in vna vrbiũ tuarũ requiescet, ne contristes eum.

IS qui fugitiuũ cælauit, fur est. Senatus cẽsuit†, ne fugitiui admittantur in saltus: néve D
protegãtur à villicis & procuratoribus possessionũ, multã statuit. His autẽ, qui intra viginti dies fugitiuos, vel dominis reddidissẽt, vel apud magistratus exhibuissent: veniã in ante actũ dedit. Sed & deinceps eodẽ senatuscõsulto impunitas datur ei, qui intra præstituta tẽpora, q̃ reperit fugitiuos in agro suo, domino vel magistratib⁹ tradidit. Hoc autem senatuscõsulto aditũ etiã militi dedit vel pagano ad inuestigandũ fugitiuum, in prædia senatorũ vel paganorũ. cui rei etiã lex Fauia prospexit, & senatusconsultũ Modesto consule factũ: vt fugitiuos inquirere volentibus, literæ ad magistratus dẽtur: multa etiã centum solidorũ E
in magistratus statuta, si literis acceptis, inquirentes non adiuuent. Sed & in eum, qui quęri apud se prohibuit, eadem pœna statuta est: etiam generali epistola diuorum Marci & Cõmodi: qua declaratur, & præsides, & magistratus, & milites stationarios dominũ adiuuare debere in inquirendis fugitiuis: & vt inuentos redderẽt, & vt hi, apud quos delitescant, puniãtur, si crimine cõtingantur.

Vnusquisq; eorum, qui fugitiuũ adprehendit, in publicum deducere debet. & meritò monẽtur magistratus, eos diligẽter custodire, ne euadant. Fugitiuũ accipe & si quis erro sit. Fugitiui autem appellatione ex fugitiua natum nõ cõtineri, Labeo libro primo ad edictũ scribit. F

In publicũ deduci intelliguntur, & qui magistratibus municipalib⁹ traditi sunt, vel publicis ministeriis. Diligens custodia etiã vincire permittit. Tam diu autẽ custodiuntur, quàm diu ad præfectũ vigilũ, vel ad præsidẽ prouincię deducantur. eorumq; nomina, & notę, & cuius se quis esse dicat, ad magistratus deferantur, vt facilius agnosci & percipi fugitiui possint. Notæ autem verbo etiam cicatrices continẽtur. Idem iuris est, si hæc in scriptis publicè, vel in ædes proponantur.

II. CALLISTRATVS *lib.* VI. *Cognitionum.*

FVgitiui simplices dominis reddendi sunt: sed si pro liberis se gesserint, grauius coërceri solent.

III. VLPIANVS *lib.* VII. *de officio proconsulis.*

Diuus

DIuus Pius reſcripſit:eum,qui fugitiuũ vult requi-
A rere in prædiis alienis, poſſe adire præſidẽ, literas ei daturũ, &(ſi res ita exegerit)apparitorem quoq;, vt ei permittatur ingredi & inquirere: & pœnã eundem præſidem in eum conſtituere, qui inquirere non permiſerit.

Sed & diuus Marcus oratione, quam in ſenatu recitauit,facultaté dedit ingrediendi tam Cæſaris,quàm ſenatorum & paganorum prædia,volentibus fugitiuos inquirere:ſcrutandiq́ue cubilia,atque veſtigia occultantium.

IIII. PAVLVS *lib.* I. *Sententiarum.*

LImenarchæ & ſtationarij fugitiuos deprehẽſos,rectè in cuſtodia retinent. Nam & magiſtratus municipales ad officium præſidis prouinciæ vel proconſulis com
B prehenſos fugitiuos rectè tranſmittunt.

V. TRIPHONINVS *lib.* I. *Diſputationum.*

SI in arenam fugitiuus ſeruus ſe dederit:ne iſto quidẽ periculo diſcriminis vitæ,quod ſibi irrogauit,poteſtatem domini euitare poterit.nam diuus Pius reſcripſit, omnino eos dominis ſuis reddendos: ſiue ante pugnã ad beſtias, ſiue poſt:quoniam interdũ aut pecunia interuerſa,aut commiſſo aliquo maiore maleficio, ad fugiendam inquiſitionem,vel iuſtitiam animaduerſionis, in arenam ſe dare mallent.reddi ergo eos oportet.

DE ALEATORIBVS. Tit. V.

VLPIANVS *lib.* XXIII. *ad edictum.*

C PRętor ait. SI QVIS EVM, APVD QVEM IN ALEA LVSVM ESSE DICETVR, VERBERAVERIT, DAMNVMVE EI DEDERIT: SIVE QVID EO TEMPORE DOMO EIVS SVBTRACTVM ERIT: IVDICIVM NON DABO. IN EVM, QVI ALEAE LVDENDAE CAVSSA VIM INTVLERIT, VTI QVAEQVE RES ERIT, ANIMADVERTAM. Si rapinam fecerint inter ſe colluſores vi bonorum raptorum non denegabitur actio. ſuſceptorem enim dũtaxat prohibuit vindicari,non & colluſores,quãuis & hi indigni videantur. Item notandũ, quòd prætor ſuſceptorem verberatum quidem,& dãnum paſſum,vbicunq; & quãdocunq; non vindicat:verũ fur-

tum factũ domi & eo tépore, quo alea ludebatur: licet lu ſor non fuerit, qui quid eorum fecerit, impunè fit. Domum autẽ pro habitatione & domicilio nos accipere debere certũ eſt. Quod autẽ prętor negat ſe furti actioné daturum: videamus, vtrũ ad pœnalé actioné ſolam pertineat, an etſi ad exhibendum velit agere, vel vindicare, vel condicere? & eſt relatum apud Póponium, ſolũmodo pœnalem actionem negatã. quod nó puto verũ. prætor enim ſimpliciter ait, SI QVID SVBTRACTVM ERIT, IVDICIVM NON DABO. IN EVM, (inquit) QVI ALEAE LVDENDAE CAVSSA VIM INTVLERIT: VTI QVAEQVE RES ERIT, ANIMADVERTAM. hæc clauſula pertinet ad animaduerſionem eius, qui compulit ludere: vt aut multa multetur, aut in latumias, vel in vincula publica detur. D

E

II. PAVLVS *lib.* XIX. *ad edictum.*

SOlét enim quidam & ad luſum cogere, vel ab initio, vel victi, dum retinent.† Senatuſconſultum vetuit in pecuniam ludere: præterquàm ſi quis certet diſco vel pilo iaciẽdo, currẽdo, ſaliendo, luctãdo, pugnãdo: quod virtutis cauſſa fiat.

†In hũc locũ Alexã. ab Alexandro li. 3. genial. dierũ cap. 21.

III. MARTIANVS *lib.* V. *Regularum.*

IN quibus rebus ex lege Titia & Cornelia etiam ſponſionem facere licet. Sed ex aliis, vbi pro virtute certamen non fit, non licet.

F

IIII. PAVLVS *lib.* XIX. *ad edictum.*

QVod in côuiuio veſcẽdi cauſſa ponitur, in eam rem familia ludere permittitur. Si ſeruus vel filiusfamiliâs victus fuerit: patri vel domino competit repetitio. Item ſi ſeruus accipit pecuniam, dabitur in dominum de peculio actio, non noxalis; quia ex negocio geſto agitur. ſed non amplius cogendus eſt præſtare, quàm id, quod ex ea re in peculio fit. Aduerſus parentes & patronos repetitio eius, quod in alea luſum eſt, vtilis ex hoc edicto danda eſt.

SI MENSOR FALSVM MODVM *dixerit.* Tit. VI.

VLPIANVS *lib.* XXIIII. *ad edictum.*

Aduerſus

A ADuerſus menſoré agrorũ prætor in factũ actioné ꝓpoſuit, à quo falli nos non oportet. nã intereſt noſtra, ne fallamur in modi * renũciatione: ſi fortè vel de finib⁹ cõtentio ſit, vel emptor ſcire velit, vel vẽditor, cuius modi ager veneat. Ideo auté hanc actioné propoſuit: quia non crediderũt veteres inter tales perſonas locationé eſſe, ſed magis operam beneficij loco præberi: & id, quod datur, ei ad remunerandum dari, & inde honorariũ appellari. ſi auté ex locato fuerit actũ: dicendũ erit, nec tenere intentioné. Hæc actio dolũ malum dũtaxat exigit. viſum eſt enim ſatis abundéq; coerceri menſorem: ſi dolus malus ſolus cõueniatur eius hominis, qui ciuiliter obligatus non eſt. proinde ſi imperitè verſatus eſt, ſibi imputare debet, qui eũ adhibuit. Sed etſi negligẽter: æquè menſor ſecurus erit. lata culpa planè dolo comparabitur. Sed & ſi mercedé acceperit, non omné culpã eũ præſtare propter verba edicti. vtiq; enĩ ſcit prætor, & mercedé interuenire. Is aũt tenetur hac ratione, qui renũciauit. ſed renunciaſſe & eũ accipere debemus, qui per alium renunciauit,

*Mod⁹ ſpaciũ ſignificat, vt Iulius Paul⁹ & Aggenus interpretantur.

B

II. PAVLVS *lib.* XXV. *ad edictum.*

VEl per literas. Sed ſi ego tibi, cùm eſſes menſor, mandauerim, vt menſurã agri ageres: & tu Titio id delegaueris, & ille dolo quid in ea re fecerit: tu teneberis. quia dolo malo verſat⁹ es, qui tali homini credidiſti.

C III. VLPIANVS *lib.* XXIIII. *ad edictum.*

SI duobus mandauero, & ambo doloſè fecerint: aduerſus ſingulos in ſolidũ agi poteſt. ſed altero conuento, ſi ſatis factũ erit: in alterum actioné denegari oportebit.

Cõpetit autem hæc actio ei, cuius interfuit, falſum modum renunciatũ non eſſe: hoc eſt vel emptori, vel venditori, cui renũciatio obfuit. Põponius tamen ſcribit: ſi emptor plus dederit venditori propter renunciationé (quia condicere poteſt, quod plus dederit) agi cũ menſore non poſſe, nihil enim emptoris intereſſe, cùm poſſit condicere: niſi ſoluendo venditor non fuit. tunc enim menſor tenebitur. Sed ſi vẽditor maiorem modũ tradiderit, fraudatus à menſore: conſequenter dicit Põponius, non eſſe actionem aduerſus menſorem: quia eſt ex vendito actio

aduersus emptorem, nisi & hic emptor soluendo non sit.

Item Pōponius scribit: si propter iudicium adhibitus mensor, fraudauerit me in renūciatione: teneri eum, si ob hoc de iudicio minus tuli. planè si ab iudice adhibitus, cōtra me renūciauerit dolo malo: dubitat, an teneri mihi debeat. quod magis admittit. Hāc actionē hæredi simi libúsq; personis dandam Pomponius scribit. sed in hære dem similésque personas denegandam ait. Serui autem nomine magis noxalem, quàm de peculio competere ait: quamuis ciuilis actio de peculio competat. D

IIII. PAVLVS *lib. XXV. ad edictum.*

HAec actio perpetua est: quia initiū rei nō ad circū-scriptionē, sed à suscepto negocio originē accepit.

V. VLPIANVS *lib. XXV. ad edictum.* E

SI mensor non falsum modum renunciauerit, sed traxerit renunciationem: & ob hoc euenerit, vt venditor liberetur, quia adsignaturū se modum intra certum diem promisit: hęc actio locum non habet. sed nec vtilem dari debere, Pōponius ait. erit ergo ad actionem de dolo decurrendum. Si cùm falsus modus renūciatus esset, emptor cum venditore ex empto egisset: agere poterit & cum mensore. sed si nihil eius interest, condemnari mensorem non oportet. quòd si non de toto modo, qui deerat, cum venditore egerit, sed de minore: consequenter scribit Pomponius, de residuo cum mensore agi posse.

Hoc iudicium latius prætor porrexit. nam & si cuiusuis alterius rei mensuram falsam renunciauisse dicetur, hæc actio cōpetit. proinde siue in ædificij mensura fefellit, vel frumenti, vel vini, F

VI. PAVLVS *lib. XXV. ad edictum.*

SIue de itineris latitudine, siue seruitutum immittendi proiiciendique quæratur: siue aream, vel tignum, vel lapidem metiendo mentitus fuerit,

VII. VLPIANVS *lib. XXIIII. ad edictum.*

VEl cuius alterius rei: tenebitur. & si mensor machinarius fefellerit, hæc actio datur. nec nō illud quoque Pōponius dicit, etiā in eum, qui mensor nō fuit, fefellit tamen in modo: cōpetere hanc actionē. hoc exemplo etiam aduersus architectum dari debet qui fefellit. nam

& diuus

& diuus Seuerus aduersus architectum, & redéptorem
A actiones dandas decreuit. ego & aduersus tabularium pu
to actiones dandas, qui in computatione fefellit.

DE RELIGIOSIS, ET SVMPTIbus funerum, & ut funus ducere liceat. Titulus VII.

In hũc tractatũ Cælius Rhodiginus li. 9 cap. 44.

VLPIANVS *lib.* X. *ad edictum.*

QVi propter funus aliquid impendit, cum defuncto cõtrahere creditur, non cum hærede.

II. IDEM. *lib.* XXV. *ad edictum.*

LOcũ, in quo seruus sepultus est, religiosum esse Aristo ait. Qui mortuum in
B locũ alienum intulit, vel inferre curauit: tenebitur in factum actione. In locũ alterius accipere debemus, siue in agro, siue in ædificio. sed hic sermo domino dat actioné, non bonæ fidei possessori. nam cùm dicat, in locum alterius: apparet de domino eũ sentire, id est eo, cuius locus est. sed & fructuarius inferendo tenebitur domino proprietatis. An & socius teneatur, si ignorante socio intulerit, tractari potest. est tamen verius, familiæ erciscundę, vel communi diuidundo conueniri eum posse. Prætor ait. SIVE HOMO MORTVVS, OSSÁVE HOMINIS MORTVI IN LOCVM PVRVM ALTERIVS, AVT IN SEPVLCHRVM, IN QVO IVS
C NON FVERIT, ILLATA ESSE DICENTVR: QVI HOC FECIT, IN FACTVM ACTIONE TENEBITVR, ET POENAE PECVNIARIAE SVBIICIETVR. De ea auté illatione prætor sensit, quæ sepulturæ caussa fit. Purus† autem locus dicitur, qui neq; sacer, neq; sanctus, neq; religiosus: sed ab omnibus huiusmodi nominibus vacare videtur. Sepulchrum est, vbi corpus, ossáve hominis cõdita sunt. vt auté Celsus ait: nõ totus, qui sepulturæ destinatus est, locus religiosus fit, sed quatenus corpus humatũ est. Monumentũ est, qđ memoriæ seruãdæ gratia existit. Si vsumfructũ quis habet, locũ religiosum nõ faciet. Sed & si alius proprietaté, alius vsumfructũ habeat: nõ facit locũ religiosum nec ꝓprietarius: nisi fortè ipsum, qui vsumfructum

†Vide Macrob. lib. 3. Satur. c. 3.

fructū legauit, intulerit: cū in aliū locū inferri tam opor tunè nō posset. & ita Iulianus scribit. aliâs aūt inuito fru D ctuario locus religiosus nō fiet. Sed si cōsentiat fructuarius: magis est, vt locus religiosus fiat. Locum, qui seruit, nemo religiosum facit: nisi cōsentiat is, cui seruitus debeat. Sed si non minus cōmodè per aliū locū seruitute vti potest: nō videt seruitutis impediēdæ caussa id fieri: & ideo religiosus fit. & sanè habet hoc rationē. Is, qui pignori dedit agrum, si in eum suum mortuum intulerit, religiosum eum facit. Sed & si ipse inferatur, idem est. cæterùm alij concedere non potest.

III. PAVLVS *lib.* XXVII. *ad edictum.*

EX consensu tamen omniū, vtilius est dicere, religiosum posse fieri: idque Pomponius scribit. E

IIII. VLPIANVS *lib.* XXV. *ad edictum.*

SCriptus hæres prius, q̄ hæreditatē adeat, patrēfamiliâs mortuū inferēdo, locū facit religiosum: nec quis putet hoc ipso pro hærede eū gerere. finge enī adhuc eū deliberare de adeunda hæreditate. Hoc ego etiā puto. si nō hæres eū intulerit, sed quiuis alius, hærede vel cessante, vel absente, vel verente, ne pro hærede gerere videatur: tamen locū religiosum facere puto. plerūq; enim defuncti antè sepeliūtur, q̄ quis hæres eis existat. sed tūc locus fit religiosus, cū defuncti fuit. naturaliter enim videtur ad mortuum pertinere locus, in qué infertur: præsertim si in eum locum inferatur, qué ipse destinauit. vsqueadeo, vt etiam si in legatum locum sit illatus ab hærede: illatione tamen testatoris fiat religiosus: si modò in F alium locum tam opportunè inferri non potuit.

V. CAIVS *lib.* XIX. *ad edictum prouinciale.*

FAmiliaria sepulchra dicuntur, quæ quis sibi familięque suæ constituit. hæreditaria autem, quæ quis sibi hæredibusque suis constituit.

VI. VLPIANVS *lib.* XXV. *ad edictum.*

VEl quæ paterfamiliâs iure hæreditario adquisiit. Sed in vtroq; hæredibus quidē, cæterisq; successoribus (qualescūq; fuerint) licet sepelire, & mortuū inferre: etiā si ex minima parte hæredes ex testamento, vel ab intestato sint: licet nō consentiant alij. Liberis etiā cu iuscūq;

iuscũq; sexus vel gradus, & filiisfamiliâs, & emãcipatis, A idẽ ius concessum est: siue exstiterint hæredes, siue sese abstineãt. exhæredatis autẽ (nisi specialiter testator, iusto odio cõmotus, eos vetuerit) humanitatis gratia tantũ sepeliri, non etiã alios, præter suã posteritatẽ inferre licet. Liberti autẽ nec sepeliri, nec alios inferre poterunt, nisi hæredes exstiterint patrono: quãuis quidã inscripserint monumentũ, SIBI LIBERTI'SQVE SVIS fecisse: & ita Papinian⁹ respõdit, & sæpissimè itẽ cõstitutũ est.

Si adhuc monumẽtũ purũ est: poterit qs hoc & vendere, & donare. si cœnotaphiũ sit, posse hoc venire dicẽdũ est. nec enĩ hoc esse religiosum diui fratres rescripserũt.

VII. CAIVS *lib. XIX. ad edictum prouinciale.*

B IS, qui intulit mortuũ in alienũ locum: aut id tollere, quod intulit, aut loci preciũ præstare cogitur per in factũ actionẽ: quæ tã hæredi, q̃ in hæredẽ cõpetit, & perpetua est. Aduersus eum, qui in alterius arcã lapideã, in qua adhuc mortuus nõ erit conditus, mortuũ intulit: vtilẽ actionẽ in factũ procõsul dat: quia nõ propriè vel in sepulchrũ, vel in locum alterius intulisse dici potest.

VIII. VLPIANVS *lib. XXV. ad edictum.*

OSsa, quę ab alio illata sunt, vel corpus, an liceat domino loci effodere, vel eruere sine decreto Põtificũ, seu iussu principis, quæstionis est. & ait Labeo exspectandũ seu permissum põtificalẽ, seu iussionẽ principis: C alioquin iniuriarũ fore actionem aduersus eum, qui eiecit. Si locus religiosus pro puro venisse dicetur: prætor in factũ actionem in eum dat ei, ad quem ea res pertinet. quæ actio & in hæredem cõpetit, cũ quasi ex empto actionẽ cõtineat. Si in locũ * publicis vsibus destinatũ intulerit quis mortuum: prætor in eũ iudicium dat. si dolo fecerit, extra ordinẽ erit plectendus: modica tamen coercitione. sed si sine dolo: absoluendus est. In hãc autem actionẽ loci puri appellatio & ad ædificiũ producẽda est. Nec solũ domino hęc actio cõpetit, verũ ei quoq;, qui eiusdẽ loci habet vsumfructum, vel aliquam seruitutem: quia ius prohibendi etiã hi habent. Ei, qui prohibitus est inferre in eum locum, quo ei ius inferendi esset, in factum actio competit: & interdum etiam si nõ ipse prohi-

** Cic. li. 2. de legi. refert collegiũ pontificũ decreuisse nõ esse ius in loco publico fieri sepulchrum. vbi & alia multa de sepulchris & impẽsis funerum copiosè disserit.*

prohibitus sit, sed procurator eius: quia intellectu aliquo prohibitus & ipse videtur. D

IX. CAIVS *lib. XIX. ad edictum prouinciale.*

Liberũ est ei, qui prohibet mortuũ inferre, aut statim interdicto vti, quo prohibetur ei vis fieri: aut aliò inferre, & postea in factũ agere. per quã consequeť actor, quãti eius interfuit, prohibitũ nõ esse. in quã cõputationé cadit loci empti preciũ, aut (si conduxerit) conducti merces. ité sui loci preciũ, quem quis (nisi coactus) religiosum facturus nõ esset. vnde miror, quare cõstare videať: neq; hæredi, neq; in hæredé dandã hanc actionem. nam cũ (vt apparet) pecuniariæ quantitatis ratio in eam deducitur: certè perpetuò ea inter ipsos competit.

X. VLPIANVS *lib. XXV. ad edictum.* E

SI venditor fundi exceperit locum sepulchri ad hoc, vt ipse posteriq́ue eius illò inferrentur: si via vti prohibeatur, vt mortuum suum inferret: agere potest. videtur enim etiam hoc exceptum inter ementem & vendentem, vt ei per fundum sepulturæ caussa ire liceret.

XI. PAVLVS *lib. XXVII. ad edictum.*

QVòd si locus monumenti hac lege venierit, ne in eũ inferantur, quos ius est inferri: pactũ quidé ad hoc non sufficit, sed stipulatione id caueri oportet.

XII. VLPIANVS *lib. XXV. ad edictum.*

SI quis sepulchrũ habeat, viã auté ad sepulchrũ non habeat, & à vicino ire prohibeatur: Imperator Antoninus cũ patre rescripsit, iter ad sepulchrũ peti precariò, & cõcedi solere: vt quoties nõ debetur, impetretur ab eo, qui fundũ adiunctum habeat. non tamen hoc rescriptũ, quod impetrandi dat facultaté, etiam actionem ciuilem inducit: sed extra ordiné interpelletur. præses etiam cõpellere debet, iusto precio iter ei præstari: ita tamen, vt iudex etiã de opportunitate loci prospiciat, ne vicinus magnum patiatur detrimentum. Senatusconsulto cauetur, ne vsus sepulchrorum permutationibus polluatur: id est, ne sepulchrũ alienæ conuersationis vsum accipiat. Prætor ait: QVOD FVNERIS CAVSSA SVMPTVS FACTVM ERIT, EIVS RECVPERANDI NOMINE IN EVM, AD F

QVEM

QVEM EA RES PERTINET, IVDICIVM DABO. hoc edictũ iusta ex caussa propositũ est: vt qui funerauit, persequatur id, quod impendit. sic enim fiet, ne insepulta iaceãt corpora, néue quis de alieno funeretur. Funus autem eũ facere oportet, qué decedés elegerit. sed si ille non fecerit: nullam esse huius rei pœnã cõstat, nisi aliquod pro hoc ei emolumentũ relictum est. tunc enim, si nõ paruerit volũtati defuncti, ab hoc repellitur. sin aũt de hac re defunctus nõ cauit, nec vlli delegatũ id munus est: scriptos hæredes ea res cõtingit. si nemo scriptus est: legitimos, vel cognatos quosque suo ordine, quo succedunt. Sũptus funeris arbitrantur pro facultatibus vel dignitate defuncti. Prætor vel magistratus municipalis ad funus sumptũ decernere debet*: siquidé est pecunia in hæreditate, ex pecunia. si non est: distrahere debet ea, quæ tépore peritura sunt, quorũ retentio onerat hæreditatem. si minus est: si quid auri argentique fuerit, distrahi aut pignorari iubebit, vt pecunia expediatur.

*Idẽ cõstituit Plato de leg. dialog. 12. & alia multa quæ ad hunc tractatũ pertinent.

XIII. CAIVS *lib. XIX. ad edictum prouinciale.*

VEl à debitoribus, si facilè exigi possit.

XIIII. VLPIANVS *lib. XXV. ad edictum.*

AT si quis impediat eum, qui emit, quò minus ei res tradantur: prætorem interuenire oportet, tueriq; huiusmodi factum, si quid impediat, quo minus ei res venditæ tradantur. Si colonus vel inquilinus sit is, qui mortuus est, nec sit, vnde funeretur: ex inuectis & illatis eum funerandum, Põponius scribit: & si quid superfluũ remanserit, hoc pro debita pẽsione teneri. Sed & si res legatæ sint à testatore, de cuius funere agitur, nec sit, vnde funeretur: ad eas quoq; manũ mittere oportet. satius est enim de suo testatorem funerari, quàm alios legata consequi. Sed si adita fuerit postea hæreditas, res emptori auferenda non est: quia bonæ fidei possessor est, & dominiũ habet, qui authore iudice comparauit. legatarium tamen legato carere non oportet, si potest indemnis ab hærede præstari. quod si non potest: melius est legatarium non lucrari, quàm emptorem damno adfici. Si cui funeris sui curam testator mandauerit, & ille accepta pecunia funus non duxerit: de dolo actionem in eum dandam

Mela

Mela ſcribit.credo tamen & extra ordinē eum à prætore cōpellendū funus ducere. Funeris cauſſa ſumptus factus videtur is demū,qui ideo fit,vt funus ducatur,& ſine quo funus duci non poſſit:vtputa ſi quid impēſum eſt in elatione mortui.Sed & ſi quid in locū fuerit erogatū, in quē mortuus inferretur : funeris cauſſa videri impenſum,Labeo ſcribit:quia neceſſariò locus paratur, in quo corpus conditur. Impenſa peregre mortui , quæ facta eſt,vt corpus perferretur:funeris eſt, licet nōdum homo funeretur.Idē & ſi quid ad corpus cuſtodiendū , vel etiā cōmendandum factum ſit:vel ſi quid in marmor vel veſtem collocandā. non autē oportet ornamenta cū corporibus condi, nec quid aliud huiuſmodi , quod homines ſimpliciores faciūt. Hæc actio, quæ funeraria dicitur, ex bono & æquo oritur.continet autē funeris cauſſa tantū impenſam,non etiā cæteros ſumptus. Aequū autē accipitur ex dignitate eius,qui funeratus eſt: ex cauſſa , ex tēpore,ex bona fide: vt neq; plus imputetur ſumptus nomine,q̃ factum eſt:neque tantū, quantū factum eſt,ſi immodicè factum eſt.debet enim haberi ratio facultatū ei⁹, in quē factum eſt:& ipſius rei,quæ vltra modū ſine cauſſa conſumitur.quid ergo ſi ex voluntate teſtatoris impēſum eſt?ſciēdum eſt nec voluntatē ſequendā, ſi res egrediatur iuſtā ſumptus rationē.pro modo enim facultatum debet ſumptus fieri. Sed interdum is,qui ſumptū in funus fecit,ſumptū non recipit:veluti ſi pietatis gratia fecit,non hoc animo,quaſi recepturus ſumptum,quē fecit. hoc & Imperator noſter reſcripſit.igitur æſtimandū erit ab arbitro & perpendendum, quo animo ſumptus factus ſit: vtrū negocium quis vel defuncti, vel hæredis gerat, vel ipſius humanitatis:an verò miſericordiæ, vel pietati tribuens, vel affectioni.poteſt tamen diſtingui & miſericordiæ motus:vt ſi in hoc fuit miſericors vel pius , qui funerauit,vt eū ſepeliret, ne inſepultus iaceret: non etiā vt de ſuo ſumptū faceret.quod ſi iudici liqueat: non debet eū,qui conuenitur,abſoluere.quis enim ſine pietatis intentione alienū cadauer funerat?oportebit igitur teſtari quēq;, quo animo funerat:ne poſtea patiatur quæſtionē. Pleriq; filij cū parētes ſuos funerant,vel alij,qui & hæredes

hæredes fieri possunt : licet ex hoc ipso neq; pro hærede
A gestio,neq; aditio præsumitur : tamen ne vel miscuisse se necessarij,vel cæteri pro hærede gessisse videantur:solent testari pietatis gratia se facere sepulturã. quod si superuacuo fuerit factum: ad illud se munire videntur, ne immiscuisse se credantur:nõ ad illud,vt sumptũ consequantur. quippe protestãtur pietatis gratia id se facere. plenius igitur eos testari oportet,vt & sumpt⁹ possint seruare. For tassis posset quis dicere,interdũ partẽ facti sumptus posse recuperari:vt si quis pro parte quasi negociũ gerẽs,pro parte pietatis gratia id facit.quod est verius.partem igitur sumptus cõsequetur, quẽ non donandi animo fecit. Iudex,qui de ea æquitate cognoscit, interdum sumptũ omnino nõ debet admittere, modicũ factũ:si fortè in contu-
B meliã defuncti hominis locupletis modicus factus sit. nã nõ debet huius rationẽ habere,cũ cõtumeliã defuncto fecisse videatur,ita eũ funerando. Si quis,dũ se hæredem putat,patrẽfamiliãs funerauerit:funeraria actione vti non poterit:quia non hoc animo fecit, quasi alienũ negocium gerens.& ita Trebatius & Proculus putant. puto tamen & ei ex caussa dandã actionẽ funerariã. Labeo ait. quoties quis aliã actionẽ habet de funeris impensa cõsequenda,funeraria eũ agere nõ posse.& ideo si familiæ erciscundæ agere possit: funeraria nõ acturũ.planè si iam familiæ erciscundæ iudiciũ actũ sit,posse agi. Idẽ Labeo ait:si pro-
C hibente hærede funeraueris testatorẽ,ex caussa competere tibi funerariã.quid enim si filiũ testatoris hæres eius prohibuit? huic contradici potest.ergo pietatis gratia funerasti.sed pone testatũ me,habiturũ me funerariã actionẽ. de suo eni expedit mortuos funerari. & quid si testator quidẽ funus mihi mandauit,hæres prohibet, ego tamen nihilominus funeraui? nõne æquũ est mihi funerariã vel negociorũ gestorũ cõpetere?& generaliter puto iudicẽ nõ merã negociorũ gestorũ actionẽ imitari, sed solutius æquitatẽ sequi, cũ hoc ei & actionis natura indulget. Diuus autẽ Marcus rescripsit eum hæredẽ,qui prohibet funerari ab eo,quẽ testator elegit,non rectè facere:pœnã tamen in eum statutã non esse. Qui mandatu alterius funerauit, non habet funerariã actionẽ:siue is, qui mandauit scilicet

funerandum, soluit ei, cui mandauit: siue debet. quod si pupillus mādauit sine tutore authore: vtilem funerariam dādam aduersus hæredem ei, qui impendit. lucrari enim hæredem iniquum est. Si autem pupillus funus ad se pertinens sine tutoris authoritate mandauit, dandam in eum actionem arbitror, si & hæres exstitit ei, qui funeratur, soluendoque hæreditas est. Contrà si quis mandatu hæredis funerauerit: non posse eum funeraria agere, Labeo scribit: quia habet mandati actionem. si tamen quasi negociū hæredis gerens funerauit: licet ratum non habet, tamen funeraria eum agere posse, Labeo scribit. Datur autem hæc actio aduersus eos, ad quos funus pertinet: vtputa aduersus hæredem, bonorúmve possessorem, cæterosque successores. D

XV. POMPONIVS *lib. V. ad Sabinum.* E

FVneris impensas & patronus, qui bonorum possessionem petit contra tabulas, præstat.

XVI. VLPIANVS *lib. XXV. ad edictum.*

IN eum, ad quē dotis nomine aliquid peruenit, dat prætor funerariam actionem. æquissimum enim visum est veteribus, mulieres quasi de patrimoniis suis, ita de dotibus funerari: & eum, qui morte mulieris dotem lucratur, in funus conferre debere: siue pater mulieris sit, siue maritus.

XVII. PAPINIANVS *lib. II. Responsorū.*

SEd si nondum pater doté recuperauerit: vir solus cōuenietur, reputatur[9] patri, quod eo nomine præstiterit.

XVIII. IVLIANVS *lib. X. Digestorum.* F

IMpensa enim funeris æs alienum dotis est.

XIX. VLPIANVS *lib. XV. ad Sabinum.*

IDeoque etiam dos sentire hoc æs alienum debet.

XX. IDEM *lib. XXV. ad edictum.*

NEratius quærit, si is, qui cū doté dederat pro muliere, stipulatus est duas partes dotis reddi, tertiā apud maritum remanere: pactus sit, ne quid marit[9] in funus cōferret: an funeraria maritus teneatur? & ait, siquidem ipse stipulator mulierem funerauit: locū esse pacto, & inutilé ei funerariam fore. si verò alius funerauit: posse eum maritum conuenire, quia pacto hoc publicum ius infringi nō possit. quid tamen si quis dotem hac lege dederit pro muliere, vt ad ipsum rediret, si in matrimonio mortua esset,

aut

aut quoquo modo soluto matrimonio: nunquid hic in fu-
A nus nó conferat? Sed cũ dos morte mulieris ad eum peruenerit: potest dici cõferre eũ. Si maritus lucratur doté, conuenitur funeraria: pater auté non. Sed & in hunc casum puto, si dos (quia permodica fuit) in funus nó sufficit: & in superfluũ in patré debere actioné dari. Cũ materfamiliâs decedit, nec est soluendo hæreditas: funerari eam ex dote tantũ oportet, & ita Celsus scribit.

XXI. PAVLVS *lib.* XXVII. *ad edictum.*

IN patré, cuius in potestate fuerit is, cuius funus factũ erit: cõpetit funeraria actio ꝑ dignitate & facultatib⁹.

XXII. VLPIANVS *lib.* XXV. *ad edictum.*

B CElsus scribit. quoties mulier decedit: ex dote, quæ penes virum remanet, & cæteris muliebribus bonis pro portione funeranda est.

XXIII. PAVLVS *lib.* XXVII. *ad edictum.*

VEluti si in dotem centum sint, in hæreditate ducenta: duas partes hæres, vnam vir conferet.

XXIIII. VLPIANVS *lib.* XXV. *ad edictum.*

IVlianus scribit, non deductis legatis.

XXV PAVLVS *lib.* XXVII. *ad edictum.*

NEc preciis manumissorum.

XXVI. POMPONIVS *lib.* XV. *ad Sabinum.*

NEc ære alieno deducto.

XXVII. VLPIANVS *lib.* XXV. *ad edictum.*

C ET sic pro rata & maritum & hæredem conferre in funus oportet. Maritus funeraria non conuenietur, si mulieri in matrimonio dotem soluerit, vt Marcellus scribit. quæ sententia vera est: in his tamen casibus, in quibus hoc ei facere legibus permissum est. Præterea maritum puto funeraria in id demũ teneri, quod facere potest. Id enim lucrari videtur, quod præstaret mulieri, si conueniretur.

XXVIII. POMPONIVS *lib.* XV. *ad Sabinum.*

QVód si nulla dos esset: tunc omnem impensam patré præstare debere, Atilicinus ait: aut hæredes eius mulieris, puta emancipatæ. quod si neque hæredes habeat, neque pater soluendo sit: maritum, in quantum facere potest, pro hoc conueniri: ne iniuria eius videretur, quondam vxorem eius insepultam relinqui.

XXIX. CAIVS *lib.* XIX. *ad edictum prouinciale.*

SI mulier post diuortium alij nupta decesserit: non putat Fulcinius priorem maritum, licet dotem lucri faciat, funeris impensam præstare. Is, qui filiamfamiliâs funerauit: antè quàm dos patri reddatur, cũ marito rectè agit: reddita dote, patrem obligatum habet. vtique autem, si cũ marito actum fuerit, is eo minus patri mulieris restituturus est. D

XXX. POMPONIVS *lib.* XV. *ad Sabinum.*

COntrà quoque quod pater in funus filiæ impendit, aut alio secũ agente funeraria iam præstitit: ipse per actioné de dote à marito recipit. Sed si emancipata in matrimonio decedat: collaturos hæredes bonorúmve possessores & patrem pro portione dotis, quam recuperant: & virum pro portione dotis, quam lucratus est. E

XXXI. VLPIANVS *lib.* XXV. *ad edictum.*

SI filiusfamiliâs miles sit, & habeat castrése peculium: puto successores eius antè teneri, sic deinde ad patré veniri. Qui seruum alienum vel ancillam sepeliuit: habet aduersus dominum funerariam actioné. Hæc actio non est annua, sed perpetua: & hæredi cæterisque successoribus, & in successores datur.

XXXII. PAVLVS *lib.* XXVII. *ad edictum.*

SI possessor hæreditatis funus fecerit, deinde victus in restitutione non deduxerit, quod impendit: vtilem esse ei funerariam. Si eodem momento temporis vir & vxor decesserit: Labeo ait, in hæredem viri pro portione dotis dandam hanc actionem, quoniam idipsum dotis nomine ad eum peruenit. F

XXXIII. VLPIANVS *lib.* LXVIII. *ad edictũ.*

SI quis fuerit hæres, cui deinde hæreditas ablata sit, quasi indigno: magis est, vt penes eum iura sepulchrorum remaneant.

XXXIIII. PAVLVS *lib.* LXIIII. *ad edictum.*

SI locus sub conditione legatus sit: interim hæres inferendo mortuum, non facit religiosum locum.

XXXV. MARCELLVS *lib.* V. *Digestorum.*

** Luctum tamen in*

MInimè maiores lugendum putauerunt eum, * qui ad patriam delendam, & parentes & liberos interficiendos ve-

dos venit. quod si filius patrem, aut pater filium occidisset sine scelere: etiam præmio adficiendum omnes constituerunt.

A

funere prohibendum cẽsent Plato & Cicero in suprascriptis locis.

XXXVI. POMPONIVS *lib.* XXVI. *ad Q. Mutium.*

CVm loca capta sunt ab hostibus, omnia desinunt religiosa vel sacra esse: & sicut homines liberi in seruitutem perueniunt. quod si ab hac calamitate fuerint liberata, quasi postliminio reuersa, pristino statui restituuntur.

XXXVII. MACER *lib.* I. *ad legem vicesimam hæreditatum.*

B

FVneris sumptus accipitur, quidquid corporis caussa erogatum est: veluti vnguentorũ, & preciũ loci, in quo defunctus humatus est, & si qua vestiaria sunt, vel sarcophagi, & vectura, & quidquid corporis caussa, antequã sepeliatur, consumptum est: funeris impensam esse existimo. Munimentum autem sepulchri id esse diuus Hadrianus rescripsit, quod caussa muniendi eius loci factũ sit, in quo corpus impositum sit. itaque si amplum quid ædificari testator iusserit (veluti in circuitu porticationes) eos sumptus funeris caussa non esse.

XXXVIII. VLPIANVS *lib.* IX. *de omnibus tribunalibus.*

C

NE corpora aut ossa mortuorum detinerentur, aut vexarentur: néue prohiberentur, quò minus via publica transferrentur, aut quò minus sepelirentur: præsidis prouinciæ officium est.

XXXIX. MARTIANVS *lib.* III. *Institutionum.*

DIui fratres edicto admonuerunt, ne iustæ sepulturæ traditum, id est terra conditum corpus inquietetur. videtur autem terra conditum, & si in arcula conditũ hoc animo sit, vt non alibi transferatur. sed arculam ipsam (si res exigat) in locum commodiorem licere transferre, non est denegandum.

XL. PAVLVS *lib.* III. *Quæstionum.*

SI quis eo animo corpus intulerit, quod cogitaret inde aliò postea trãsferre: magisque temporis gratia depo-

SI plura prædia quis habuerit, & omnium vsumfructum separatim legauerit: poterit in vnum inferri, & electio A erit hæredis, & gratificationi locus. sed fructuario vtilis actio in hæredem danda ad id recipiendum, quod propter eam electionem imminutus est vsusfructus. Si hæres mulieris inferat mortuam in hæreditarium fundum: á marito, qui debet in funus conferre, pro æstimatione loci consequatur. Ei, cui vestimenta legantur, si in funus erogata sint: vtilem actionem in hæredem dandam placuit, & priuilegium funerarium.

DE MORTVO INFERENDO ET SEpulchro ædificando. Tit. VIII.

B VLPIANVS *lib.* LXVIII. *ad edictum.*

PRætor ait: QVO, QVÁVE ILLI MORTVVM INFERRE, INVITO TE, EIVS EST: QVÒ MINVS ILLI EÒ EÁVE MORTVVM INFERRE, ET IBI SEPELIRE LICEAT: VIM FIERI VETO.

Qui inferendi mortuum ius habet, non prohibetur inferre. prohiberi autem inferre videtur: siue in locum inferre prohibeatur, siue in itinere arceatur. Hoc verò interdicto DE MORTVO INFERENDO, dominus proprietatis vti potest: quod etiam de loco puro competit.

C Item si mihi in fundum via debeatur, in quem fundum inferre volo, & via p̄hibear: hoc interdicto posse me experiri placuit: & quia inferre prohibeor, & quia via vti prohibeor. Idq̄ue erit probandum, et si alia seruitus debeatur. Hoc interdictū prohibitorium esse palā est. Prætor ait. QVO ILLI IVS EST, INVITO TE, MORTVVM INFERRE: QVÒ MINVS ILLI IN EO LOCO SEPVLCHRVM SINE DOLO MALO AEDIFICARE LICEAT: VIM FIERI VETO. Interdictum hoc propterea propositum est: quia religionis interest, monumenta exstrui, & exornari. Facere sepulchrū siue monumentum in eo loco, in quo ei ius est, nemo prohibetur. Aedificare videtur prohibere, & qui prohibet eò materiā côuehi, quę ædificatiōi necessaria sit. proinde & si operi necessarios prohibuerit quis venire: interdictum locum

cum habet.etsi machinam quis alligare prohibeat: si tamē
eò loci prohibeat, qui seruitutem debeat. Cæterùm si in D
meo solo velis machinam imponere:non tenebor interdi-
cto,sed iure te non patiar. Aedificare autem non solùm,
qui nouum opus molitur,intelligendus est:verùm is quo-
que,qui vult reficere.Is,qui id agit, vt labatur sepulchrū,
hoc interdicto tenetur.

II. MARCELLVS *lib.* XXVIII. *Digestorum.*

NEgat lex Regia mulierem, quæ prægnans mortua sit,
humari ante,quàm partus ei excidatur. is qui contrà
fecerit:spem animantis cum grauida peremisse videtur.

III. POMPONIVS *lib.* IX. *ad Sabinum.*

SI propius ædes tuas quis ædificet sepulchrum,& opus
nouum nunciare poteris.sed facto opere nullam habe- E
bis actionem,nisi QVOD VI AVT CLAM.Si propius
ædificium alienum intra legitimum modum† mortuus il-
latus sit: postea eum prohibere nō poterit ædificij domi-
nus,quò minus alium mortuū eò inferat,vel monumentum
ædificet:si ab initio domino sciente hoc fecerit.

†Cic. lib. 2 de leg. refert legem 12. tabul. præstituisse modum 60. pedū.

IIII. VLPIANVS *lib.* II. *Responsorum.*

LOnga possessio ius sepulchri non tribuit ei, cui iure
non competit.

V. IDEM *lib.* I. *Opinionum.*

SI in eo monumento,quod imperfectum esse dicitur,re-
liquiæ hominis cōditæ sunt:nihil impedit, quò minus
id perficiatur.Sed si religiosus locus iam factus sit:ponti- F
fices explorari debent,quatenus salua religione desiderio
reficiendi operis medendum sit.

Finit altera Digestorum pars de iudiciis.

SEQVITVR TERTIA DE REBVS CREDITIS.